


Universit 
Gregoriana

8
DQ
13

DE NATURALI
CUM CHRISTO UNITATE



FRANCISCO

FRANCISCI (CARD) MENDOZA († 1566)

burgensis episcopi

DE NATURALI CUM CHRISTO UNITATE

LIBRI QUINQUE

QUOS

PRIMUM EDIDIT

PROLEGOMENIS CRITICISQUE ANIMADVERSIONIBUS LOCUPLETAVIT

ANTONIUS PIOLANTI



LATERANUM

NOVA SERIES

AN. XIII - N. 1-4

FACULTAS THEOLOGICA PONTIFICII ATHENAEI LATERANENSIS

ROMAE MCMXLVII

1947

NIHIL OBSTAT QUOMINUS IMPRIMATUR

Romae, 18 julii 1948.

FRANCISCUS CARPINO, *Revisor delegatus.*

IMPRIMATUR


E Vicariatu Urbis, die 5 augusti 1948.

† ALOYSIUS TRAGLIA, *Archiep.us Caesariensis, Vicesgerens.*

ISTITUTO GRAFICO TIBERINO - ROMA, VIA GAETA 14
(Officine Grafiche - Tivoli)

MARIAE VIRGINI
QUAE
PISCEM E FONTE IMMACULATUM
OMNIBUS EDENDUM EXHIBENS
VINUMQUE PROPINANS MISTUM CUM PANE
IN MULTIS ETIAM
MATER EST UNITATIS

Haec inscriptio, quae nexum inter Eucharistiam et Virginem et Corpus Mysticum ostendit, coalescit ex duobus praeclaris Ecclesiae nascentis testimoniis, nimirum ex nonnullis verbis epitaphii ABERCII (cf. C. KIRCH, Enchiridion fontium historiae ecclesiasticae antiquae, Friburgi B. 1941, n. 155) et ex inciso quodam S. AUGUSTINI, Sermo 92; PL. 28, 1011.




PROOEMIUM

Vertebat annus 1937 cum mihi perlustranti bibliothecam Seminarii Romani apud Aedes Lateranenses occurrit codex singulari titulo insignitus: De naturali cum Christo unitate libri quinque. Rei novitate permotus nonnullas peregrinationes, quarum summam in ephemeride La Scuola Cattolica (1938) 69-78 vulgavi. Statim undique ad me confluerunt invitamenta et vota ut singulare opus, primum in tota theologiae historia, quod consulto de necessitudine Eucharistiam inter et Corpus Mysticum agat, quam ocius typis ederetur.

Propositum, quod semper animo gessi, aliis negotiis intentus, distuli opportuniorem praestolans occasionem. Et occasio, nimis forte molesta, mihi oblata est retroactis mensibus, cum horrore belli saeviente commorationem in Urbe protrahere coactus, solatium quaesivi in hac adornanda editione, cui prolegomena praestitui, indicatis allegatorum auctorum locis (difficile sane negotium) necnon animdiversionibus hic illic sobrie interiectis ad legentium utilitatem.

Fateor multa adhuc desiderari, sed spectatis adiunctis indulgentiam mihi non defuturam esse confido.

Faxit omnipotens et misericors Deus ut Italia, quae labentibus saeculis non modo integram servavit, verum etiam late propagavit fidem in suave Eucharistiae mysterium, nunc tot calamitatibus obruta tantisque sauciata vulneribus ab Eo erigatur, qui annona fortium « martyres aluit ad victoriam ».



CAPUT I.
CURRICULUM VITAE

Franciscus Sylvius ⁽¹⁾ Mendoza y Bobadilla, Didaci Hurtado de Mendoza et Isabellae ⁽²⁾ de Bobadilla Cannetensium (Cañete) Marchionum ⁽³⁾ filius, Conchae ⁽⁴⁾ 25 septembris 1508 natus est. Pueritiam ingressum extra limen domesticum discendi ardor protulit. Itaque Complutum (Alcalà) petit ut Athenaeum, nuper a Card. Ximenes de Cisneros conditum, celebraret ⁽⁵⁾ ibique tanto constantia latinae et graecae linguae studio vacavit, ut magistrorum expectationem superaverit. Linguarum autem studium tam egregie Compluti inchoatum Salmanticae perfecit. Cur autem primam studiorum sedem reliquerit non temere forte coniicitur, si animadvertas ea tempestate salmanticensem antistitem renuntiatum esse eius avunculum Franciscum de Bobadilla ⁽⁶⁾.

Teste Andrea Schotto: «Hic adolescens admodum Ferdinando Pintiano Salmanticae in disciplinam traditus, tantos brevi utraque in lingua processus fecit, ut quantum ceteris nobi-

⁽¹⁾ Hoc secundum nomen ei adjudicatur ab A. SCHOTTO, *Hispaniae Bibliotheca*, Francofurti 1608, p. 544.

⁽²⁾ Ab A. OLDOINO, *Athenaeum Romanum*, Perusiae 1676, t. 3, p. 237 et N. ANTONIO, *Bibliotheca Hispana Nova*, Matriti 1783, t. 1, p. 447, mater appellatur Elisabeth.

⁽³⁾ A I. VASAEQ, *Chronicon Hispaniae*, Coloniae 1577, p. 207, solo titulo comitum honestantur, e contra eorum nobilitas longe amplificatur apud A. y. A. CARCIA CARAFFA, *Enciclopedia Heráldica y Genealógica Hispano-americana*, Madrid 1925, t. 56.

⁽⁴⁾ Hispanice *Cuenca*. Quod autem in hac urbe noster Mendoza natus sit non est citra controversiam, siquidem Oldoinus et Antonius, locis nuper allegatis, referunt Cardinalis cumam *Cordubae* a nonnullis figi.

⁽⁵⁾ Cf. J. URRIZA, *La preclara facultad des artes y filosofia de la Universidad de Alcalá de Henares en el siglo de oro 1509-1621*, Madrid 1942.

⁽⁶⁾ S. RUIZ, *Bobadilla (Francisco de)*, Dictionnaire d'histoire et de géographie ecclésiastique.

litate, tantum et eruditione antecelleret et sexdecim aetatis annum agens non modo in bonos auctores, doctoris exemplo, commentabatur, verum etiam absentis eius vices summa cum gratia de superiore loco docendo explebat» (7).

Pintianus autem, humanarum litterarum cultor eximius, tanti semper discipulum fecit eumque tam constante prosecutus est amore, ut suas edens plinianas observationes nostro cardinali dicaverit, qui magistro hisce respondit: «Nos vero, literatissime Pintiane, etsi privato nostro nomine usque adeo tibi obligati sumus, quod ex tanto amicorum discipulorumque tuorum numero, nos potissimum elegeris, quos tam insignis operis nuncupatione ornares nomenque nostrum perpetuitati dares, ut putemus vix parem tanto tuo beneficio gratiam referre posse, adhibebimus tamen omnem operam, ne in te unice amando et honorando fortunisque tuis ac reliquis omnibus, quae tua intersint, iuvandis, amplificandis, tuendis, ullum a nobis paternae caritatis officium atque munus praetermittatur. Vale» (8).

In eadem academia, quae tunc temporis et magistrorum fama et discipulorum frequentia maxime florebat, non modo imbuitur primis hebraicae linguae rudimentis, sed etiam diligentem navavit operam in iuridicis disciplinis addiscendis et lauream in utroque iure consecutus est (9).

Cum eius magistri tam copiose humanis litteris imbuerint pronum erat ut, in Hispaniam fama et operibus Erasmi divulgatis (10), Mendoza pro humanistarum principe militaret. Cuius quidem mendozianae propensionis testimonium non ambiguum deprehenditur in epistola ab eodem Roterodamo ad

(7) *Hispaniae Bibliotheca*, p. 544; ANTONIUS, *Bibliotheca Hispana Nova*, pagina 447 id paulisper amplificat alius «in eadem academia salmanticensi ex cathedra linguam graecam docuisse».

(8) Epistola ita incipit: «Franciscus Robadilla, Cauriensis Episcopus, Archidiaconus Toletanus, Ferdinando Pintiano rethoricae ac graecae linguae in Academia Salmanticensi S.P.», apud F. PINTIANUM, *Observationes in Plinium*, Antverpiae 1547, p. 7 et 9.

(9) Cf. G. GONÇALES DAVILA, *Teatro Eclesiastico de las Iglesias metropolitanas y catedrales de los Reynos de las dos Castillas*, 3 voll., Madrid 1645, 47-50, vol. 3, p. 88.

(10) Cf. M. BATAILLON, *Erasme et l'Espagne*, Paris 1937. Brevius R. HOORNAERT, *S. Térèse écrivain*, Lille-Bruges 1925, p. 62-64.

Joannem Maldonatum missa, ubi inter suos fautores et Archidiaconum Toletanum, nempe nostrum Mendozam, laudat: «Agnosco, vir optime, inquit Erasmus, quantopere debeam quum toti Hispaniae tum praecipue tuis burgensibus, nominatim autem Archiepiscopo Toletano et huius Archidiacono, tum Archiepiscopo Hispalensi ceterisque splendidis et eruditis viris, quibus singulatim non meo solum verum et religionis et studiorum nomine gratias agerem, si tantum esset utilitatis in lucubrationibus meis quantum tuus candor illis tribuit» (11).

De eius studiis theologicis scriptores alte silent. At ambigendum non est Mendozam hanc disciplinam inde a iuventute excoluisse, cum aetate provecta eiusdem scientiae insigne protulerit documentum. Quia immo a veritate longe aberrare minime censemus si suspicamur theologica principia hausisse ab ipso Francisco Victoria O. P., de quo infra fusius dicemus, qui ab anno 1526 primam occupabat cathedram salmanticensem commentarium instituens in *Summam* S. Thomae. In hac autem coniectura eo vel magis confirmamur, quod auctor noster in suo opere eucharistico Angelico Magistro addictissimum iugiter se prodit.

Cum igitur omnium humanarum litterarum circulum cum eximia theologica doctrina coniungeret mirum non est si utriusque generis disciplinas egregie consociare noverit scriptor noster in opere «De naturali cum Christo unitate».

Verum redeamus e diverticulo in viam. Franciscus Mendoza a teneris fere unguiculis ecclesiasticis beneficiis fruitus est. Nam Didacus Ramirez de Villaescusa, Episcopus Conchen-sis, beneficio simplici cannetensi et Franciscus de Bobadilla, episcopus salmanticensis, eius avunculus, prioratu arochensi eundem cumularunt (12).

Viginti annos natus Scholasticus (hispanice *Maestrescuela*) Capituli Salmanticensis renuntiatur, quae quidem dignitas

(11) P.S. ALLEN et H.M. ALLEN, *Opus epistolarum Desiderii Erasmi Roterdami*, Oxonii 1928, v. 7, p. 23.

(12) GONÇALES, *Teatro Eclesiastico*, v. 3, p. 88; ANTONIUS, *Bibliotheca Hispana Nova*, p. 447.

studiorum regundorum in academia eiusdem civitatis grave secumferebat munus ⁽¹³⁾; immo paulo post ad altiozem Archidiaconi Toletani dignitatem evehitur. Hac forte occasione Card. Joannes Tavera, Archiepiscopus Toletanus epistolam de nostro Mendoza ad Carolum V Regem misit hisce conceptam laudibus: «Don Francisco de Mendoza, Arcediano de Toledo, persona de senelada habilidad si prosigue el estudio y camino que llena mercerá por su persona toda la merced que V. Magestad le hiziere» ⁽¹⁴⁾.

Hinc factum est ut anno 1536, rogante imperatore et super defectus aetatis obtenta dispensatione, infula episcopali insignitus sit, sede cauriensi (Coria) ei assignata, ubi tamen numquam commoratus est ⁽¹⁵⁾.

Paulo enim post Romam mittitur eo fine ut apud Curiam et nonnullas italicas respublicas Caesaris negotia expediret, quo in obeundo munere, si breves excipiantur discessus, perseveravit usque ad annum 1557.

Viginti fere annorum spatium, quo Mendoza in Urbe et in Italia commoratus est, multa complectitur, quae nobis tantum per quaedam indicia innotescunt ⁽¹⁶⁾. Procul dubio Romam a rege missus eiusque partes inibi agens per turbulentissimam illam aetatem, qua Beati Petri navigium tumescentibus quatiebatur fluctibus, Ecclesiae bonum cum regis utilitate conciliare sincere studuit.

Quanta autem eius esset in Carolum V observantia quantaque imperatoris frueretur benevolentia ex mox dicendis facile colliges.

⁽¹³⁾ GONÇALES, *ibidem*.

⁽¹⁴⁾ Hanc epistolam publici iuris fecit GONÇALES, *Teatro Ecclesiastico*, v. 3, p. 88.

⁽¹⁵⁾ Id asserit RUIZ, *Bobadilla*, col. 268, cui tamen contradicit GONÇALES, loco nuper allegato, asserens novellum episcopum synodum celebrasse cauriensem a. 1537. *Ibidem* addit Mendozaam de regis mandato corpus defunctae imperatricis deduxisse ad regale sacellum granatense, ubi humatum est. Successit Card. Quiñones, contra quem, cum ingentem «pensionem» sibi reservasset, apud Rom. Rotam actionem instituit et victor discessit, cf. *Decisiones R. Rotae*, Venetiis 1697, t. 1, decisio 777, t. 3, n. 149, 244.

⁽¹⁶⁾ Res altius perquirenda esset; hoc tamen munus aliis relinquimus ne extra fines exundare videamur.

Anno 1544 ad enixas Caesaris preces in purpuratorum patrum senatum a Paulo III cooptatur ⁽¹⁷⁾ eique titulus S. Mariae in Aracaeli assignatur, quem postea commutavit cum titulo S. Joannis ante Portam Latinam et tandem S. Eusebii ⁽¹⁸⁾.

Anno subsequenti ab Imperatore inter praesules designatur, quos suo nomine in Tridentinam Synodum mittendos esse decreverat ⁽¹⁹⁾. Reapse Romae mansit, desideriiis Caroli V ita obsecundans ⁽²⁰⁾, ut anno 1547, cum ingruente lue Concilium Bononiam translatum est, Caesare inaudito et invito, publice refragatus sit Paulo III P. M., translationem approbanti. Rem candide narrat Massarelli: «Legati (ad Trid. Conc.) receperunt litteras privatas in quibus scribebant quod die 23 martii 1547 fuerat consistorium in quo D. N. loquutus fuerat de hac translatione et D. N. mirum in modum laudaverat dictam translationem et quod idem fecerunt omnes cardinales. exceptis tribus, videlicet Burgensi, Coria (nimirum Mendoza) et Sadoletto, qui dixerunt quod erat consulendus prius Caesar, quam aliquid fieret. Quibus respondit Sua Beatitudo etiam vultu turbato et voce aliquantulum audace... et cum a Card. Coria replicaretur, respondit Pontifex expedire homines illius sacri ordinis liberos esse ab omni affectu humano» ⁽²¹⁾.

Quantopere praeterea in negotiis ad Concilium spectantibus Carolo V faverit, abunde colligitur ex eius nuper editis epistolis ad Imperatorem missis ⁽²²⁾.

In conclavi ad eligendum Julium III coacto (1549-1550) satis tumultuose imperiali factioni favet ⁽²³⁾ et quamvis initio

⁽¹⁷⁾ Id omnes supra laudati auctores narrant.

⁽¹⁸⁾ Cf. C. EUBEL, *Hierarchia Catholica*, Monasterii 1923, t. 3, p. 28.

⁽¹⁹⁾ *Acta Conc. Trid.*, ed. goerresiana, t. 10, p. 16: «L'imperatore ordina che subito partino per il Concilio: Coria... e due o tre frati, boni theologi».

⁽²⁰⁾ «El Card. de Coria tenemos... por persona que sabia muy bien servir... y se ven los effectos»: *Epist. Caroli V Didaco de Mendoza*, 17 mart. 1547, apud *Acta Conc. Trid.*, t. 11, p. 140, cf. etiam p. 934.

⁽²¹⁾ *Diarium IV*, 27 mart. 1547, apud *Acta Conc. Trid.*, t. 1, p. 633; idem refert PEREZ DE CASTRO, *Ep. ad Zuritam*, apud *Acta Conc. Trid.*, t. 11, p. XXIX.

⁽²²⁾ *Acta Conc. Trid.*, ed. goerresiana, t. 11 (curante G. Buschbell, Friburgi B. 1937), in indice ad vocem «Mendocia Franciscus de Bobadilla, Cardinalis cauriensis nuncupatus»; vide etiam t. 11, p. 913.

⁽²³⁾ Cf. L. PASTOR, *Storia dei Papi*, vers. di A. Mercati, Roma 1943, t. 6, p. 3-34; *Acta Trid.*, t. 2, p. 54, nota 1, 72.

Cardinali a Monte aversaretur, tandem eidem mox ad summum pontificatum extollendo accedit, a quo non solum benevole recipitur verum etiam singularia amoris pignora statim accipit; siquidem saepe ad pontificiam mensam vocatur ⁽²⁴⁾ et consistorio decembris 1550 habito ad cathedram burgensem promovetur ⁽²⁵⁾; at postea inter Pontificem et Cardinalem dissidium intercessit, ut suspicari licet ex quodam titulo documentis in archivio vici Simanca imposito ⁽²⁶⁾.

Mense aprile 1555 Carolum V Germaniam et Bohemiam petentem comitatur et Pragae solemnem habuit orationem ⁽²⁷⁾.

In conclavi eodem anno celebrato Cardinalis Caraffa electionem omni nisu impedire conatus est, cum eiusdem animum in Hiberos infensum compertum haberet ⁽²⁸⁾.

Eodem vertente anno a Carolo V Senarum gubernator atque praefectus constituitur eamque civitatem prudenter rexit donec Cosimo I, Florentinorum duci, adjudicata est ⁽²⁹⁾.

Suae autem erga Ecclesiam caritatis ⁽³⁰⁾ praeclarum edidit testimonium cum semper et ubique se patronum praeberit nascentis Societatis Jesu, quae ad collapsam pietatem restaurandam et ad mores altius erigendos naviter operam dabat.

Anno 1527, adhuc adolescens S. Ignatium, in carcerem Salmanticae coniectum, invisit. «Frattanto, inquit cl. Tacchi Venturi, continuavano alla prigione le visite di notevoli cittadini. Memoranda per il ricordo che il Santo vi ha lasciato, fu quella di Don Francesco de Mendoza, divenuto poi cardinale e

⁽²⁴⁾ *Acta Conc. Trid.*, t. 2, p. 159, 161, 175, 180, 198; 199; 200; 202; 203, 204, 207, 220.

⁽²⁵⁾ A. MASSARELLI, *Diarium VI*, apud *Acta Conc. Trid.* t. 2, p. 179; «Die 27 iunii fuit consistorium secretum in aula Constantini in quo... Ecclesia Burgensis datur Card. Cauriensi».

⁽²⁶⁾ *Relacion menuda de los motivos de indisposicion del Card. Mendoza arçobispo de Burgos con el papa* (anno 1553). *Avisos muy importantes del mismo cardenal sobre los negocios de Italia*; fasciculus 880, qui asservatur in Archivo Simancensi, ut testatur S. MERKLE, *Acta Conc. Trid.*, ed. goerresiana, t. 1, p. XXVIII.

⁽²⁷⁾ Cf. RUIZ, *Bobadilla*, col. 269.

⁽²⁸⁾ Cf. L. PASTOR, *Storia dei Papi*, t. 6, p. 345, in eodem opere p. 369, 370, 375 alia enarrantur de Mendoza Hispanos defendente coram Pontifice Paulo IV.

⁽²⁹⁾ Hoc ob omnibus fere scriptoribus summo initio allegatis dicitur.

⁽³⁰⁾ V. g. *Ep. Mendozae Carolo V*, 2 iun. 1547 missa sincerum Ecclesiae amorem spirat; eam reperies apud *Acta Conc. Trid.*, t. 11, p. 88.

arcivescovo ⁽³¹⁾ di Burgos, il quale avendo interrogato il prigioniero se gli riuscisse grave la perdita della libertà, udì rispondergli: Io vi dirò ciò che ho detto oggi stesso ad una signora, la quale rivolgevasi parole di compassione per vedermi in carcere. Dissi a costei: Voi in ciò mostrate che non avete desiderio di essere incatenata per amor di Cristo. Perché vi sembra la carcere così gran male? Quanto a me vi dico che non ha tanti ceppi né tante catene Salamanca che io più non ne brami per amor di Dio» ⁽³²⁾.

Inde primi amicitiae Mendozam inter et Lojoram igniculi exorti sunt, qui postea in magnam creverunt facem. Nam paene infinita hic illic deprehenduntur benevolentiae indicia et documenta. Anno 1547 salmanticense S. I. collegium excitandum curavit, cui annuos redditus attribuit ⁽³³⁾, simultatem inde Melchiorem Canum O. P. inter et Jesuitas subortam in favorem S. J. componere satagit ⁽³⁴⁾, quin immo de mandato Sanctissimi, una cum Aegidio Foscarari O. P., S. Palatii Magistro, et Philippo Archinto, Urbis Vicario, diligentissimo examini Lojolae «Exercitia» subiecit eaque ab omni errore immunia declaravit ⁽³⁵⁾. Erigendo Collegio Germanico opem tulit ⁽³⁶⁾, litterarum exercitationibus in Collegio Romano interest ⁽³⁷⁾, Jesuitas publice e suggestu concionantes audit ⁽³⁸⁾, Senarum gubernator constitutus nonnullos Ignatii discipulos ad civitatem excelandam postulat ⁽³⁹⁾, in sua sede burgensi Collegium Societatis con-

⁽³¹⁾ Immerito dicitur «arcivescovo» cum tantum eius successor in cathedra burgensi hoc titulo decoratus sit, cf. FLORENZ, *España Sagrada*, t. 26, p. 431.

⁽³²⁾ P. TACCHI-VENTURI, *Storia della Compagnia di Gesù*, Roma 1922, t. 2, p. 60.

⁽³³⁾ *Monumenta Historica S.I.*, Matriti 1903 ss.: *Monumenta Ignatiana*, t. 1, p. 580-581, 612, 635-638, 695-693; t. 2, p. 123, 148, 155, 158, 214, 218, 232 etc.; t. 3, p. 65-67; t. 7, p. 268-269; t. 10, p. 84; *Epistolae Mixtae*, t. 1, passim.

⁽³⁴⁾ Cf. L. PASTOR, *Storia dei Papi*, t. 5, p. 412-414; *Monumenta Ignatiana*, t. 2, p. 202, 218.

⁽³⁵⁾ A. ASTRAIN, *Historia de la Compañia de Jesus en la asistencia de España*, Madrid 1902, l. 1, p. 368.

⁽³⁶⁾ Cf. F. SCHROEDER, *Monumenta quae spectant primordia Collegii Germanici Hungarici*, Romae 1896, p. 179-181; 272-274.

⁽³⁷⁾ *Monumenta Ignatiana*, t. 10, p. 420, 442.

⁽³⁸⁾ *Monumenta Ignatiana*, t. 10, p. 413, 432.

⁽³⁹⁾ *Epistolae Mixtae*, t. 5, p. 252-253; *Monumenta Ignatiana*, t. 10, p. 41, 42, 149, 241-244.

didit ⁽⁴⁰⁾, in omnibus amicis Ignatii eiusque sociorum se praebet ⁽⁴¹⁾.

Tandem potius S. Ignatii persuasionibus, ut inter oves suas sedem figeret ⁽⁴²⁾, quam Caroli V abdicatione vel Pauli IV aversione permotus, vertente anno 1557 civitatem episcopalem solemniter ingressus est ⁽⁴³⁾. Nam etiamsi ad ecclesiam burgensem inde ab exeunte anno 1550 evectus esset, eam tamen per vicarios rexit, inter quos mentione dignus est eius frater Ferdinandus, qui a. 1552 Breviarium Burgense edendum curavit ⁽⁴⁴⁾.

Primo burgensis commorationis anno, accepto nuntio mortis Caroli V, super tumulum in cathedrali ad exequias celebrandas erectum hoc inscribi voluit epitaphium:

CAROLUS QUINTUS
MAXIMUS ROMANORUM IMPERATOR
IN HOC FELIX
QUI CUM IN FRETU VIXISSET
IN PORTU QUIÆVIT
XXI SEPTEMBRIS
MCLVIII ⁽⁴⁵⁾.

Philippus II non minori benevolentia insignem praesulem persecutus est. Singulari profecto aestimationis pignore eum affecit, cum ad sponsam suam Elisabeth a Gallis ad Hispanias deducendam nostrum Cardinalem hac designavit epistola: « El Rey. Don Filipe por la gracia de Dios Rey de Castilla, de Leon, de Aragon, del las dos Sicilias, de Jerusalem etc. Muy Reve-

⁽⁴⁰⁾ Cf. CASTILLO, *Historia Ecclesiastica de la Ciudad de Burgos*, Ms. burgensis, cuius nonnulla mihi humanissimae misit *Cán. José Ortega Alonso*, archivi cathedralis burgensis custos necnon archiepiscopi eiusdem civitatis a secretis.

⁽⁴¹⁾ Cf. Innumera fere sunt testimonia apud *Monumenta Historica S.J.*, v.g. *Monumenta Ignatiana*, t. 3, p. 44, 49, 69, 72, 76, 112, 161; 285 etc.; t. 4, p. 30, 145; 182, 256 etc.; t. 5, p. 50, 70, 118, 129, 193; t. 6, p. 117-118; t. 8, p. 234, 319; t. 9, p. 168, 171, 559; *Epistolae Mixtae*, t. 1-5, passim; *Chronicon S.I.*, t. 1-6, passim; (vide indicem ad vocem « Mendoza »). Adde A. ASTRAIN, *Historia de la Compañía de Jesus*, t. 1, p. 59-58, 298-299, 302, 306, 319, 330.

⁽⁴²⁾ *Monumenta Ignatiana*, t. 6, p. 117-118.

⁽⁴³⁾ Id mihi retulit laudatus Ortega Alonso.

⁽⁴⁴⁾ Ex eodem fonte hoc hausi.

⁽⁴⁵⁾ GONZÁLEZ, *Teatro Ecclesiastico*, v. 3, p. 89.

rendo en Christo Cardenal de Burgos *nuestro muy caro et muy amado amigo*, ya sabeis la paz que hizimos con el Christianissimo Rey de Francia difunto, de que espero en Dios se seguira mucho beneficio a la Christianidad y a nuestros Reynos, Señores y Estados, y que se conservará y en este proposito está el Rey, que aoraes, y por la mia no faltar à de corresponder a lo mismo y para mayor préda y en confirmacion de amistad y confederacion traté de casarme con hija del Christianissimo, de que tengo todo contentamiento y satisfacion. He determinado que se vaya a esos Reynos con brevedad, y pora que entre en estos con el acompañamiento que es razon, por hallaros tan a proposito, y vuestra Dignidad y Auctoridad etc., De Gante 3 de Agosto de 1559» (46).

Mendoza regis desideriis statim obsecundans optime munere suo functus est (47). Hoc expleto negotio ad suam sedem reversus sollertem ecclesiasticæ disciplinae restauratorem se præbuit. Nam Ecclesiam Cathedralem novo altari et splendida suppellectili auxit, sedem episcopalem fatiscentem refecit et amplificavit (48), Capituli mensam et cantorum coetum novis incrementis pecuniariis affectit, Seminarium, ad Tridentini normam, primus forte in toto Hispaniarum regno, a fundamentis prope vicum Arcos excitavit, quod bibliotheca, theologiae, iuris canonici, grammaticae, retoricæ necnon graecæ linguae cathedris instruxit.

Die 11 junii 1564 canones tridentinos solemniter in templo maximo promulgavit et omnibus parochis epistolam misit, qua singulos multis imbuebat ad curam pastoralem spectantibus. Synodum dioecesanam mox celebrandam statuit, sed adventante huc negotium distulit. Universam dicionem episcopalem pastoris more per seipsum visitavit, ubique magna beneficentiae fama comitante (49).

(46) Epistola invenitur apud GONZÁLEZ, *Teatro Eclesiastico*, v. 3, p. 89, ibidem responsionem Cardinalis refert et alia de itinere a Mendoza inito ad reginam deducendam.

(47) GONZÁLEZ, loco modo allegato.

(48) Cf. M. MARTINEZ SANZ, *Episcopologio de Burgos*, Burgos 1876, p. 69-74; Id., *Historia del templo catedral de Burgos*, Burgos 1886, p. 43, 63-72, 263.

(49) Haec abunde refert iam laudatus *Ortega Alonso* epistola a. 1938 ad me missa.

Anno 1563 sibi in episcopum auxiliarem, ut aiunt, assumpsit Alfonsum Marcantes, amicum addictissimum, quem ut suum procuratorem superiore anno Tridentum miserat, qui in S. Synodo Mendozae nomine nonnumquam locutus est ⁽⁵⁰⁾.

Vix ad valentinam sedem evectus erat, quando necopinato morbo correptus, prope vicum Arcos immaturo fato 26 nov. 1566 e vivis eripitur ⁽⁵¹⁾ et avito sacello conchensi honorifice sepelitur ⁽⁵²⁾.

⁽⁵⁰⁾ Cf. *Acta Conc. Trid.*, t. 8, p. 552.

⁽⁵¹⁾ Quoad diem eius obitus parva viget controversia, cf. GONÇALES, *Teatro Eclesiastico*, v. 3, p. 92, qui asserit mortuum esse 1 dec. 1566, ORTEGA ALONSO, *ep. laudata*, e contra affirmat obiisse 26 nov. eiusdem anni.

⁽⁵²⁾ GONÇALES, *Teatro Eclesiastico* v. 3, p. 92 et OLDONUS, *Athenaeum Romanum*, t. 3, p. 237 duo referunt epitaphia, de quorum existentia vehementer dubitat FLORENZ, *España Sagrada*, t. 26, p. 430.

CAPUT II.

OPERA

Inter humanarum litterarum cultores enutritus et Salmanticae diu vivens, prope nempe sedem et domicilium Juris et Theologiae, mirum non est si ut omnium disciplinarum suppellectili ornatus a coequalibus et a iunioribus effertur. Ex copiosa testimoniorum messe quaedam decerpimus. Eximius canonista *Martinus de Azpilcueta*, vulgo «Doctor Navarrus» nuncupatus, qui nostro praesule familiariter usus est, haec habet: «Ill. mus Mendoza graece et latine callentissimus et iuris divini ac humani valde peritus, tunc illius Academiae (Salmanticensis) praefectura, quam magisterium scholarum vocant illustris, nunc autem episcopatu cauriensi et S. R. E. Cardinalitia dignitate longe illustrior» (1).

Joannes Vasaeus addit: «Ea (ecclesia burgensis) nunc episcopum habet Card. D. Franciscum a Bobadilla, maiorum imaginibus clarissimum sed integritate vitae et optimarum disciplinarum studiis atque eruditione multo clariorem, cui velut bonarum artium patrono, vitam longissimam et omnia prospera merito studiosi omnes optare debent» (2).

Gil Gonzalez Davila accedit: «Fue el Cardenal el principe mas celebrado de los varones doctos de su tiempo, italianos y españoles, por la grandeza cõ que fauoreciõ las letras y estudios publicos» (3).

Cl. *Florenz* denique scribit: «La gran literatura de esto Señor, especialmente por el conociemento de lenguas griega, la-

(1) *Relectio caput «Novit» de iudiciis n. 103, apud Opera Navarri, Romae 1590, t. 3, p. 170.*

(2) *Chronicon Hispaniae, p. 207.*

(3) *Teatro Ecclesiastico, p. 92.*

tina y aun hebrea, le hizo muy aplaudido entre los doctos» (4).

Ut ex allegatis testimoniis insinuatur, antistes burgensis, humanistarum principum more, amplissima illustrium virorum corona circumdari auebat, quos ut addictissimos clientes mirum in modum fovens prosequeretur. *Andreas Schottus* conceptis verbis: «Alebat, inquit, et domi doctissimos viros, graece peritissimos, praeter librarios graeculos, doctorem Pazium et Bonaventuram Vulcanium belgam, aliosque» (5). Inter eos, quos Schottus reticito nomine commemorat, digni qui recolantur sunt Hieronymus de Aponte et Hieronymus Zurita (6).

Ipse praeterea auctor fuit ut nonnulla opera magni momenti in latinam verterentur linguam atque typis imprimerentur: «Vulcanius, ait Schottus (7), eius auspiciis ac bibliotheca usus, latine Toleti (a. 1563) et convertit et edidit B. Cyrilli Alexandrini Episcopi libros 17 *De adoratione in spiritu et veritate*, quos et Romae post vertisse video scholiisque illustrasse Antonium Agellium Episcopum». *Florenz* addit: «Tambien hizo traducir del hebreo y ayudó a Juan Isaac par el libro *De phisica haebrea* de Rabbi Aben (Tibbon)» (8).

Viginti annorum spatio, quo in Italia et in Urbe commoratus est, in omnium nimirum litterarum nutricula, non tantum cum doctis viris amicitiam iniiit sed etiam diligentem navavit operam ut quantum poterat libros, praesertim graecos, undique corrogaret, adeo ut eorundem decem arcas secumtulerit in Hispaniam rediens: «Romae cum esset, inquit Schottus (9), aemulatione quadam cum Didaco (Hurtado de Mendoza) propinquo, Caesaris apud Venetos legato, in graecis libris undique colligendis ac describendis operam navavit et arcas fere decem explevit, quae post Garsiae Loaysae aere obvenerunt» (10).

Propriae eruditionis monumenta non dubia reliquit non-

(4) *España Sagrada*, t. 26, p. 430.

(5) *Hispaniae Bibliotheca*, p. 544.

(6) Cf. Ruiz, *Bobadilla*, col. 369.

(7) Loco modo allegato. Id negat, et merito forte, GRAUX, opere paulo infra laudando, p. 68.

(8) *España Sagrada*, t. 26, p. 431.

(9) *Hispaniae Bibliotheca*, p. 544.

(10) De his operibus, quae postea in «Escorial» translata sunt, atque inibi in-

nullis operibus, quae etsi tot negotiis distentus exarare potuit. Heic claritatis causa eius opera in duplicem dividimus seriem, de qua ex ordine agemus.

Art. I

Opera minora

1. *In Isaiam prophetam glossa*, anno 1539 exarata et 1546 Toleti in lucem edita, ut colligitur ex *Florenz* excribente animadversiones Alexii Venegas: « En esta linea celebra Venegas lo siguiente. Demas, dice « de muchas anotaciones que en la Sagrada Escritura ha escrito V. S. sacadas de la continua leccion de expositores hebreos, dará firme testimonio la muy acertada y utilissima glosa que ahora escribe V. S. sobre Isaias, en la qual demas que convence muchas malas inteligencias que algunos escriptores modernos falsamente entendieron (que per no aber tenido noticia entera de la lengua hebrea tomaron uno por otro) declara grandes secretos que en los misterios de esta lengua se encierran». Siguese la respuesta impresa alli con este titulo: « D. Francisco de Bobadilla, de la Santa Iglesia Romana Cardenal de Mendoza, Obispo de Coria etc. Al muy noble Señor el Maestro Alexio Venegas. S. Fecha en Madrid 8 de Noviembre 1539 años. Nunc vero Toleti 1545. Estos años denotan, el primero el año en que estaba escrito el libro, el segundo el año en que le trató de imprimir 1545 y al siguiente se inprimió » ⁽¹¹⁾.

2. *Oratio a Francisco Bobadilla hispano Pragae habita in conventu ordinum regni Bohemiae*. Quam profecto recitavit mense aprili anni 1555, quando Carolum V comitans Pragam petiit, ut supra vidimus ⁽¹²⁾.

cedio quodam fere combusta, erudite agit C. GRAUX, *Essai sur les origines du fonds grec de l'Escorial*, Paris 1880 (Bibliothèque de l'école des Hautes-Etudes, Sciences Philologiques et Historiques, t. 66).

⁽¹¹⁾ *España Sagrada*, t. 26, p. 430-431.

⁽¹²⁾ Cf. OLDORINUS, *Athenaeum Romanum*, t. 3, p. 238.

3. *Tizón de España* par D. Francisco de Mendoza, cardinalis archiepiscopus de Burgos, ubi illustrium Hispaniae familiarum describit genealogias. ⁸De tempore, quo opus istud exaratum sit nihil certi invenire potuimus. Sequiori aetate plures nactum est editiones diversis in civitatibus, quos hiberice indicamus: Gibraltar 1697, Talavera de la Reina 1727, Aranjuez 1737, Madrid 1845, 1871, Cuenca 1854, Barcellona 1880, fere semper hoc titulo insignitum: *El Tizón de la nobleza española o Maculas y sambenitos de sus linajes por el Cardenal D. Francisco Mendoza de Bobadilla* (¹³).

Art. II

Opus maius

Opus, quo praesul burgensis famam in republica theologica adeptus est, insignitur titulo: « *De vera et naturali quadam cum Christo unitate, quam per dignam Eucharistiae sumptionem fideles consequuntur* » (¹⁴).

1. Auctor, qualibet seposita dubitatione, est noster Card. Mendoza, prout luce clarius patet ex epistola nuncupatoria tum ipsius Cardinalis tum Ferdinandi, eius germani, atque ex unanimi testimonio theologorum et scriptorum, qui de episcopo burgensi vel data opera vel obiter loquuti sunt.

2. Origo huius tractatus paucis adumbratur a Gabriele Vasquez: « Ante quadraginta annos, inquit, in nostra Hispania Card. Mendoza, episcopus burgensis, non minus litteris quam sanguine illustris, habens sermonem ad populum publi-

(¹³) De hoc opere loquuntur praecipue: SCHOTTUS, *Hispaniae Bibliotheca*, p. 544; GONÇALEZ, *Teatro Eclesiastico* v. 3, p. 92; FLORENZ, *España Sagrada*, t. 26, p. 431; RUIZ, *Bobadilla*, col. 270.

(¹⁴) In hunc modum refert titulum operis GONÇALEZ, *Teatro Eclesiastico* v. 3, p. 92, quem oculis suis vidisse testatur. Concinnunt OLDJOINUS, *Athenaem Romanum*, t. 3, p. 238, et FLORENZ, *España Sagrada*, t. 26, p. 431, qui tantum vocem « sumptionem » mutant in « susceptionem ». Codex Seminarii Romani, quo utimur, caret titulo primigeno, cui seriori manu suffecta est superscriptio: *De naturali unitate cum Christo libri quinque*.

ce docuit per hoc Venerabile Sacramentum digne sumptum fideles non tantum consequi unionem caritatis et affectus cum Christo sed etiam realem et substantialem naturalemque unionem carnis suae cum carne eius. Quae propositio non paucis theologis illius aetatis principiis fidei nostrae parum consentanea visa est. Atque hac de causa idem Cardinalis ut eam ab omni nota defenderet librum scribere compulsus fuit ubi eam luculenter Sanctorum testimoniis confirmavit» (15).

3. Tempus, quo exaratum est opus non difficili negotio definitiri potest, cum nonnullae prostent indicationes ab ipso auctore operi appositae. Etenim in fine epistolae, qua librum Pio V dicat, legitur: Burgis anno Domini 1566 (16) at l. 1, c. 26 de S. Joanne Fisher loquens: « Scripsit, inquit, contra Oecolampadium Joanne Roffensis Episcopus piorum omnium doctorumque iudicio vir doctrina sanctitateque praestantissimus, ideoque Dei Martyr, iustum volumen de veritate corporis et sanguinis Christi in Eucharistia ante annos triginta quattuor, summa eruditione et pietate » (17). Atqui liber Roffensis exaratus est anno 1527, cui si addantur 34, ad 1561 pervenimus. Ergo liber primus praesentis operis confectus est anno modo indicato.

Praeterea l. 2, c. 4 ait: « Decretum etiam Concilii Tridentini sub Iulio Papa III editum ante tredecim annos de ratione institutionis huius Sanctissimi Sacramenti contra naturalem hanc unitatem facere aiunt » (18). Jamvero sessio XIII Tridentinae Synodi, cui alludit, celebrata est a. 1551, cui 13 additis attingimus 1564. Ergo hoc anno liber secundus exaratus est. Indidem colligitur novissimos tres libros inter 1564 et 1566 confectos esse. Totum igitur opus sex annorum ambitu absolutum est, nimirum inter 1561 et 1566 (19).

(15) *Commentarii et Disputationes in III Th.*, disp. 204, c. 1.

(16) *Editio*, p. 6.

(17) *Editio*, p. 20.

(18) *Editio*, p. 106.

(19) Erravit ergo FLORENZ, *España Sagrada*, p. 430 dicens. « Obra que tenia concluida en el año 1560, pues la dedicó al Papa Pio IV en el año I de su pontificado ».

Cuius extruendae fabricae certe lapides attulit, praeter eruditos homines, quos supra in aula mendoziana enutritos cognovimus, *Alfonsus Marcantes*, qui ut episcopi burgensis procurator, haec de Eucharistia in Concilio Tridentino a. 1562 protulit, quae Mendozae doctrinam redolent: «Ad primum articulum praemisit effectum huius sacramenti esse unire nos cum Christo, cum Christi caro sit vivificatrix, iuxta Cyrillum et alios doctores in cap. 6 Jo., et Christus ait: *Qui manducat me et ipse vivet propter me* et 1 Cor. 10, 17: *Unum sumus, qui uno de corpore participamus*. Et Dionysius 3 cap. cael. hier. idem sentit. Hilarius Pictaviensis de consecr. d. 2 *In Christo*; B. Thomas opusc. de sacr. cap. 5 » (20). Hic porro raptim recolluntur eadem testimonia quae fusius exscripta saepissime allegantur in *De naturali unitate*.

4. *Divisio* totius operis uno oculorum obtutu attingi potest spectato amplissimo indice, quem huic editione subnexuimus. Heic potius tramam logicam, quam appellant, adumbrandam censemus, qua omnes mutuo excipinuntur libri. Statuto praecipuo doctrinae capite, de quo infra fuse, omnes libri, veluti radii in illud confluunt: primus ad illud statuendum ex Scriptura et Patribus, secundus ad idem ab obiectionibus vindicandum, tertius ad illud philosophice illustrandum, quartus et quintus ad corollaria inde sponte manantia deducenda (21).

5. *Stilus*, quo utitur auctor, plerumque est elegans et fluens etsi nonnunquam potius quam ornamenta lenocinia ostentat. Verborum ambitum numero et quasi rotundiore constructione ita Mendoza circumscribit, ut ampullis scateat. Iteratae sententiae et eiusdem verbi assiduitatis crimen, ut ipse candide fatetur (22), sustinere non timet. Longius quandoque a proposito discurrit ut suam ostendat eruditionem et linguarum peritiam, adeo ut tibi eum viatori comparare liceat, qui regia via relicta, per cuniculos et diverticula aberret.

(20) *Acta Conc. Trid.*, t. 8, p. 552.

(21) Minutiorem divisionem dedimus dissertationem: *L'Eucaristia e il Corpo Mistico in un trattato inedito del Card. Mendoza*, La Scuola Cattolica (1938) 69-78.

(22) *Editio*, p. 14.

6. Fontes huius operis distinguendi sunt proximi et remoti. Aetate, qua Mendoza floruit, catholici maximi faciebant, ad rem eucharisticam quod attinet, *S. Joannem Fisher Episcopum Roffensem* († 1534), tum quia humanarum et divinarum rerum scientia conspicuus, tum quia Oecolampadii iactantiam, maximi realis praesentiae negatoris, summa eruditione et fide pari retuderat, tum denique quia martyrio suam sacraverat fidem. Mendoza autem, quippe qui operum maiorum et recentiorum, praecipue humanismo indulgentium (cuiusmodi erat Roffensis) studiosus sedulus erat, procul dubio Fisher opus adversus Oecolampadium conscriptum insomni volutavit manu (23). In quo profecto opere hic illic incisum deprehenditur « naturalis unio » in quod oculos et animum convertit. Aliis perlectis suae aetatis operibus ad Eucharistiam adversus Novatores spectantibus, cuiusmodi sunt tractatus Iodoci Clichtovei, Joannis Gropper, Stanislai Hosii, Gasparis Contarini, Card. Cajetani, Cutheberti Tunstalli, Stephani Wintoniensis (24), eadem verba eandemque doctrinam inveniens eius animus incaluit et a recentioribus ad maiores ascendens ad Patres accessit, quos graeco idiomate avidè legebat et ibidem singulare comma Eucharistiam spectans reperiebat « εὐχριστή ἕνωσις » praesertim apud Cyrillum Alexandrinum. Sensim sine sensu suam sibi finxit de Eucharistiae effectibus doctrinam quam Patrum auctoritate suffultam existimabat, eamque continuo mente gerens nonnumquam in privatos, ut constat ex Alfonso Marcantes apud Tridentinum, et in publicos sermones exundare sinebat, ut Vasquez modo laudatus enarrat. Cum autem res novitate quadam aspersa videretur, aures mentesque feriit theologorum, quorum turmas eo tempore Hispania alebat, et hinc suborta prima quaestio (25); ad quam dirimendam antistes burgensis suum exaravit opus. Quod qui-

(23) Ut plane colligitur ex opere, quod edimus, ubi pluries Roffensem allegat. Vide indicem onomasticum, ad vocem « Roffensis ».

(24) Quorum doctrinam saepissime et amplissima excerpta nonnumquam in suum etiam tacite traducit opus, ut ex praesenti editione liquet.

(25) Haec forte inserenda est controversia, cui ORTEGA ALONSO, *epistola laudata*, alludit aiens: « Fué éste prelado muy erudito y gran teólogo, como lo probó en sus disputas con Antonio de Malvenda, benedictino ».

dem negotium eo facilius et iucundius auctori apparere debuit, quod magna instruebatur bibliotheca et egregia circumdabatur doctorum et librariorum corona.

Hinc dimetiri vales quanto iure huiusmodi operis fontes dividimus in proximos, quos iam recensuimus, auctores nimirum qui saec. XVI adversus Protestantes realem praesentiam tuiti sunt, et in remotos, nempe Patres ceterosque scriptores ecclesiasticos, quorum testimonia adeo copiose allegantur ut integer tractatus prima fronte videatur opus musicum, dixerim vermiculatum, diversorum nempe Patrum sententiis intextum.

Patres autem et ecclesiastici scriptores, quorum auctoritas crebrius invocatur, inter graecos sunt: Irenaeus, Athanasius, Gregorius Nyssenus, Joannes Chrysostomus, Cyrillus A., Isidorus Pelusiota, Ps. Dionysius Areopagita, Maximus Confessor, Ioannes Damascenus, Theophylactus, Cabasilas; inter Latinos vero: Cyprianus, Hilarius Pictaviensis, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Anselmus, Bernardus, Innocentius III, Albertus Magnus, Thomas Aquinas, Joannes Turrecremata. Trama autem et operis textura est genuinus auctoris partus.

7. Operis fortuna. Vix ultimam manum tractatui admoverat auctor quando diem obiit supremum. Tantummodo quattuor post annos, nempe 1570 Ferdinandus eius frater, Archidiaconus Toletanus, operis transcriptionem curavit ut primum exemplar, secundum defuncti praesulis voluntatem, ad Romanum Pontificem Pium V mitteret, «ut si Beatitudini Tuae, inquit in epistola nuncupatoria, eorum editionem ad christianae reipublicae utilitatem pertinere censeret, eius auctoritate vulgari possint, sin minus pro suo arbitratu de eis statuat» ⁽²⁶⁾. Cum enim opus theologi burgensis aliquid novi saperet ad Romani Pontificis auctoritatem confugiendum esse maxime opportunum Ferdinandus duxit, ne in Patrum Inquisitorum animadversionem incideret, eo vel magis quod tunc temporis vigilantissimi erant. At paulo post Pontificis morte in-

(26) *Editio*, p. 3.

tercedente rem forte distulit Ferdinandus et paulatim edendi operis consilium dimisit, quamvis exemplaria passim circumferri non aegre tulerit, cum vertente saec. XVI Vasquez, ut ipse fatetur ⁽²⁷⁾, volumen propriis inspexerit oculis in domo toletana Societatis Jesu.

Gonzalez, in suo «Teatro Eclesiastico» anno 1645-1650 edito ait: «Escrivio el Cardenal un libro, que yo he visto, que no se ha dado a la stampa, con titulo *De vera et naturali quadam cum Christo unitate* etc.» ⁽²⁸⁾.

Paucos post annos eximius *Nicolaus Antonius* († 1684) postquam testatus est Mendozam librum «De naturali unitate» conscripsisse, addit: «Quem quidem in eadem urbe nos vidimus penes Ministros Infirmorum domus Mariae Magdalenae sacrae, transcribique curavimus, si aliunde subministrantur impensae, nonnumquam a nobis in communem utilitatem edendum. Quo quid magis eruditum, doctum, ingeniosum, elegans atque undique perfectum conficere humana industria valeat non facile dixerim» ⁽²⁹⁾. Cui tamen promissioni, quominus satisfaceret impediunt calamitates, quibus egregius vir affectus est.

Nuper Cl. *Ruiz* asseruit quoddam operis exemplar in archivo Cathedralis Burgensis asservari ⁽³⁰⁾, at eiusdem archivi custos, nempe laudatus *Ortega Alonso*, id tacite negavit sua iam saepe allegata epistola.

Pugnantes asseverationes *Ruiz* et *Ortega*, ob itinera et epistolarum commercia diu intercepta, conciliare non potui ⁽³¹⁾.

8. Codex, quo utimur est cartaceus, pelle obtectus cum ornamentis, optime exaratus, mendarum fere experts, 316 foliis constans, hisce pollens dimensionibus, m. 0,330 × 0,230, nullo ordinis numero insignitus. Exemplar est saec. XVI, forte idem, quo usus est Vasquez in domo Toletana S. J., siquidem

⁽²⁷⁾ *Commentarii et Disputationes in III S. Th.*, disp. 204, c. 1.

⁽²⁸⁾ *Teatro Eclesiastico*, v. 3, p. 92.

⁽²⁹⁾ *Bibliotheca Hispana Nova*, p. 448.

⁽³⁰⁾ *Bobadilla*, col. 270.

⁽³¹⁾ Pace composita denuo scripsi ad nonnullos burgenses eruditos, qui iterum asseruerunt nullum reperiri codicem mendozianum in sua urbe.

ad calcem primi folii haec, etsi quasi deleta, leguntur: «Da la libreria de la casa professa de la Compagnia de Jesus de Toledo».

Quo pacto Romam delatum sit ignoramus et fortasse ignorabimus. Illud Seminario Romano Majori testamento legavit presbyter Ubaldus Mannucci († 1935), eximius Juris Canonici et SS. Patrum cultor.

CAPUT III

NOVA THEOLOGIAM TRACTANDI RATIO

Quando antistes burgensis in theologicam descendit arenam ⁽¹⁾ duo prae ceteris gloria florebant, Caietanus et Erasmus, aetate coaequales moribus et doctrina longe dissimiles.

Cajetanus († 1534), ingeniorum extrema linea, summo studio et acumine pari Aquinatis mentem explorat atque declarat ut eandem contra Scotum et Nominales mordicus vindicet, at ultra non progreditur; adeo spatia caelestia perlustrans terrae immemor est ut fidei documenta aut negligat aut summis attingat labiis ⁽²⁾.

Erasmus († 1536) vero humanistarum, qui vertente saec. XV in Italia maxime claruerunt, vestigia premens Scripturam et veterum Patrum opera exquirat, commentariis instruit, in lucem edit, apud omnes divulgat. At Scholasticae osor eam crepantibus buccis irridet eiusque cultores acriter carpit quod nugis et litigiis indulgentes syllogismo abutantur atque barbare loquantur ⁽³⁾. Speciminis causa quaedam ex Roterodamo excerpere operae pretium existimamus. Ad theologicas contentiones quod attinet haec habet: « Adornatur iam, bellum in Turcas,

⁽¹⁾ Quoad theologiam aetatis tridentinae cf. M. GRABMANN, *Storia della teologia cattolica*, Milano 1939, p. 212-246; L. ALLEVI, *Disegno di Storia della Teologia*, Torino 1939, p. 199-278; C. GIACON, *La Seconda Scolastica*, Milano 1944.

⁽²⁾ Cf. P. MANDONNET, *Cajetan*, DTC; I. MAREGA, *Card. Cajetani scripta philosophica*, Romae 1934, qui auctoris vitam praemittit; *Il Card. Gaetano nel quarto centenario della sua morte*, Publicaz. Univ. Cattolica, Milano 1935. In altera vitae parte Cajetanus humanismo indulgens exegesim excoluit, at plerumque infelicit, cf. J. VOSTÉ, *Card. Cajetanus S. Paginae Magister*, Romae 1935.

⁽³⁾ Cf. P. GODET, *Erasmus*, DTC.; L. BORCHI, *Umanesimo e concezione religiosa di Erasmo di Rotterdam*, Firenze 1935 (cum grano salis legendum); TH. QUONIAM, *Erasmus*, Paris 1935; J. HUIZINGA, *Erasmus* (versione dall'olandese), Torino 1941.

quod quocumque consilio institutum, praecandum est ut non paucis quibusdam sed ut in commune bene vertat omnibus. Sed quid futurum arbitramur si victis (neque enim universos, opinor, ferro trucidabimus) ut Christum amplectantur Occamos aut Durandos aut Scotos aut Gabrieles aut Alvaros proposuerimus? Quid cogitabunt aut quid sentient (sunt enim et illi, ut nihil aliud, certe homines) ubi audierint spinosas argutias de instantibus, de formalitatibus, de quidditatibus, de relationibus? Praesertim ubi viderint de his adeo non convenire inter magnos illos religionis professores, ut frequenter usque ad pallorem, usque ad convicia, usque ad sputa, nonnumquam et usque ad pugnas invicem digladiantur: ubi Praedicatores pro suo Thoma cominus atque eminus dimicantes, Minoritas contra subtilissimos et seraphicos doctores iunctis umbonibus tuentes, alios ut reales, alios ut nominales loqui?» (4). Et alibi: «Ac meo quidem iudicio saperent christiani si pro pinguibus istis militum cohortibus, per quas iam olim accipite Marte belligerantur, clamosissimos scotistas et pertinacissimos occamistas et invictos albertistas una cum tota sophistarum manu mitterent in Turcas et Saracenos. Spectarent, opinor, et conflictum omnium lepidissimum et victoriam non ante visam» (5).

Subinde syllogizandi libidinem insectat: «Atque interim dum haec nugantur in scholis existimant sese universam Ecclesiam, alioquin ruituram, non aliter syllogismorum fulcire tibi-cinibus, quam Atlas caelum sustinet humeris apud poëtas» (6).

Eosdem tandem mordet, quod impolite loquantur: «Illud ipsum quoque ridere nonnumquam soleo, cum ita demum maxime sibi videntur theologi si quam maxime barbare et spurce loquantur, cumque adeo balbutiunt, ut a nemine nisi a balbo possint intelligi acumen appellant, quod vulgus non assequitur. Negant enim a dignitate sacrarum litterarum esse si grammaticorum legibus parere cogantur. Mira vero majestas theolo-

(4) *Enchiridion Militis Christiani* (exaratam a. 1518), Lugduni Batavorum 1541, p. 8.

(5) *Stultitiae laus*, Amstesaedami 1585, p. 99.

(6) *Stultitiae laus*, p. 100.

gorum si solis illis fas est mendose loqui, quamquam hoc ipsum cum multis cerdonibus sit commune» (7).

Ut haec autem Scholasticorum vitio magis magisque vituperet maiorum theologandi rationem amplissime laudat: « Tandem illud in genere dicam, si quis huius rei promptum aliquod argumentum requirat, veteres illos theologos: Origenem, Basilium, Chrysostomum, Hieronymum cum hisce recentioribus componat conferatque. Videbit illic aureum quoddam ire flumen, hic tenues quosdam rivulos eosque nec puros admodum, nec suo fonti respondententes. Illic tonant oracula veritatis aeternae, hic audis hominum commentula, quae quo proprius inspicias hoc magis similia somniis evanescent. Illic recto cursu tendis ad portum, hic inter quaestionum humanarum anfractus luctans aut illides in Scyllam potestatis pontificiae aut in Syrtes scholasticorum dogmatum aut in Symplegades iuris divini atque solidis Scripturarum fundamentis innixum aedificium surgit in altum, hic subtilibus hominum argutiis aut etiam adulationibus, non minus inanis quam immanis superstructa machina tollitur in immensum. Illic velut in felicissimis hortis affatim tum oblectaberis tum expleberis, dum hic inter spineta sterilia dilaceraris et torqueris» (8).

Cajetatus igitur et Erasmus dissidii Scholasticam inter et Humanismum vigentis vividam referunt imaginem. Quis tantam discordiam componendam suscipiet? Arcano Divini Numinis consilio anno 1507 novitius quidam Ordinis Praedicatorum, futurae pacis conciliator, ab Hispania movet ut discendi causa Parisios petat (9). Quando Franciscus Victoria Sequanae ripas

(7) *Stultitiae laus*, p. 102.

(8) *Ratio seu methodus compendio perveniendi ad veram theologiam*, Basilea 1520, p. 27-28. Eadem opere p. 15-22 Scholasticorum methodum denuo irridet, ut hic illic theologi, quem sibi fugebat, perfectam adumbret imaginem, v. g. p. 33 haec scribit: « Praecipuus theologorum scopus est sapienter enarrare divinas litteras, de fide non de frivolis quaestionibus rationem reddere, de pietate graviter atque efficaciter disserere, lacrymas excutere, ad caelestia inflammare animos ». His similia reperies alio in opere, cui titulus « *Paracelsis, idest exhortatio ad Christianae Philosophiae studium* » superiori opusculo adnexa, p. 181-185 ss.

(9) Cf. L. G. ALONSO GETINO, *El Maestro Fr. Francisco de Vitoria. Su vida, su doctrina e influencia*, Madrid 1930; L. ALLEVI, *Francesco de Vittoria e il rinnovamento della Scolastica nel sec. XVI*, Milano 1927 (estratto dalla Rivista di Filo-

attigit « la ville lumière » illam geminam patiebatur vim, cuius nuper meminimus: hinc Scholastici inde Humanistae inter se acriter dimicantes ⁽¹⁰⁾. Scholastici in duò agmina divisi: realium et nominalium. Nominalistae, Parisiis grassati erant integro fere saeculo XV, et ineunte saec. XVI sensim sine sensu senescebant tum quia sanae metaphysicae expertes intestina carebant virtute, tum quia dialecticis quisquiliis indulgentes humanistarum irrisionibus ansam praebebant. Hinc facile intelliges cur eximius eorum antesignanus Petrus Crockaert Bruxellensis transierit ad castra realium et quidem in via S. Thomae, cuius doctrina una erat quae ab humanistis non vehementer impeteretur, quaeque apud Praedicatorum S. Jacobi iugiter excolebatur at sine ullo eruditionis ornamento.

Humanistae vero, duce Fabro Stapulensi ⁽¹¹⁾ et a longe movente Erasmo, omnem dialecticae cultum negligentes et aspernantes, SS. Litteris et Patribus pervestigandis naviter adlababant. Noster Victoria, qui Parisiis sexdecim fere annis discendi et docendi gratia commoratus est, omnium magistrorum amicitiam sibi conciliavit et illud Ambrosii prae oculis habens « omne verum a quocumque est, a Spiritu Sancto est » cunctos libenti animo audivit, ita ut omnibus rivulis in unum confluentibus in eodem doctrinae plenitudo vigeret.

In patriam revertitur anno 1523, quando Hispania, islamico iugo excusso, in unum conflato utroque Aragoniae et Castellae regno, transmarinis detectis a Christophoro Colombo regionibus, antiquis restauratis coenobiis novisque conditis athaenis in eo erat ut, impulsore Cardinali Cisneros ⁽¹²⁾, universi fere orbis potiretur imperio.

Patriae gloria et divitiis pollenti supremam theologiae coronam impositurus Franciscus Victoria, discipulorum suffragio designatus, primam cathedram salmanticensem anno 1526 con-

sofia Neoscholastica); G. M. BERTINI, *Francesco da Vitoria e la Civiltà Spagnola*, Memorie Domenicane (1932) 6-28; R. G. VILLOSLADA, *La Universidad de Paris durante los estudios de Francisco de Vitoria O. P. (1507-1522)*, Romae 1938.

⁽¹⁰⁾ Quam contentionem egregie adumbrat *Villoslada*, opere modo laudato.

⁽¹¹⁾ Cf. E. AMANN, *Lefevre d'Étaples*, DTC.

⁽¹²⁾ Cf. G. F. DE RETTANA, *Cisneros y su siglo: Estudio histórico de la vida y actuación política del Cardenal D. Fr. Francisco Ximénez de Cisneros*, Madrid 1929-1930 (2 voll.).

scendit ibique per viginti fere annos, quasi sapiens architectus, impigro adlaboravit animo ut theologiae aedificium in altum attolleret.

Reiectis Lombardi sententiis, ablegatis futilibus Nominalium quaestionibus, vestigia secutus magistri parisiensis Petri Crockaert, fidenter ingreditur viam realium, quin immo primus in Academia Salmanticensi ut textum *Summam Theologicam* Aquinatis adhibet, cuius mentem diligenter exploratam, auxilio praecipue commentariorum Cajetani, documentis Scripturae et Traditionis, ad humanistarum normam, excussis vallat atque amplificat. Bartholomeo Medina teste: «Mirabile sane dictu quod omnes auctores, qui ante eius aetatem scholastice scripserunt legerit, in compendium et epitomem redegerit et ad illustrandam Divi Thomae doctrinam converterit. Sed et ipse est, qui varia doctrinarum supellectile ornatus, dialecticae, philosophiae, S. Scripturae et scientiae Sanctorum cognitione instructus, omnia haec subsidia sibi comparavit, ut Divi Thomae doctrinam auget, locupletaret et magnam illustrioremque redderet... Certe hoc solo nomine magnam gloriam est promeritus, quod Cajetani sensum et mentem in aperto et quasi ob oculos posuit, quod sane difficilius puto quam clavam de manu Herculis eruere» (13).

Ita profecto scholasticam astra scandentem ad humana inclinavit, renatum litterarum cultum ad caenum proclivem ad caelestia extulit; brevi Erasmus cum Cajetano conciliavit. Haec porro nova theologiam tractandi ratio, quam Scholastico-humanisticam iure appellares, in suum redacta est systema celeberrimo opere *De locis theologicis* Melchioris Cani (+ 1560), praeclari Victoriae discipuli (14).

Qua quidem methodo Victoria adeo placuit, ut omnes undique, teste ipso Cano, «in eius scholam non certatim confluerint, sed irruerint» (15). Exinde non modo eius fama alte

(13) In *S. Th.* 1, *epistola dicatoria*.

(14) Cf. M. JAQUIN, *Melchior Cano et la théologie moderne*, Revue de Sciences philosophiques et théologiques (1920) 121-141; A. LANG, *Die Loci Theologici des Melchior Cano und die Methode des dogmatischen Beweises*, München 1925.

(15) *De locis theologicis*, l. 12, prooemium.

personavit sed etiam ita eius auctoritas in dies crevit ut passim « alter Socrates nuncuparetur » ⁽¹⁶⁾.

Hinc factum est ut ex cathedra Victoriae magna quaedam vis novi ordinis procreatrix eruperit atque in omnes veluti venas non tantum Hispaniae sed etiam Europae et Ecclesiae universae promanaverit ⁽¹⁷⁾.

Ad *Hispaniam* quod attinet Victoria iure habetur quasi moderator illius renati vitae cultus, quo saec. XVI Hispani gloriae fastigium adepti sunt, siquidem, ipso impulsore, theologia ea aetate in Hispania, evasit quasi stella rectrix omnium cultorum *litterarum*, cuiusmodi sunt Cervantes, Lope de Vega, Calderon de la Barca, *artium*, ut Murillo, Zurbaran, Velasquez, *philosophiae*, ut Vives, Suarez, *mysticae*, cuiusmodi Luis de Granada, Teresia a Jesu, Luis de León, Joannes a Cruce. Movente igitur Victoria, Hiberi ea aetate apparent, ut eleganter ait clarus Menendez y Pelayo, « un pueblo de teólogos » ⁽¹⁸⁾.

Ad *Europam* quod spectat omnes compertum habent Academiam Salmanticensem id saec. XVI exstitisse, quod media aetate Universitas studiorum Parisiensis fuit. Huc enim a longinquo migrant et undique confluunt tirones tamquam ad fontem, cuius illimes aquae rivulos inde in omnes deducunt orbis provincias ⁽¹⁹⁾. Hinc movent, ut alia innumera omittam, acres Societatis Jesu sodales, qui, reconciliandae unitatis ecclesiasticae studio permoti, ubique magna instaurant athaenea maxima condunt collegia; Romae, ubi floruerunt Toletus, Vas-

⁽¹⁶⁾ D. BAÑEZ, *In S. Th.* 2, 2, q. 1, a. 7.

⁽¹⁷⁾ Cf. D. DE CAILUS, *Ximènes créateur de mouvement théologique espagnol*, *Etudes Franciscaines* (1908) I, 449-459, 640-650 II, 41-55. A. PEREZ GOYENA, *Las escuelas teológicas españolas*, *Razón y Fé* (1923) I, 50-72; 215-235; M. SOLANA, *Los grandes escolásticos españoles de los siglos XVI y XVII*, Madrid 1928; F. CARD, EHRLÉ, *Los manuscritos vaticanos de los teólogos salmantinos del siglo XVI* (versio hispana J. March), Madrid 1930; G. FRAILE, *Francisco de Vitoria norma y síntesis del Renacimiento ortodoxo de nuestro siglo de oro*, *La Ciencia Tomista* (1934) II, 15-26; V. BELTRÁN DE HEREDIA, *La teología en nuestras Universidades del siglo de oro*, *Analecta sacra Terraconensia* (1941) 1-31.

⁽¹⁸⁾ Apud GETINO, *El Maestro Francisco de Vitoria*, p. 285.

⁽¹⁹⁾ « Testimonio sunt huius veritatis non modo centuriae sed iliades etiam discipulorum eiusdem, quos schola ipsius quoquoersus diffudit ». Ex biographia Francisci de Vitoria, quae in editione ingolstadeni 1580 « Relectionum » legitur, cf. GETINO, *El Maestro Francisco de Vitoria*, p. 330.

quez, Suarez; Parisiis, ubi docuit Maldonatus; Dillingae in Germania, ubi claruit Gregorius de Valentia ⁽²⁰⁾.

Ad *Ecclesiam* denique quod pertinet meminisse sufficiat Victoriam ab ipso Romano Pontifice ad Concilium Tridentinum vocatum esse « de cuius singulari doctrina, aiebat Paulus Papa III, celebris apud nos fama personat » ⁽²¹⁾. At pius magister potius laboribus quam senio confectus anno 1546 ad superos evolavit. Sed *defunctus adhuc loquitur* per discipulos suos, qui turmatim in S. Synodum confluerunt: Dominicus Soto et Melchior Canus, Alfonsus de Castro et Andreas Vega, Bartholomeus Carranza et Petrus Soto, Alfonsus Salmerón et Jacobus Lainez ⁽²²⁾, omnes doctrinae thesauros, quos ab ore salmanticensis magistri hauserant, in communem Ecclesiae utilitatem contulerunt. Hi enim non tantum primas egerunt concilii partes in quaestionibus excutiendis sed etiam diligentem navarunt operam in doctrinae capitibus adornandis, in quibus nitet, iuxta Victoriae methodum, harmonica compositio theologiae scholasticae, maximae Aquinatis, cum Scripturae et Patrum testimoniis, non sine quadam sermonis elegantia ⁽²³⁾.

Proclivitas autem ad speculativam theologiam positivis revelationis documentis augendam atque roborandam saec. XVI necessitate polemica magnopere fovebatur. « Egit enim diabolus, inquit Melchior Canus, ut quo tempore adversum ingruentes ex Germania haereses oportebat scholae theologos optimis esse armis instructos, eo nulla prorsus haberent nisi arundines longas, arma videlicet levia puerorum. Ita irrisi sunt plerique ac merito irrisi » ⁽²⁴⁾.

At post primae pugnae cladem crevit extemplo catholicis animus et relicta amaena dialecticae silva, ad quam superiore

⁽²⁰⁾ Cf. F. CARD. EHRLE, *La scolastica e i suoi odierni compiti* (versione di G. Bruni), Torino 1935, p. 42-48.

⁽²¹⁾ Apud GETINO, *El Maestro Francesco de Vitoria*, p. 508-509. De prosperitate hispana illius aetatis luculenter agit F. VIAN, *Introduzione alla letteratura spagnola del « siglo de oro »*, Milano, 1946.

⁽²²⁾ Salmeron et Lainez largiori tantum sensu dici possunt Victoriae discipuli.

⁽²³⁾ Nervose H. HURTER, *Nomenclator Literarius* t. I, col. 1369, momentum logicum Victoriae effert: « Victoria clarus scientia theologica, clarior methodo quam inauguravit, clarissimus discipulis et fructibus, quos per illos rétulit ».

⁽²⁴⁾ *De locis theologicis*, I. 9, c. 1.

aetate, cum nulla belli suspicio erat, quasi ludendi causa se contulerant, apta Scripturae et Traditionis arma susceperunt atque adversarios plane profligarunt, maxime ad dogma eucharisticum quod attinet.

Statim enim ac Carlostadius, Zuinglius, Oecolampadius realem Christi praesentiam in Eucharistia infitiati sunt, fucatis Scripturae et Patrum testimoniis congestis, fidei catholicae vindices ubique terrarum egregia ediderunt opera, multa eximiaque eruditione referta. Minime abstinere possum quin raptim recolam pugnaces tractatus S. Joannis Card. Fisher, Praesulis Roffensis, Ruardi Tapper Cancellarii Lovaniensis, Joannis Gropper Decani Coloniensis, Jodoci Clichtovei Magistri Pariensis, Gasparis Contarini S. R. E. Cardinalis, Cutheberti Tunstalli Episcopi Duhelmensis, Stephani Gardiner Antistitis Wintoniensis ⁽²⁵⁾.

Frequentes autem accessus ad genuinos revelationis fontes, qui sunt et sinceræ pietatis scaturigines nati erant ad excitandum novum religionis ardorem, eo vel magis quod in idem conspirabant tum vulgatissima Dionysii Ps. Areopagitæ opera, quodam mystico afflatu perfusa, restaurata coenobitarum disciplina, nativa Hiberorum indoles.

Hoc sane tempore theologia mystica maxime floruit et apud Hispanos culmen attingit opera praesertim S. Teresiae et S. Joannis a Cruce ⁽²⁶⁾. Inde factum est ut etiam theologi dogmatici ea libentius excolerent doctrinae capita, quae ad vitam christianam restaurandam et ad mysticam contemplationem fovenda apta viderentur.

Proclivitas igitur humanistica, ardor polemicus, afflatus mysticus sunt tres notae, quibus discernitur theologia aetatis tridentinae, quaeque plane refunduntur in Card. Mendozæ

⁽²⁵⁾ Cf. P. POLMAN, *L'élément historique dans la controverse religieuse du XVI^e siècle*, Gembloux 1932, p. 441-464.

⁽²⁶⁾ Cf. R. HOORNAERT, *Sainte Térèse écrivain*, Lille-Bruges 1925, p. 3-96; G. M. BERTINI, *Mistici di Spagna*, Brescia 1933, p. XIII-CXIX; P. POURRAT, *La spiritualité chrétienne*, Paris 1935, t. 3, p. 120-143. Nuper egregii carmelitæ duo ediderunt volumina S. Joannem a Cruce spectantia: S. Giovanni della Croce: *l'uomo, la dottrina, l'influsso*, Firenze 1942; « *Sanjuanistica* » Studia à Professoribus Facultatis Theologicae Ordinis Carmelitarum Discalceatorum edita, Romae 1943.

opus. Praesul enim burgensis inde a iuventute callere caepit tres classicas linguas, latinam, graecam, hebraicam cum litteris operam dederit in Complutensi Academia nuper condita (a. 1509) ac eodem tempore, quo celebris polyglotta complutensis, impulsore Card. Cisneros, adornabatur. Quod quidem linguarum studium Salmanticae perfecit magistro praeclaro Ferdinando Pinciano ibique lauream in utroque iure consecutus eiusdem Academiae cancellarius constituitur eadem aetate, qua Franciscus Victoria publice docebat. Dignitate episcopali auctus et in Italiam a Carolo V, Romanorum Imperatore, missus cum nostris humanistis amicitiam iniiit ibidemque magnam librorum copiam corrogavit, quam in Hispaniam rediens secum tulit. Inter patres purpuratos cooptatus et ad sedem burgensem evectus humanas divinasque litteras impense fovit in Seminario diaecesano a se condito et Divo Hieronymo dicato.

Hinc pronum erat ut opus theologicum nostri auctoris humanisticam redoleret methodum. Et egregie redolet! Non modo Sacrae Litterae saepissime allegantur secundum graecam et hebraicam veritatem, verum etiam Patres et Scriptores Ecclesiastici tanta laudantur copia ut lector paene obruatur. Nam intra ambitum tercentorum et sexdecim foliorum, quibus constat codex, plusquam septingentae deprehenduntur allegationes ex centum et quinque Patribus et Scriptoribus Ecclesiasticis, quarum quadragintaquinque Graeci, sexaginta vero Latini.

Profecto haec testimonia undique congesta non iuxtaponuntur sed ut lapides tunsione plurima expoliti suo constituuntur loco in theologico aedificio, cuius lineamenta adumbrant purissima S. Thomae principia, quem semper prae ceteris adamavit.

Ut liquet, nova theologiam tractandi ratio a Victoria instaurata huc plane traducitur, siquidem positiva documenta cum philosophica expolitione veluti in venustioris stili thalamo amice copulantur.

Qua porro methodo adhibita finem persequitur polemicum (²⁷) ut omnes catholici, qui aetate tridentina De Eucha-

(²⁷) *Editio*, p. 18-20.

ristia egerunt. Universa Scripturae commata, omnia Patrum effata ab ipso flectuntur in arma ad haeticos Tigurinos seu Sacramentarios confondiendos. Et efficaciter quidem! Nam si conferantur opera quae ea tempestate ad realem praesentiam tuendam vulgata deprehendunt. cuiusmodi tractatus Card. Roffensis, Ruardi Tapper, Cuthberti Tunstalli, Joannis Grop-per, Gasparis Contarini, facile inspicietur polemistam hispanum, etsi longe a pugna constitutum, laudatis antecellere scriptoribus, cum ad protestanticam machinam subvertendam non modo bellicam artem superiorum scriptorum compertam habuerit verum etiam nova protulerit arma ad victoriam comparandam magis idonea.

Tandem suae aetatis propensioni cedens materiam tractandam aggreditur ad pietatem et ad mysticas effusiones fovendas aptissimam, agit nimirum de singulari unione cum Christo, quam consequuntur fideles per dignam Eucharistiae susceptionem.

CAPUT IV

PRAECIPUUM DOCTRINAE CAPUT

Effectus proprius Eucharistiae est donum christificum, quod gratiae sanctificanti superadditum totam hominis substantiam christiformem efficit atque resolutis speciebus perseverans nonnulla secumfert consecraria, unde arctissima emergit cum Christo unio, quae « naturalis » ab auctore nuncupatur.

Hinc pronum est ut singillatim dicamus de praevia per gratiam habitualemente unione, de natura doni christifici, de eius perseverantia resolutis speciebus deque consecrariis, quae inde prono fluunt alveo.

Art. I

De praevia cum Christo unione per gratiam instaurata.

Donum christificum ea tantum conditione nostrae communicatur substantiae ut anima iam gratia sanctificante ornata sit atque spirituali cum Christo unione fruatur.

Hinc menti nostri auctoris conformius videtur ut ab hac per gratiam spirituali cum Redemptore unione declaranda loquendi initium capiamus.

Card. Mendoza profecto nec semel nec obscure affirmat unionem naturalem in nobis instaurari non posse, quin praevia apprehendatur spiritualis cum Deo coniunctio.

En speciminis causa nonnulla auctoris effata: « Spiritualis unio sine naturali reperitur, non tamen naturalis sine spirituali » (1); « Sine illa (unione spirituali) nec haec (unio na-

(1) *Editio*, p. 381.

turalis) quidem subsistere umquam potest» (2); «Qui enim fide et caritate Christo non est coniunctus, influxum illum ex Christi corpore in ipso permanentem numquam accipiet» (3). Alibi (4) autem distinguens tres contactus fideles inter et corpus Christi eucharisticum, matematicum nempe (inter species et stomachum suscipientis), virtualem vi gratiae infusae, naturalem vi doni christiformis, asserit primum tantum instaurari in homine Eucharistiam indigne sumente, quin immo eo procedit in urgenda necessitate status gratiae ut indigne suscipientem non modo destitui quolibet supernaturali cum Christi corpore commercio, verum etiam inter diaboli membra connumerari affirmet (5).

Spiritualis autem unio naturali praestituenda est effectus omnium sacramentorum, maxime baptismi: «Haec (naturalis unio) nobis neque contingit, nisi prius per gratiam Christi spiritualiter connexis. Hanc vero unionem omnia sacramenta conferunt, licet proprius et specialis baptismi effectus sit nos Christo tanquam capiti spiritualiter incorporare» (6); «Cumque virtualiter cetera omnia sacramenta Christo nos uniant quando effectu suo nos tangunt» (7); «Baptismus nos corpori Christi mystico incorporat, sed per solum baptismum Christum in nobis corporaliter manentem non habemus» (8). «Per gratiam, quam per fidem et baptismum assequimur, Christo incorporamur» (9).

Unio tandem, quam sacramenta instaurant «spiritualis» ab Antistite Burgensi passim appellatur, utpote quae spiritus seu animae operationibus potissimum innixa. Infundunt enim sacramenta gratiam cum virtutum comitatu, quarum praecipue

(2) *Editio*, p. 175.

(3) *Editio*, p. 243 et p. 42: «Sine fide et caritate caro Christi manducata naturalem hanc Adae cum Christo unionem non efficit. Haec enim unio incorporationem cum capite praesupponit».

(4) *Editio*, p. 229.

(5) *Editio*, p. 322.

(6) *Editio*, p. 127.

(7) *Editio*, p. 239.

(8) *Editio*, p. 118.

(9) *Editio*, p. 169.

fides et caritas exstant, quae quasi vincula habenda sunt, quibus rationalis creatura cum Deo supernaturaliter cognito et amato unitur. En diserta eminentissimi theologi verba: «Medium, quo homo unum spiritu cum Christo efficitur fides et dilectio est, quae eiusdem cum Christo sententiae ac voluntatis nos efficit, quaeque in baptismo infunditur, per quam etiam divinus Spiritus in nobis inhabitare incipit nosque sua gratia in ipsum Deum rapit atque transformat. Haec nostrae sententiae voluntatisque cum divina voluntate unitas unum nos cum ipso per gratiae participationem efficit et quia fides et dilectio nexus et medium spirituale est huius unitatis per quam Deo mente spirituque unimur, spiritualis unitas, hoc est divini Spiritus participatio noncupatur» ⁽¹⁰⁾.

Fides autem et caritas habentur veluti derivationes atque propagines gratiae sanctificantis, quae et participationem naturae divinae, filiationem adoptivam, Spiritus Sancti inhabitationem secumfert, quibus omnibus anima nostra nostraeque potentiae deiformes evadunt ⁽¹¹⁾.

Spiritualis sane cum Christo coniunctio, etsi tot praerogativis insignita, imperfecta tamen dicenda est ⁽¹²⁾ utpote inchoatio quae ad consummationem tendit: «Initium hoc per Eucharistiam consummari et compleri debet» ⁽¹³⁾.

Art. II

De intima doni christifici natura.

Unio spiritualis modo descripta imperfecta multiplici ex capite dicenda est, tum ratione medii, scilicet baptismi et ceterorum sacramentorum, ubi Christus est praesens tantum virtute suae humanitatis non autem substantialiter, tum ratione extremorum, siquidem coniunctio directe instauratur dumtaxat inter Christi divinitatem et fidelium animam, quodammodo se-

⁽¹⁰⁾ *Editio*, p. 165, cf. p. 192.

⁽¹¹⁾ *Editio*, p. 169-170.

⁽¹²⁾ *Editio*, p. 173-174, cf. p. 382.

⁽¹³⁾ *Editio*, p. 119.

positis Christi carne et suscipientium corpore, tum denique ratione effectuum, qui non magna ubertate diffluunt per cetera sacramenta in Christi membra.

Profecto Eucharistia, utpote omnium sacramentorum perfectio, unionem baptismo inchoatam ad fastigium perducit. Cum enim Christus sub eucharisticis speciebus sit praesens non modo cum divinitate et humanitatis virtute, verum etiam cum tota substantia humanae naturae assumptae, statim ac digne suscipitur totus coniungitur cum nobis totis, nimirum eius divinitas et humanitas copulantur cum anima et carne nostra adeo ut inde tota nostra substantia veluti « commassata » ⁽¹⁴⁾ cum gloriosa Christi substantia eius sortiatur praerogativas et dotes.

Haec autem singillatim evolvenda atque auctoris effatis roboranda sunt.

I. Movet theologus burgensis a discrimine, quod Eucharistiam inter et cetera sacramenta intercedit: « Inter alia multa quibus Eucharistiae mysterium differt ab aliis sacramentis unum hoc praecipuum esse constat, quod cetera sacramenta imperfecte continent gratiam, quae accidens est, ut instrumenta scilicet, Eucharistia vero continet reipsa totius gratiae fontem quia in ea continetur verum Christi corpus et verus eius sanguis... Ergo non tantum gratia in hoc sacramento tamquam instrumento, sed vere Christus ipse et reipsa continetur. Unde sacramentum permanens dicitur et instrumentum coniunctum nostrae salutis est » ⁽¹⁵⁾. Paulo infra addit: « Vides differentiam inter Eucharistiam et alia sacramenta et quare vere dicitur reipsa conversio quae per Eucharistiam fit, spiritualis vero quae per alia sacramenta. B. Thomas idem confirmat: In baptismo, inquit, continetur Verbum Incarnatum solum secundum virtutem, sed in Eucharistia continetur secundum substantiam. Alexander de Hales eruditè admodum hanc differentiam animadvertit... inquit enim: Alia etiam est ratio huius, quia hoc

⁽¹⁴⁾ Editio, p. 174, 382.

⁽¹⁵⁾ Editio, p. 35.

⁽¹⁶⁾ Editio, p. 195.

sacramentum, quod Novae Legis est, debet habere rem praesentem sicut et alia. Sed quia res huius sacramenti est substantia, scilicet corpus Christi, res aliorum est accidens, quod est gratia Spiritus Sancti; et accidens quod est gratia non est natum esse in subiecto corporeo neque per seipsum nisi in anima. Substantia vero per se nata est esse in corpore, ideo in hoc sacramento res est non tantum significata sed etiam contenta, in aliis vero significata et quodammodo effecta» (17).

Qua quidem praestituta Christi praesentia substantiali, recto tramite infert coniunctionem, quam Eucharistia efficit immediate inter substantiam Christi et substantiam fidelium instaurari (18).

At cordatum theologum minime fugit difficultas, quae inde emergit: «At si nobis ex eodem Aristotele obiiciat naturalia omnia determinatam habere quantitatem per quam duo corpora naturaliter uniantur, corpus vero Christi in hoc sacramento quantitatem habere, quae substantiam consequitur, carere autem quantitate extensiva in ordine ad species atque ideo nequaquam coniunctionem ipsius corporis cum nostro corpore naturalem dicendam esse. Huius obiectionis facilis est solutio cum christiano notum sit id quod corporis sensibus in hoc sacramento secundum nudae naturae proprietatem insensibile est, sub extranea specie, visibilis scilicet creaturae assumpta, sensibile esse. Eodemque pacto verum Christi corpus quod in Eucharistia spirituali modo est atque ideo sensibile sub aliena specie corporaliter tangi, manducari et videri vere creditur, eo etiam modo, quo corporaliter tangitur, manducatur et videtur, corporaliter etiam coniungitur et unitur» (19).

(17) *Editio*, p. 196-197.

(18) Huc totum opus, ut vel leviter legenti patet, conspirat.

(19) *Editio*, p. 139. Alibi scribit: «Quantum ad divinam clementiam attinet, nullis propriis dimensionis extensivae terminis mediis in nobis manere vult corpus suum sine propria quantitatis in ordine ad species dimensione extensioneque nobis edendum dat (nam non caret ea quantitate quae substantiam necessario consequitur) in unum nos corpus reduxit... Quare non iam rem incredibilem arbitremur aut immane errasse iudicemus dicentem corporalem de qua agimus coniunctionem non indigere hac extensiva, quam tantopere necessariam humana ratio existimat, quantitate. Neque etiam si asseratur non ita intime corporaliter substantialiter coniungi, quod per quantitatem contiguam conglutinatur atque illud quod per

Profecto solutio hic adumbrata nullatenus satisfacere deprehenditur unde sollers auctor novis rationibus congestis omnem dissipare difficultatem contendit: «Receptum est non desinere verum Christi corpus esse sub accidentibus panis et vini, quamvis spirituali modo se habeat. Non etiam deest modus, quo spiritualia ipsa corporalibus substantialiter uniantur, ut videre est in unione humanae naturae ad Verbum Dei, in coniunctione etiam animae ad corpus, neque difficile quoque divinae sapientiae fore vere et realiter Christum corporali etiam coniunctione in Eucharistia nobis uniri nosque secum unum efficere absque ulla naturae suae mutatione absque ulla etiam naturali carnis nostrae conversione absque eo quoque quod ipse Christus forma corporis nostri substantialis sit» ⁽²⁰⁾. Et Paulo infra addit: «Inquiramus quo pacto nostro corpori uniatur Christi corpus. Nam licet vere et substantialiter in Eucharistia sub speciebus panis et vini continetur, sacramentali tamen et spirituali modo se habet alienumque ab illa quantitate extensioneque quam exigit naturalis illa unionis coniunctionisque ratio a philosophis tantum agnita ac naturae legibus consentanea. Quamobrem merito difficilis admodum praefate naturalis unitas videtur, quae cum non sit hypostatica neque informativa quoque est, quia corpus Christi anima sua informatur nostri quoque corporis anima nostra sola est forma substantialis. Neque enim eo modo esse potest quo accidens subiecto adhaeret, nam in Eucharistia corpus Christi natura substantiaque est et non accidens. At difficultas haec facile dissolvetur si animadverterimus corpus Christi in Eucharistia citra circumscriptionem et suarum partium ad partes circumiacentis corporis ordinem, ita quod locum occupet superadmirabili certe modo immensa Dei potentia, qui omnia portat verbo virtutis suae, subsistere nullumque locum per circumscriptionem occupare neque in sumente tamquam locatum in loco esse, quod absque dimensionibus quantitati adscriptis fieri nequit. Iam cum sub-

ipsammet substantiae corporisque veritatem unitur. Non enim unum tantum dicitur quod quantitate solum unitum est, neque substantialiter corporaliterque uniri desinet, quod quantitatis dimensionibus caret». *Editio*, p. 217.

⁽²⁰⁾ *Editio*, p. 217.

stantia quatenus solum substantia est locum non occupet si quatenus est sub dimensionibus quantitatis, diversa admodum res est coniungi uniri que corpus Christi nobiscum quatenus substantia est et sub dimensionibus quantitatis contenta uniretur coniungereturque, si naturae legibus aut metis definitum circumscriptumque foret» ⁽²¹⁾.

Cum autem vel hic conatus impar esse necessitati appareat, paucis interiectis, dicendi finem imponit ad divinam appellans omnipotentiam: « Profecto, inquit, non deest divinae maiestati modus, quo corpora dimensionibus quantitatis quodam modo carentia corporibus sub ipsis dimensionibus contentis connectantur » ⁽²²⁾.

Post aliquot tandem paginas singularem modum divinae maiestati consentaneum ita describit ut omnem diluat difficultatem atque donum christificum summis adumbret lineamentis: « Cum Christus ipse vere et per substantiam suam in sacramento Eucharistiae sit et per sacramentum intra ipsum hominem existat, virtus quaedam ab ipsa Christi substantia emanans in totum hominem et quamlibet eius partem diffunditur, qua substantialiter totus homo toti Christo uniri dicitur, non quia tota Christi substantia tota sit in toto homine et qualibet eius parte (est enim per substantiam hoc modo sub speciebus tantum quamdiu durant) virtus tamen substantiae eius defluxa ab ipsa Christi substantia intra hominem mediis speciebus vere existentis, totam hominis substantiam et quamlibet eius partem recreat atque reficit » ⁽²³⁾.

Hoc sane pacto iam in antecessum soluta manet difficultas quam paulo inferius sub alia forma sibi fingit Cardinalis per-sentiens non defuturos esse qui huiusmodi unionem repugnantem existiment « quia ex ea innui videtur carnem Christi digne a nobis susceptam species sacramentales egredi ut caro nostra ab ea attingatur » ⁽²⁴⁾. Porro secundum auctoris mentem non carnea Christi moles ex speciebus erumpit, sed virtus ex sub-

⁽²¹⁾ *Editio*, p. 218.

⁽²²⁾ *Editio*, p. 220.

⁽²³⁾ *Editio*, p. 238.

⁽²⁴⁾ *Editio*, p. 239.

stantia Christi intra specierum ambitum contenta scatet, qua tota hominis natura veluti permeatur: «Carnea, inquit, corporis Christi moles animam non penetrat, sed gratia quaedam... animam et corpus, hoc est totum ipsum hominem reficit atque recreat mirifice» (25).

2. Quae virtus, Mendoza doctore, proxime quidem emanat a Christi humanitate remote vero ab eius divinitate, vel aptius a toto promanat Christo, principaliter a divinitate et instrumentaliter ab humanitate, adeo ut coniunctio, quae inde sequitur inter Christum totum, Deum et hominem, et integram fidelium substantiam intercedere dicenda sit.

Id saepe et perspicue Card. Burgensis asseverat. Nam hinc eum minime latet Patres tribuentes carni Christi eucharisticae vim atque efficaciam vivificandi, id fecisse spectantes carnem dominicam non sepositam sed in sua actuali hypostatica coniunctione cum Verbo Divino (26), inde vero thomisticam doctrinam de indole instrumentali humanitatis Christi libentissimo amplectitur animo passimque recolit atque illustrat (27). Quin immo ex praesentia sacramentali totius substantiae humanitatis dominicae qua coniuncti instrumenti divinitatis uberio-rem repetit gratiae infusionem et intimiorem unitatem inde exurgentem: «Christi corpus carni nostrae cognatum a nobis pie manducatum instrumentumque coniunctum atque corporeum nostrae salutis existens, quomodo non magnopere carnem etiam nostram praeparat ac per animam ipsam virtus carnis vivificatricis uberius defluat in corpus adeo intime sibi coniunctum?» (28) et alibi: «Gratia, quae licet in reliquis sacramentis a Christi divinitate per eius humanitatem profluat, quae Christi humanitas solum secundum virtutem reperitur, in hoc tamen secundum rem esse constat. Unde fit ut copiosior etiam esse possit, si causam respicias, quae ab hoc profluit quam quae ab aliis» (29).

(25) *Editio*, p. 159, cf. p. 239-240.

(26) Cf. *Editio*, p. 108-112, 161, 164, 167.

(27) Cf. *Editio*, p. 44-45, 126-127, 255-256.

(28) *Editio*, p. 181.

(29) *Editio*, p. 126.

3. Virtus autem, cuius fontem modo indicavimus, non est quid materiale et veluti quantitatis legibus obnoxium, sed ipsa gratia sacramentalis Eucharistiae. In hoc affirmando instat Eminentissimus cum quidam duriusculi dicendi modi, hic illic disiecti, in malam flecterentur significationem ab adversariis: «Cum talis unio non fiat ex eo quod caro Christi carni digne sumentis ipsa extensive et quantitative coniungatur, neque ab aliqua virtute corporea ex Christi carne promanante, quae in digne sumentis carne inprimitur, consequitur ab aliqua virtute spiritali proficisci, quae primo animam deinde carnem Christo capiti connectit, nec aliam arbitrantur hanc virtutem spiritali esse, quam gratiam, quam sacramentalem B. Thomas appellat quae in animam illabitur et eius virtus in carnem profluit et redundat, quae gratia a divinitate Christi promanans per humanitatem animae latebras penetrat subinde per virtutem in corpus derivatur» ⁽³⁰⁾; «Intelligatur semen illud quod ad immortalitatem et incorruptionem carnem nostram praeparat, non aliunde provenire quam ab ipsa gratia sacramentali, quae digne Christi corpore sumpto proficiscitur in corpus nostrum per animam et inspergitur» ⁽³¹⁾; «Radix et origo naturalis nostrae cum Christo unitatis ipsa gratia est, quae secundum habitudinem in anima habetur, ab hac enim virtus omnis in corpus promanat atque profluit» ⁽³²⁾.

Haec autem gratia sacramentalis tam affluenter ex corpore Christi erumpit, sicut paulo superius monebamus, ut Eucharistia veluti «omnium sacramentorum consummatio et perfectio» ⁽³³⁾ habenda sit, qua «inchoata baptismi incorporatio» ad fastigium perducatur ⁽³⁴⁾ atque cetera omnia dona «mirum in modum perficiantur» ⁽³⁵⁾.

4. Gratia sacramentalis tanta copia ab Eucharistia scatens, Mendozae opinione, non modo animam attingit verum etiam

⁽³⁰⁾ *Editio*, p. 396.

⁽³¹⁾ *Editio*, p. 331.

⁽³²⁾ *Editio*, p. 180-181, cf. p. 159, 393.

⁽³³⁾ *Editio*, p. 119.

⁽³⁴⁾ *Editio*, p. 119, 170-171.

⁽³⁵⁾ *Editio*, p. 120.

per animam diffunditur atque mirum in modum propagatur in totum corpus, ita ut spiritu corporeque toti nos reficiamur atque recreemur. Huc omnes auctoris paginae conspirant idque tantopere inculcatur ut nonnumquam satietas provocetur. Cum igitur de facto nullus ambigendi locus sit relictus, de modo inquirendum manet. Porro ad instar inconcussi principii haec Card. Burgensis asseverat: « Consentaneum est theologorum omnium sententiae asserentium omnem vim ac virtutem per animam in corpus influere » ⁽³⁶⁾, quod alibi paulo fusius illustrat: « Nam bonum omne ab anima corpus accipit, quodque corpori confert participatio nominis et naturae quam habet, anima est; ab anima enim corpus animatum vivit et sentit, quod ex se non habebat. Corpus etiam ipsius Christi mediante animae ad Verbum unione vivificum deificumque factum est. Cum ergo anima animet sicut ignis penetrans ferrum ignitum reddit et ipsum flammescere et urere contra suam naturam facit, non dubitandum est ex participatione divinae gratiae in anima corpus nostrum divinae etiam gloriae participationem assequuturum praesertim vivificatricis Christi carnis particeps effectum unitumque ipsi Christo, praeter vim contactivam spiritualem, secundam vim illam, qua vere corpus Christi in hoc sacramento tangitur et gustatur. Hoc certe Christi corpus carni nostrae cognatum a nobis pie manducatum instrumentumque coniunctum atque corporeum nostrae salutis existens quomodo non magno opere carnem etiam nostram praeparat ac per animam ipsam virtus carnis vivificatricis uberius defluat in corpus adeo intime sibi conglutinatum? » ⁽³⁷⁾.

Anima profecto, utpote quae proprium gratiae subiectum, primo et principaliter recipit virtutem eucharisticam, quam in corpus secundario influit: « Christi humanitas eo quod Verbo Dei, cui corpus unitur, per animam coniuncta sit, vim habet influendi ac emittendi ex se virtutem in hominum animam ac corpus pariter, quae primario in animam, secundario autem in corpus promanat » ⁽³⁸⁾.

⁽³⁶⁾ *Editio*, p. 237.

⁽³⁷⁾ *Editio*, p. 181.

⁽³⁸⁾ *Editio*, p. 335.

Sed cum id asseri queat de omnibus gratiae infusionibus, noster theologus discrimen in eo reponit, quod in ceteris sacramentis hoc accidit veluti ex redundantia, haec vero « suapte vi ac proprietate tamquam corporeo instrumento corporique nostro cognato » (39).

5. Virtus hucusque illustrata, in qua ultimo consistit donum christificum, cum in animam penetrat et in corpus propagatur utrumque intime et mirifice immutat atque transformat non quidem substantialiter, bene vero accidentaliter: « Conversio utraque (baptismi et Eucharistiae), diversus autem conversionis modus. Illa enim per dilectionem haec reipsa per verum Christi corpus naturali unione nostrae carni agglutinatum. In utraque accidentium mutatio conversio appellatur. At haec quae per Eucharistiam fit, quoniam carni propriae Christi congenerem et carnem nostram conformem et omnino similem divinae eius naturae participatione reddit, in carnem ipsius converti vel transire vel transmutari dicitur, non quia ipsius animae aut corporis essentia transmutetur, sed quia sanguinem suum nostris cordibus immiscens, suam ipsius vitam, hoc est essentiam vitae in nobis inserit, nam veteri homine deposito novoque induto non iam terreni sed caelestis Adam imaginem portamus » (40); infra, paulo aliter: « Animadvertendum est quod dum mens in Deum transformatur, ipsa mentis substantia, quae est anima non mutata permanet, accidentia vero nova succedunt, non carnalia sed deiformia. Diversus omnino itaque est modus in hac nostra in Christum transformatione ab eo, qui est in conservatione Eucharistiae. Nam hic panis transubstantiatur in corpus Domini remanentibus accidentibus » (41).

Quam profecto doctrinam aliq̄ in loco apta illustrat comparatione ex ferro ignito deprompta: « Ceterum in Christi corpus transire aut mutari aut carnis nostrae substantiam corporis et sanguinis Christi Eucharistia consistere dicitur, quia natura nostra mortalis in naturam transit alimenti dominici sump-

(39) *Editio*, p. 381, et p. 137.

(40) *Editio*, p. 198.

(41) *Editio*, p. 204, cf. p. 198.

ti immortalem non secundum substantiam sed secundum incorruptionem et immortalitatem. Ac perinde ut ferrum igni iniectum non in igne in ferrum transformato, sed e diverso ferro qualitates ignis induente, ardorem scilicet candorem et splendorem accipit et ceteras eius conditiones, ita nos corpore et anima Christi corpori copulati corporis ipsius qualitates induimus. Haec igniti ferri comparatio ut similitudo sumenda est, quae cum in aliquo cum re collata conveniat etsi in aliis differat, satis apta censenda est. Caro enim Christi digne sumpta est velut ignis fervens, anima vero quae pie sumit veluti ferrum igne candens, ignis proprietatis ac igneam speciem prae se ferens. Caro vero animae obsequitur dum igneo illo Christi calore ardet quod per Eucharistiam maxime fit, per quam a concupiscentiis et vitiis carnalibus maxime avocatur atque abducitur» ⁽⁴²⁾.

6. Vi praefatae transformationis non modo anima eiusque facultates verum etiam corpus eiusque potentiae christiformes evadunt non secus ac vi gratiae sanctificantis fideles esse et operari deiforme sortiuntur.

Haec a longo exscribendo textu minime abstinere possumus cum in eo mendoziana theoria suam attingat ἀκμήν: «Concludamus ergo hanc nostram cum Christo per dignam corporis eius sumptionem coniunctionem naturalem et substantialem maxime appellari, quia est naturae ad naturam et substantiae ad substantiam et corporis ad corpus et carnis ad carnem et naturae intra naturam et substantiae intra substantiam et corporis intra corpus carnisque intra nos per sumptionem sanctissimi Christi corporis. Secundo quia manentis in manente scilicet corporis, carnis, naturae, substantiae in nobis imo et nos in ipso et ipse in nobis manere dicimur post dignam sumptionem Eucharistiae. Item quia inexistentis cum inexistente, scilicet corporis, carnis, naturae, substantiae in nobis. Item quia unio haec facta est non solum per actionem voluntatis et intellectus Christi Salvatoris volentis eam fieri tantum, sed per influxum divini sui corporis in animam et corpus nostrum

⁽⁴²⁾ Editio, p. 209.

eo quo dictum est modo; non, inquam, per actionem moralem eam tantum efficiens sed per vim corporis et virtutem influentem quam ex divinitate participat. Influentem, inquam, in nostram animam et inde in nostrum corpus; quia non est unio solum fidei et caritatis neque actio aut habitus aliquis intellectus nostri aut voluntatis solum quo cum illo naturaliter coniungimur, sed donum quoddam divinum datum in essentia ipsius, quod donum exprimi satis non potest; quia sicut gratia per fidem et dilectionem est in animae essentia secundum S. Thomam⁽⁴³⁾, quae quidem gratia participatio divinitatis est et esse divinum animae et vita eius elevans animam ad altiores operationes et diviniore et ex ipsa perficiens eius potentias variis infusis virtutibus et per hanc ipsa anima et eius essentia deificatur et fit deiformis et Deus manet in tali anima et est in ea per gratiam et ita essentia animae unitur Deo mediante gratia, deinde per fidem et caritatem aliasque virtutes unitur secundum potentias et operationes ut ipsae etiam deificentur sicut animae essentia, ita et potentiae et operationes per haec dona. Ita etiam per Christi corpus intra viscera nostra immissum communicatur nobis peculiari divini eius corporis et sanguinis ratione donum quoddam, quod scilicet est vita nostra christifica seu divina et esse quoddam christificum, et divinum, quod cum ab ipso gratiae fonte, Christo scilicet divinoque eius corpore proficiscitur atque ex vita et esse corporis Christi derivatur in animam et corpus nostrum; quo quidem nullis verbis satis exprimi potest ad quantam dignitatem caro nostra immunda carni Christi mundissimae connexa elevatur. Nam sicut per gratiam anima elevatur ad altiores operationes et perfectiones ac qualitates, ita etiam per hoc donum omnis nostra essentia fiat christifica et christiformis; quod quidem donum dicitur vere et est participatio quaedam corporis Christi; et per hoc donum, quod per ipsam veram Christi naturam in Eucharistia communicatam fideles consequuntur, Christus eiusque corpus substantialiter naturaliterque unitur nobis et manet in nobis sicut Deus etiam manet in anima

(43) *Summa Theologica*, I. II, q. 110, a. 3; III, q. 62, a. 2.

per fidem et dilectionem; ac demum ex hoc dono rursus in ipso corpore et eius potentiis ea omnia quae antea dicta sunt pariter ex ipsa anima derivantur dona. Sicut enim ex gratia in anima et sicut ex vitâ naturali nascitur sensus et motus, videlicet ii aut similes effectus concupiscibilem et irascibilem reprimere. Sequitur etiam castigatio corporis et fomitis quasi extinctio, subiectio eius spiritui et obedientia et incorruptio; imo et interim sanitas corporalis et lux seu splendor ac lumen. Interim quoque quod in sanctis et eorum facie solet aliquando splendere et agilitas, imo denique divinum quoddam ius ad illa futurae resurrectionis dona, imperfecte et inferiore in praesenti vita gradu, habituris postea perfecte ea in gloria. Nam fit hoc corpus spirituale imperfecte, et fiet postea perfecte ut gratia et caritas et Dei cognitio hic sunt imperfecta postea vero in gloriâ erunt perfecta et omnia ex Christo ad nos derivata seu a Deo per Christum. Per hanc vero unionem similes omnino effici videmur et transformamur et transmutamur in Christum; quae transformatio et transmutatio talis unionis eiusmodi similitudinibus a Sanctis Patribus declarata sit hoc ipso libro dicitur. Quibusdam enim visum est comparari posse ferro ignito aut vitro quod splendet et fit lucidum soli expositum, sive fermento et massae ceraeque ali cerae infusae» ⁽⁴⁴⁾.

7. Anima autem et corpus eorumque facultates christiformes evadunt in quantum vi transformationis modo descriptae in eis veluti adumbratur imago atque similitudo Christi per quamdam proprietatum participationem, quibus gaudent anima et corpus dominicum vi Unionis Hypostaticae.

Id sexcenties affirmat auctor noster. Ex copiosa messe quaedam tantum decerpimus: «Assimilamur et non tantum per gratiam voluntatis ipsius secundum communes humanae naturae qualitates, secundum quas ipse nobis similis factus est, sed etiam per eius corporis dignam sumptionem secundum hypostaticas vivificatricis eius carnis et spiritus in gratuitis et naturalibus proprietates et perfectiones» ⁽⁴⁵⁾: «Gemi-

⁽⁴⁴⁾ Editio, p. 176-177.

⁽⁴⁵⁾ Editio, p. 135.

nae eius naturae proprietatum consortem efficiuntur» ⁽⁴⁶⁾; «Carni propriae Christi congenerem ei carnem nostram conformem et omnino similem divinae eius naturae participatione reddit» ⁽⁴⁷⁾; «Virtus enim ex eadem Christi carne promanans, carne nostra carni Christi copulata, spiritu etiam nostro spiritui eius adhaerente a multis imperfectionibus liberat dum proprietates carnis Christi similes caro nostra haurit atque quoad eius fieri potest spiritualis redditur» ⁽⁴⁸⁾; «Virtus omnis defluit, quae perfecte spiritum et corpus nostrum configurat imagini illius, qui est caput nostrum» ⁽⁴⁹⁾.

8. Ex haecenus dictis plane colligitur sequi intimam inter fideles et corpus Christi unionem ex digne sumpta Eucharistia, quae tamen nullo pacto hypostatica vel substantialis vel informativa dici queat.

Ceterum ipse Mendoza has uniones, quae monstruositatem redderent, data opera longe propulsat ⁽⁵⁰⁾.

At si res ita se habent curnam singulis fere paginis repetit usque ad nauseam unionem per Eucharistiam instauratam non esse tantum spiritualem sed etiam naturalem? Profecto auctor sibi constare non videtur cum denegata unione hypostatica, substantiali, informativa ei non supersit nisi spiritualis, qualem omnia inducunt sacramenta. Ad molestam difficultatem diluendam, quae passim ab adversariis urgetur, tot invehit distinctiones subtile ingenium, ut illud quocumque sequi haud facile negotium sit. Hic eius doctrinam ita summam referimus, quae tamen ad eiusdem mentem aperiendam impar non sit. Movet a declaranda notione verborum «unitas» et «naturalis». Porro secundum Praesulem Burgensem multis Sanctorum Patrum dictis fretum «constat unitatem sive unionem non significare identitatem solum substantialem, qualis est per circumcessionem inter Patrem et Filium, neque hypostaticam ut est divinae et humanae in Christo naturae sed etiam convenien-

⁽⁴⁶⁾ *Editio*, p. 160.

⁽⁴⁷⁾ *Editio*, p. 198.

⁽⁴⁸⁾ *Editio*, p. 244.

⁽⁴⁹⁾ *Editio*, p. 324, cf. 123, 132, 137, 166, 168, 172-173; 197-199; 381.

⁽⁵⁰⁾ *Editio*, p. 128, 139, 382.

tiam communionemque quamdam rerum inter se distantium, quae unum fieri dicuntur quum communiōne inter se cōeunt et commiscuntur» ⁽⁵¹⁾. Si haec tantum sane ad unitatem constituendam postulatur ea adamussim adimpleri in communiōne eucharistica nemo est qui non videat.

Praeterea secundum Mendozam «naturale» sensu latiori at proprio id omne dicitur, quod Deus largitur cuilibet naturae dummodo hoc habeat esse specificum in ipsa natura nec sit contra eius intimam constitutionem «licet ea quae nobis accidunt voluntate et gratia divina non dicantur *naturalis* proprietates quia non profluunt a natura sed a principio extrinseco, habent tamen esse naturale et specificum ac si eadem producerentur ab agente naturali» ⁽⁵²⁾. Et recto tramite concludit: «Cum itaque ab hoc divinissimo sacramento ex divinitate Christi per eius humanitatem donum illud et proficiscatur... quod habeat secum esse specificum, quisquis eo dono participat naturali unione participat» ⁽⁵³⁾.

Ita profecto et indole supernaturali unionis eucharisticae nullo pacto derogatur et eius asserta «naturalitas» nullum negotium philosophicum facessit, etsi loquendi ratio nimis peregrina dicenda est et latinis auribus insolens.

Art. III

De unionis eucharisticae perseverantia

I. Card. Mendoza passim affirmat naturalem unionem vi christifici doni inter fideles et corpus dominicum instauratam non evanescere resolutis speciebus, sed tamdiu durare quamdiu communicantes in gratia perseverant: «Est igitur spiritualis virtus, quae a corpore Christi in animam nostram ac per animam in corpus derivatur ab ipsamet Christi substantia promanans. Quo fit ut absente Christi substantia per corruptionem specierum non absit haec unio Christi cum toto homine, quia non abest virtus substantiae Christi animae hominis et toti car-

⁽⁵¹⁾ *Editio*, p. 131.

⁽⁵²⁾ *Editio*, p. 135.

⁽⁵³⁾ *Editio*, p. 135, cf. p. 122.

ni integre et absque divisione aliqua digne corpus Christi summenti communicata » ⁽⁵⁴⁾.

Quod autem hic illis primoribus tetigerat labiis ex professo docet, multis SS. Patrum testimoniis congestis, in libro III, cap. 27: « Si quaeras tamen quanto tempore haec unio naturaliter maneat cum per eam aliquid de natura Christi nos habere, Hilarii, Cyrilli, Chrysostomique et aliorum Patrum sententia sit, quibus aperte B. Thomas subscribit, dubium non est quin vis et virtus eius in nobis maneat quamdiu vivimus, si coniunctio spiritualis durat ac per sanctarum Christi virtutum imitationem coniuncti ei sumus, aptam cum illo compagem atque substantialem quam cum ipso adepti sumus unionem servantes. Si vero de corpulenta Christi substantia scire velimus quamdiu carnaliter manentem in nobis habeamus, equidem ita sentio tamdiu isto pacto carnaliter in nobis manere quamdiu species ipsae panis et vini in nobis non mutatae manent. Advertendum tamen est non metiendum esse tempus naturalis nostrae cum Christo unionis cum hac specierum sacramentalium duratione » ⁽⁵⁵⁾.

Ut suum autem illustret assertum ad thomisticam provocat doctrinam de indole instrumentali humanae Christi naturae, vi cuius humanitas Christi etsi distans supposito, est tamen praesens virtute in effectu cum disponat seu modificet principalem Dei actionem, quae utpote infinita nullam patitur temporum et locorum distantiam ⁽⁵⁶⁾.

Hinc infertur tamdiu durare influxum non modo divinitatis verum etiam Christi humanitatis quamdiu perseverabit in suscipiente peculiaris effectus, cuiusmodi est donum christificum; per id enim per quod aliquid incipit per idem perseverat.

Heic operae pretium est amplum exscribere textum prae-fatam doctrinam plane redolentem: « Si quis autem ex adverso steterit ac dixerit, in eo quoque qui digne Eucharistiam ac-

⁽⁵⁴⁾ *Editio*, p. 238, cf. p. 243-244.

⁽⁵⁵⁾ *Editio*, p. 254.

⁽⁵⁶⁾ Cf. *S. Th.* III, q. 13, a. 2; q. 48, a. 6; q. 50, a. 6; q. 51, a. 1, ad 2; q. 56, a. 1-2; q. 57, a. 7, ad 1.

cipit non manere corpus Christi corruptis speciebus panis et vini et subinde dissolvi hanc naturalem unionem, animadvertere oportet Christum esse Deum et hominem, qui quidem sicut ubique est immensive secundum divinitatem, ita est ubique virtute et potestate secundum humanitatem quae est instrumentum coniunctum per Dei Verbum divinitati. Etenim sicut ad universa opera gratuita quae Christus quatenus Deus operatur in iustificandis et glorificandis electis concurrunt sacramenta a Deo instituta tamquam remota quaedam instrumenta, ita concurrit ipsa Christi humanitas tamquam instrumentum sibi personaliter coniunctum ad universa illa opera perficienda, ex quo confertur quod sicut Christus quatenus Deus manet semper unitus speciali quodam et eminenti modo ei qui digne Eucharistiam communicavit quamdiu in gratia Dei perseverat, ita et secundum quod homo quamdiu manet in sumente digne, non corruptis speciebus, ineffabiliter ac naturaliter secundum corpus in eo manet eum fovens et perficiens, ita corruptis speciebus cum corporaliter ibidem desinit esse, manet in eo specialiter virtute et potestate ac efficacia ab ipsa Christi humanitate reipsa in hoc sacramento contenta, eundem fovens atque perficiens. Attingit enim humanitas Christi tamquam instrumentum eius divinitatis ad universa opera quantumvis varia atque distantia quae ad gratificandos et iustificandos electos pertinent, ad quae proferuntur. Ita demum fit ut Christus sit omnia in omnibus utpote vera Dei sapientia attingens a fine usque ad finem fortiter et disponens omnia suaviter»⁽⁵⁷⁾.

2. Paulo supra audivimus Mendozam asserentem: «Dubium non est quin vis et virtus eius in nobis maneat quamdiu vivimus, si coniunctio spiritualis durat»⁽⁵⁸⁾; illud profecto incisum «quamdiu vivimus» insinuare videretur nobilissimo doni christifici beneficio destitui corpus nostrum post animae separationem. Sed alibi auctor incunctanter affirmat: «Vivifica carnis Christi virtus in cineribus etiam eorum, qui post esum huius divini in gratia decesserunt, haeret»⁽⁵⁹⁾.

⁽⁵⁷⁾ *Editio*, p. 255-256.

⁽⁵⁸⁾ *Editio*, p. 254.

⁽⁵⁹⁾ *Editio*, p. 333, cf. p. 393.

Munus autem huius inditae virtutis est disponendi corpus ad gloriosiore[m] resurrectionem: « Quare... sententia multorum est vim atque virtutem ex hac naturali unione, quam carni nostrae inseri dicimus, qua corpus nostrum ad gloriam et incorruptionem praeparatur et renovatur, a virtute spirituali proficisci, quam nullam aliam existimant, quam gratiam sacramentale, ut cum B. Thoma loquar, quae, ut saepius diximus, a divinitate Christi profecta per humanitatem animae latebras penetrat et secundo, secundo, secundum virtutem, in corpus redundat. Secundo, inquam, non per se et principaliter, ut a sententia theologorum dicentium corpus in rem incorpoream imprimere non posse, haud recedamus » ⁽⁶⁰⁾. Ibidem ut suam fulciat doctrinam ad Doctorem Angelicum provocat ⁽⁶¹⁾.

Ast de intestina ratione, qua virtus spiritualis perseverare queat in subiecto corporeo alte silet.

Art. IV

De unionis eucharisticae consecrariis

Singularis profecto unio vi Eucharistiae instaurata sequelas secumferre nata est, quae in universam refundantur aecomiam supernaturalem.

Cum de his fusiori calamo agat eminentissimus theologus per integros libros IV et V, hic ita summa eius doctrinae capita tangimus, ut inde logicus trames emergat, minutiora lectionis relinquentes.

1. Tanta sane necessitudine coniunguntur digne communicantes cum Christo capite ut unio instituat[ur] qua maior cogitari nequeat post nexum quo tres Augustae Triadis personae colligantur, post ineffabilem coniunctionem duarum naturarum in unica persona Verbi. Nam, doctore Mendoza, haec copulatio antecellit unioni physicae capitis cum membris, parentum cum filiis, formae cum materia: « Verum ut quam arte,

⁽⁶⁰⁾ *Editio*, p. 393.

⁽⁶¹⁾ *S. Th.* III, q. 79, a. 1, ad 3.

quam intime Christus nos sibi uniat intelligatur silentio praetereundum non est maiorem nonnullis eximiiis viris hanc unionem visam esse quam corporis uniuscuiusque cum capite suo coniunctionem aut filiorum cum parentibus; neque desunt qui maiorem etiam asserant esse unionem quam formae cum materia neque absurdum hoc iis videtur qui intelligunt magis uniri speciem intelligibilem intellectui quam formam materiae... sic unitas qua nos sibi conglutinat omnem quae mente concipi potest in rebus creatis superet unitatem; quapropter nulla apta similitudine exprimi potest» (1). Etsi hic illic multas auctor congerit imagines, ut ferri igniti, vitis et palmitis, matrimonii, cerae permixtae et alia id genus, tamen magna industria animadvertit: «Harum omnium nulla nostrae cum Christo unitati ex aequo respondet, fieri enim non potest ut artissime eius unionis proprietates ac vis quae ab immensa in nos dilectione oritur humana ratione exacte et aequae exprimat» (2).

Ex tam arcta unione facili negotio infertur, ut in superioribus monuimus, nostram ad Christum incorporationem per baptismum et cetera sacramenta inchoatam consumari et veluti ad fastigium evehi: «Doctores sacramento Eucharistiae ipsam unitatem perfici tradunt eiusque proprium effectum esse hominis transmutationem in Deum et perfectionem illius incorporationis participationisque, quam baptismus operatur» (3).

Huius autem intestina ratio in eo deprehenditur, quod sacra communio non tantum «mirum in modum fidem et spem auget» (4), sed potissimum quia novum et substantialem nexum cum Christo instaurat: «Christus homo et Deus, homini anima et corpori constanti, spiritu et corpore coniungitur; animae quidem ut Deus, corpori autem ut homo eoque ipso duplici nexu ipse Christus nos sibi coniungit, qui uno tantum Deo, spiritu scilicet copulabamur» (5).

(1) *Editio*, p. 161-162.

(2) *Editio*, p. 162.

(3) *Editio*, p. 170.

(4) *Editio*, p. 171.

(5) *Editio*, p. 232.

2. Ex tam intima ad Christum adunatione pronum est ut fideles eius capitalem influxum perfectius experiantur et subinde caelestia munera affluentius percipiant. Nam secundum Praesulem Burgensem Eucharistia: a) summam gratiam largitur: « Est itaque omnium gratiarum perfectum mysterium nihilque perfectis eoque initiatis deest, quod non abunde praebeat » ⁽⁶⁾; b) et quidem penetrantem non modo per omnes animae laterbras verum etiam per cunctos corporis sinus, ut cum de dono christifico loquebamur vidimus; c) vi cuius vires inferiores rationis et Divini Numinis imperio subduntur atque animae facultates novo ditantur vigore et peculiari vi excitantur ad supernaturaliter operandum ⁽⁷⁾; d) hinc nullum peccati originalis vulnus sine convenienti medicina et ligatura manet: « Ex hac corporali coniunctione congruente medicamine curatur quidquid ex Adae massa in nobis corruptum erat » ⁽⁸⁾; e) hoc pacto veluti in pristinam restituti dignitatem et imaginem novi Adam gerere incipientes eius hypostaticis praerogativis quodammodo insignimur ⁽⁹⁾, adeo ut non nos vivamus sed Christus in nobis vivat et iugiter operetur: « Christus autem iis, qui in ipso vivunt ita omnino est ut omnem visum praebeat, omnia ipsis sit neque sinit aliorum respicere aut aliunde quidquam quaerere. Nullo enim indigent ii in quibus Christus est quod ipse non sit. Gignit enim et auget ac nutrit. Lux est et spiritus, fingit in ipsis oculum seipsum et seipso rursus illuminat atque seipsum videre praestat; nutritor et alimentum est; ipse vitae panem praebet ac quod praebet ipse est; ipso possumus ambulare et ipse est via, refectio quoque et viae terminus; membra nos sumus et ille caput. Certare oportet, ille se socium in pugna exhibet, ille certaminis praeses et iudex. Vinco ego coronat protinus ille. Nulla porro coniunctio atque unio cum hac nostra cum Christo unitate conferri potest. Siquidem Christo vero uniti magis cum ipso connectentur quam ipsemet sibi ipsis » ⁽¹⁰⁾.

⁽⁶⁾ *Editio*, p. 389, cf. p. 117.

⁽⁷⁾ Cf. *Editio*, p. 117-118; 320-321.

⁽⁸⁾ *Editio*, p. 312.

⁽⁹⁾ *Editio*, p. 135-137, 166.

⁽¹⁰⁾ *Editio*, p. 62.

3. At quae copulantur uni tertio uniantur inter se, quomobrem digne sumentes Eucharistiam cum mirum in modum Christo capiti « commassentur » inter se novo et arctiori vinculo nectuntur: « Coniunctione hac cum Christo naturali, mystici Christi corporis membra mente et spiritu ei incorporata corporaliterque coniuncta uno pane vescentia unoque calice participantia arctissimo unitatis nexu inter se invicem conglutinantur » ⁽¹¹⁾.

Hoc sane pacto Incarnatio veluti amplificatur, siquidem plurima speciei humanae individua ad Verbi Incarnati consortium atque unitatem pertrahuntur: « Quia in nobis singulis, qui individuis differentibus subsistimus, corporaliter manere non potest qui integer et indivisus ad dexteram Patris sedet, suam unitatem signanter in Eucharistia multiplicat ut nobis eam distribuat per sacra haec corporis et sanguinis sui mysteria. Ergo digna Eucharistiae sumptio causa est societatis naturalis et unitatis cum Christo, qui cum in assumpta carne de Virginis utero solius unius hominis naturam sibi univit, hac via singulos homines naturaliter sibi connectit » ⁽¹²⁾.

Descripta membrorum Ecclesiae compages et Incarnationis extensio nullam patitur iacturam ex temporis et spatii intervallo: « Christi corpus mysticum etsi non habeat continuitate contiguitateve membra omnia simul unita, non desinit perfectione unum esse cum capite Christo quod nobilius esse quam ipsius corpus verum de Virgine sumptum B. Thomas tradit. Virtus enim divina, quae in Christo est efficit ut cuncta corporis sui mystici membra etsi ab ipso capite disiuncta sint et separata, verius de spiritu ipsius carnisque eius vere vivificatricis vi atque efficacia vivant quam uniuscuiusque nostri corporis membra suo capiti coniuncta de suo spiritu vivunt » ⁽¹³⁾.

Ex intima omnium membrorum cum capite et inter se unitate sponte fluit omnium honorum communicatio: « Sic ergo hac incorporatione communionem quamdam omnium consequuntur qui divinissimi huius sacramenti cum fide et pietate

⁽¹¹⁾ *Editio*, p. 293.

⁽¹²⁾ *Editio*, p. 265.

⁽¹³⁾ *Editio*, p. 198.

participes fiunt. Nam qui seipsum nobis corporaliter participandum dedit, quomodo non omnia pariter secum suis participibus donabit? Quamobrem divinitus illum fidei articulum confitemur, quo credimus Sanctorum omnium communionem. Hanc certe communionem Sanctorum per dignam huius sacramenti sumptionem Christo incorporati obtinent. Ab ipso enim tamquam capite vitalis gratiae spiritus in singula membra emanat quod unicuique membro exhibetur non ipsi tantum confert sed singulis etiam prodest, modo fide et dilectione Christo copulati sint. Nam sine fide et dilectione hanc quam dicimus communionem non obtineri, aut certe non tam affluneter praestari atque Eucharistiae pia fidelisque sumptio praestat orthodoxorum sententia est» (14).

Cum insuper tam arcta sit nostra cum Christo compages pronq sequitur alveo nos omnes in Eucharistiae sacrificio Christum offerre et nosmetipsos in eodem offerri: « Advertendum est non posse Christi corpus et sanguinem in sacramento Patri offerri, quin ut mysticum Ecclesiae corpus cum capite Christo, cui inseparabiliter unitum est, offeratur. Cumque offerens Christi corpus pars et membrum eiusdem mystici corporis sit, in eo simul seipsum offert ac quemadmodum Christum manducans a Christo manducatur, ita quoque Christum offerens in eodem Christo offertur» (15).

Omnes denique in Christo coniuncti et Deo oblati ad arcanam Triadis unitatem quodammodo attollimur, siquidem cum Verbo Incarnato unum sunt Pater et Spiritus Sanctus: « Cum et unitas deitatis sit inter Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, qua Pater et Filius et Spiritus Sanctus unum sunt, perspicuum est non posse nos naturaliter uniri Christo, in quo secundum esse substantiale corporeum deitas est, quin arctissimo et ineffabili vinculo Patri et Spiritui Sancto per Christum mediatorem naturaliter nobis coniunctum uniamur, quandoquidem Christus cum Patre et Spiritu Sancto unitate deitatis unum sit» (16).

(14) *Editio*, p. 290.

(15) *Editio*, p. 295.

(16) *Editio*, p. 272.

CAPUT V

DOCTRINAE FORTUNA

Statim ac doctrina Card. Mendozae innotuit vehemens efferbuit controversia in hispanicis academiis. Theologus enim Burgensis mentem suam, per epistolam forte, nonnullis aperuit doctoribus complutensibus eorumque sententiam rogavit. Hinc discordiae seminarium. Multi, duce Ludovico Legionensi (de León), theologo et poeta celeberrimo ex O.E.S.A., calculum suum novae doctrinae adiecerunt ⁽¹⁾ alii vero plane refragati sunt ⁽²⁾.

Nec dissensus intra chartae et atramenti ambitum contineri potuit, quin in publicas exundaverit disputationes. Refert enim Vasquez: « Inter doctores complutenses, qui opinionem Card. de Mendoza aegre ferebant, unus fuit Petrus Martinez, quem ante triginta quattuor annos contra magistrum meum Isidorum tunc quidem philosophiae professorem postea vero episcopum Mintoniensem, quod opinionem Cardinalis pro viribus defenderet, in complutensi academia acerrime disputantem semel audivi » ⁽³⁾.

Radix non ultima dissensionis in eo reponenda videtur quod nemo fere, si Vasquez excipias, mentem auctoris plene assecutus sit, praesertim quia opus numquam typis impressum omnes fere latuit, qui tantum ex rumore ad aures sibi delato Mendozae doctrinam iudicari posse censuerunt.

(1) H. HENRIQUEZ (+ 1608), *Summa Theologiae Moralis*, Salmanticae 1591, pars II, f. 107: « Multi doctores complutenses consulti a Michaële (sic!) Mendoza Card. Burg. aiunt esse probabile... quod late probat ex Patribus dictus Cardinalis libello de effectibus Eucharistiae ».

(2) Ut refert VASQUEZ mox allegandus. Debitas haec persolvo grates egregio discipulo VICTORIO ALBERTINI, S. Th. Doctori, qui inde ab anno 1942 nonnulla theologorum testimonia humanissime mihi suppeditavit.

(3) *De Venerabili Eucharistiae Sacramento*. Lugduni 1620, disp. 204, n. 5.

Ut fata huius doctrinae summam attingamus omnia tribus perstringimus capitibus. Nam realismum mendozianum nonnulli aperte vel tacite amplexati sunt, plures reiecerunt vel extenuarunt, quidam denique ita provexerunt ut longe ultra mentem auctoris progressi sint.

Art. I

De theologis qui sententiam Mendozae tuiti sunt.

Primus qui Card. Burgensis doctrinam favore prosecutus sit, est, ut modo vidimus, egregius theologus augustinianus Ludovicus Legionensis. († 1591), qui ad praesulis consultationem una cum multis collegis complutensibus respondendum censuit: «esse probabile per Eucharistiam infundi corpori quasdam qualitates, ob quas aptatur resurrectioni» (4). Ex his profecto verbis certo colligitur laudatos theologos praecipuum theoriae mendozianae consecrarium recepisse, unde et totum systema amplexatos esse legitime inferimus.

Secundum autem, qui Mendozae sententiae adstipulatus sit, deprehendimus, incredibile dictu, illum ipsum Petrum Martinez, qui ut acerrime dimicans contra Burgensensem inducitur a Vasquez in modo recitato testimonio.

Martinez enim, qui claruit vertentē saec. XVI «primus Scoti interpres in Complutensi Academia et deinde primarius theologiae professor in Seguntina» (5), in sua enarratione in epistolam Judae primum monstruosam conceptionem de Eucharistiae effectibus Burgensi affingit eamque reicit ut subinde suam adstruat sententiam, quae adamussim fere quadrat cum germana Cardinalis mente!

Hinc vides, candide lector, mirum in modum roborari animadversionem, qua in antecessum monebamus neminem fere

(4) HENRIQUEZ, opere et loco paulo supra allegatis, Cuius naturae sint qualitates, hic non declaratur, at cum Complutenses respondeant Cardinali pandenti suam mentem de spiritualibus qualitatibus quae unum idemque sunt cum gratia sacramentali, eodem sensu locuti esse praesumuntur.

(5) VASQUEZ, *De Venerabili Eucharistiae Sacramento*, Disp. 204, n. 1.

pretationis, cum praefatae qualitates intelligi possint tum ut quid per se stans et indolis materialis, tum ut idem ac gratia sacramentalis in corpus redundans illudque in melius immutans. Primo sensu acceptae temere adstruuntur et merito ab omnibus fere theologis nigro signantur lapillo ⁽¹²⁾, altero sensu vero sumptae genuinam referunt Mendozae sententiam. Porro hanc novissimam interpretationem esse verisimiliorem nonnulla textus verba suadere videntur «altioris cuiusdam et praestantioris conditionis» etc.

Ludovicus Thomassinus († 1695) tandem non ex rivulo mendoziano sed ex ipso SS. Patrum fonte, quorum existit explorator egregius, sententiam hausit de nostra cum Christo physica naturalique unione per Eucharistiam instaurata: «Per Eucharistiam corpus Christi physice efficitur... non caritatis tantum glutino sed physica et naturali copula unumque efficitur cum Christo... Substantive et physice nostrae adglutinavit humanitati idque capiti nostro per Incarnationem membris, idest nobis omnibus per Eucharistiam praestitit. Non ergo cum caritatis dumtaxat nexu sed physice et substantiali vinculo in corpus Christi constringimur et Incarnanti immiscebimur» ⁽¹³⁾.

Art. II

De theologis qui doctrinam Card. Burg. oppugnarunt vel emollierunt.

Si silentio praeteris ignotos theologos, qui ipsi Mendozae litteris significarunt se ab eius opinione dissentire, primus qui Burgensem scriptis oppugnaverit habendus est jesuita lusitanus non infimae notae *Henricus Henriquez* († 1608), magister salmantinus Francisci Suarez, qui novam adstruxit sententiam, quam dynamicam iure appellares: «Non oportet, inquit, fingere naturalem aliquam unitatem aut unionem inter cor-

⁽¹²⁾ Praesertim a SUAREZ, *Disputationes in tertiam partem S. Thomae*, disp. 64, sec. 1; mitius JOHANNES A S. THOMA, *De sacramentis*, disp. 30, a. 5, dico 4.

⁽¹³⁾ *De Incarnatione Verbi Dei*, l. 10, c. 21.

pus Christi et corpus manducantis, aut infundi iusto novas qualitates, quibus tamquam praevis dispositionibus uniantur, praeter habitus infusos et dona Spiritus Sancti, quae semper gratiam comitantur. Satis est ut corpus Christi per species inclinet tum voluntatem caritatemque hominis cum pondere et vigore ad ferventem actum devotionis et amoris qui dicitur unio, tum in proprios etiam actus studiosius inclinet potentias sensitivas corporis ut cogitativam et appetitum et alias vires vigore quodam ut mitigato fomite perseveret in virtutis officio, vincant tentationes et promptius obediant rationi et spiritui moventi ad opera virtutum. Atque his actus ex virtute Eucharistiae et nostra voluntate simul effecti dici possunt novae qualitates per quas indirecte et per redundantiam animae in corpus, Eucharistia dicitur causare puritatem corporis in hac vita, transformare carnem in spiritum, idest spiritui obedientem facere et praeparare ad immortalitatem futuram in resurrectione corporis... Non est in hoc mysterio concipienda alia unio quam inter mobile et motorem intime assistentem» (14).

Cum Henriquez plane consonant *Adamus Tanner* S. J. (+ 1632) (15), *Joannes Wiggers* (+ 1639) (16), *Stephanus Fugandez* S. J. (+ 1645) (17), *Martinus del Prado* O. P. (+ 1668) (18).

Franciscus Suarez (+ 1616) non modo vestigia magistri Henriquez premit sed etiam ultra progreditur hinc mendozianam theoriam acrius insectans inde tenuiorem proponens doctrinam de unitate eucharistica.

Cum primis mentem praesulis burgensis pessime detortam hisce recolit: «Fertur Cardinalem Mendozam Burgensem in libro, quem de hac unione scripsit, quem prae manibus habere non potui, docuisse Christum sacramentaliter

(14) *Summa Theologiae Moralis*, pars II, l. 8, c. 36, n. 2.

(15) *Theologia Scholastica*, Inglostadii 1627, t. IV q. 7, n. 7.

(16) *Commentaria in tertiam partem S. Thomae*, Lovanii 1640, q. 79, n. 4.

(17) *Tractatus in quinque Ecclesiae praecepta*, Lugduni 1632, praec. III, l. 4, c. 5.

(18) *De Eucharistiae sanctissimo sacramento*, Compluti 1667, p. 79, dub. 3,

manducatum non solum fieri realiter praesentem in loco, quem sacramentales species possent sacramentaliter occupare, sed quodammodo diffundi per totum corpus hominis ut toti illi et omnibus partibus eius realiter uniatur seseque illi immisceat» ⁽¹⁹⁾.

Nihil magis alienum a mente Cardinalis, qui tam vigilanter vel umbram huius interpretationis in antecessum propulsaverat: « Virtus quaedam ab ipsa Christi substantia emanans in totum hominem et quamlibet eius partem diffunditur, qua substantialiter totus homo toti Christo uniri dicitur, non quia tota Christi substantia tota sit in toto homine et qualibet eius parte (est enim per substantiam hoc modo sub speciebus tantum quamdiu durant) virtus tamen substantiae eius defluxa ab ipsa Christi substantia intra hominem mediis speciebus vere existentis, totam hominis substantiam et quamlibet eius partem recreat atque reficit» ⁽²⁰⁾.

At Doctor Eximius nimis fidens vulgatae interpretationi faedum monstrum cordatissimo theologo adiudicat eique temeritatis notam inurit: « Verum haec cogitatio non solum improbabilis et absurda est sed etiam plusquam temeraria» ⁽²¹⁾.

Postea multa congerit argumenta ad mendozionam absurditatem susdequevertendam ut tandem suam promat sententiam: « Ex eadem corporali sumptione et quasi permistione, ut Sancti loquuntur, relinquitur etiam post transactam realem Christi praesentiam, moralis quaedam habitudo inter Christum et suscipientem, nam ratione illius contactus speciali titulo censetur hic esse quasi aliquid Christi et Christum habere specialem curam non solum animae sed etiam corporis eius, ut illud sanctificet suaeque gloriae particeps faciat, quae habitudo non manet in eo, qui indigne communicavit, quia obicem posuit effectui sacramenti» ⁽²²⁾.

Ad nomen quod spectat non prohibet quominus adiectiva adhibeantur « substantialis », « naturalis », « realis » etc. at

⁽¹⁹⁾ *In tertiam partem Divi Thomae*, disp. 64, sec. 3.

⁽²⁰⁾ *Editio*, p. 238.

⁽²¹⁾ *In tertiam partem Divi Thomae*, disp. 64, sec. 3.

⁽²²⁾ *Ibidem*.

censet propriissimo appellari « unionem mysticam »: « Proprie vero potest haec unio vocari mystica seu moralis, fundata aliquo modo in corporali vinculo seu mistione, huiusmodi enim est unitas illa, quae est inter coniuges » (23).

Sententiae suarezianae plurimi adstipulantur theologi, quos omnes enumerare viri otiosi est. Praecipui laudantur *M. Becanus* S. J. (+ 1624) (24), *Ae. Coninck* S. J. (+ 1663) (25), *R. de Arriaga* S. J. (+ 1667) (26), *B. Mastrius* O. F. M. Conv. (+ 1673) (27), *A. Reding* O. S. B. (+ 1692) (28), *Salmanticenses* (29).

Gabriel Vasquez (+ 1604), cui inde a teneris fere unguiculis controversia a praesule burgensi excitata innotuerat quique in somni manu codicem mendozianum Toleti versaverat, unus forte deprehenditur, ut supra innuebamus, qui integre Cardinalis mentem assecutus sit. Hinc factum est ut eum hic illic multis cumulet laudibus et ab omni absolvat censura: « Nihil docuit Mendoza quod sinceræ fidei adversetur, nihil enim absurdi ex iis, quæ adversarii illi obieciabant aut ex opinione illius sinistre intellecta colligere sibi videbantur, ille umquam concessit » (30). Attamen marte proprio novam invehit unionis eucharisticæ explicationem, qua longe discedit a laudato auctore, minimismo alinquantisper indulgens: « Ut veram rationem unionis carnis nostræ cum carne Christi, iuxta sinceram et veram Patrum intelligentiam exacte explicemus, supponendum in primis est non fieri secundum rem... aut unione physica... Haec unio carnis nostræ cum carne Christi, ratione cuius dicuntur una caro, unum corpus et membra nostra dicuntur esse membra Christi de carne et de ossibus eius, licet non sit per

(23) *Ibidem*,

(24) *Summa Theologiae Scholasticae*, Parisiis 1689, c. 22, q. 5.

(25) *Commentaria in tertiam S. Thomae*, Antwerpiae 1616, p. 79, a. 8.

(26) *Disputationes in tertiam S. Thomae*, Antwerpiae 1655, disp. 41, n. 218.

(27) *Disputationes in quartum Duns Scoti*, Venetiis 1684, disp. 3, q. 17, a. 1, n. 401.

(28) *Theologia Scholastica*, Einsiedeln 1689, t. VII, q. 6, a. 1, contr. 6, n. 1-2.

(29) *Cursus Theologicus*, tract. 33, disp. 10, n. 10.

(30) *De Venerabili Eucharistiae Sacramento*, disp. 204, n. 1.

solum affectum caritatis, qualis est inter animam nostram et Deum et inter animam nostram et animam Christi, originem tamen habet ex affectu caritatis per proprium effectum consummato» ⁽³¹⁾.

Unio autem caritatis seu amoris potest esse imperfecta quando amantes tantum propinquitate coniungit, perfecta vero quando eosdem veluti mutua compenetratio copulat, ut accidit in coniugibus. Profecto, ait Vasquez, ad instar coniugalis mixtionis quae profecta ex mutuo amore pertingit usque ad corporum compenetrationem habenda est eucharistica unio: «Nam id, quod inter virum et feminam efficit copula carnalis ex mutuo amore profecta tamquam ipsius amoris consummatio, non minore ratione efficere potest consummatio caritatis, quae fit inter nos et Christum in Eucharistia. Cum enim caritas ad hoc perveniat ut non tantum coniungat nos Christo secundum locum sicut etiam solet amor coniungere amantes, ut sua praesentia mutuo perfruantur, sed etiam efficiat ut ipse Christus sub specie cibi et potus intra carnem nostram sit, ut eo spiritualiter alimur: haec coniunctio non tantum habebit rationem cuiusdam propinquitatis inter corpora nostra et corpus Christi, sed etiam rationem unionis propter intimum affectum, quem corpus Christi existens intra carnem nostram, non quomocumque, sed sumptum per modum cibi intra nos operatur: sic enim fit ut sicut maritus post commixtionem cum uxore carnem illius ut propriam aestimare et tractare debet, quia intima illa coniunctio hoc postulat, ut etiam Christus postquam a nobis intra viscera et carnem nostram per modum cibi ex caritate sumptus est, corpora nostra, intra quae recipitur, aestimet et tractet ut propria et ut membra ex carne et ossibus eius» ⁽³²⁾.

Inde concludit: «Ex quo etiam patet hanc unionem moralem seu mysticam esse, eo quod caritas et amor eo modo consummatus efficiat, ut Christus novo titulo corpora nostra tamquam propria aestimet» ⁽³³⁾.

⁽³¹⁾ *Op. cit.*, n. 29-30.

⁽³²⁾ *Op. cit.*, n. 33-35.

⁽³³⁾ *Op. cit.*, n. 35.

Ut vides, in eandem incidit conclusionem, ad quam pervenerat Suarez, quamvis e regione opposita exorsus esset!

Longe igitur dissonant a Mendoza, qui non modo unionem corporum vindicaverat, sed potissimum animorum per donum christiforme asseveraverat: Vasquez et Suarez premunt potius aspectum coniunctionis somaticae et in scopulos navem impingunt, quibus alliditur. Cum tantopere huiusmodi egregii theologi disputationis obiectum immutassent, paulatim controversia elanguit, ita ut aetate sua *Card. Lugo* asserere potuerit: «Iam haec quaestio magna ex parte composita est et reducta ad quaestionem de nomine, in qua de re ipsa vix potest esse dissidium» ⁽³⁴⁾.

Sententia autem vasqueziana tam eleganter concinnata pluribus arrisit theologis, cuiusmodi *J. Granado* S. I. (+ 1632) qui copiose de re agit ⁽³⁵⁾, *N. Ysambertus* (+ 1642) ⁽³⁶⁾, *G. Hurtado* S. J. (+ 1647) ⁽³⁷⁾, *G. Henao* S. J. (+ 1704) ⁽³⁸⁾.

Art. III

De theologis, qui ultra mentem Burgensis longe progressi sunt

Card. Alvarus Cienfuegos S. J. (+ 1739) movet a laudanda doctrina Mendozae (quam non novit nisi per Suarez et Vasquez) et aliorum qui penitus indagare conati sunt intimas unionis eucharisticae latebras, at existimat neminem ad suam usque aetatem omne tulisse punctum, quocirca sibi munus adiudicat altius fodiendi in revelationis agrum ut praetiosam margaritam e tenebris erutam apto colloset anulo, quo suis rutilet splendoribus.

⁽³⁴⁾ *Disputationes scholasticae de Ven. Eucharistiae Sacramento*, Lugduni 1662. disp. 13, sect. 5.

⁽³⁵⁾ *Commentarii in Summam Theologicam*, Granatae 1633, t. 5, Tract. 9, disp. 1, sec. 1-10.

⁽³⁶⁾ *Disputationes in tertiam S. Thomae*, Lutetiae Parisiorum 1639, t. II, q. 79, a. 1, prop. 3.

⁽³⁷⁾ *Tractatus de sacramentis et censuris*, Antwerpiae 1633, t. II, disp. 8, diff. 4.

⁽³⁸⁾ *De Eucharistiae Sacramento*, Lugduni 1655, disp. 13, sec. 3.

Ut autem propriae explanationi sternat viam quaedam de natura « assumptionis » praestituit. Cum Angeli et animae separatae possint corpora movere et assumere quin informet, a fortiori anima Christi poterit hominem assumere, quin informet, quin eius libertatem pessumdet, ea tamen ratione ut paulatim plenam inducat transformationem communicantis in ipsum Christum: « Longe certius est eam virtutem competere animae Christi... quatenus ultra connaturalem modum existendi in corpore proprio physico, quod informat, sortiatur divinitus alium existendi modum in corpore mystico suo, quantumvis numquam illud informando aut substantialiter sub alia ratione vel suppositi vel cuiusvis alterius sibi intrinsece copulando, sed ipsum vere et proprie assumendo... ad se per unionem motoris cum mobili, et quidem ea perfecta similitudine intenta, ut quantum est ex parte et operatione motoris corpus mobile perveniret ad unionem usque transformationis, vi cuius adeo ad vivum exprimeretur motor ipse assumens et movens... ita etiam assiduitate movendi corpus docile inflectit illud sibi que subiicit et despotice dominatur ipsi, ut intimius arctiusque in dies illum dirigens et illi se coniungens, caelesti quadam metamorphosi motorem crederes ipsum motum, si fides non dictaret esse realiter distinctum » ⁽³⁹⁾.

Istud subinde principium ad rem nostram traducit asserens animam Christi, resolutis speciebus, sedem suam figere in corde fervidi communicandis ut eum inde ad illos omnes virtutes exercendas impellat, quibus vita mortalis Salvatoris praefulsit: « In accipiente digno singulariter modo eximiaque dispositione Eucharistiam, corruptis speciebus desinenteque eo ipso corpore et sanguine Christi Domini... neutiquam desinere una cum corpore et sanguine animam beatissimam Christi, sed illico assumere, modo assumptionis proprio hactenus declarato (longe maior est aptitudo animae Christi aut proportio in ordine ad existendum in pluribus locis, quam corporis eiusdem Salvatoris) proindeque Verbum divinum assumere, principalius

⁽³⁹⁾ *Vita abscondita seu speciebus eucharisticis velata*, Romae 1728, disp. 8, sect. 2.

media anima ut instrumento coniuncto, iustum illum augmento gratiae per susceptam Eucharistiam praecedenter ornatum, ne domum inhabitet illam imparatam vel horridam, quamquam ad hunc effectum praestandum ex opere operato praerequiratur nihilominus longe maior et ferventior dispositio, quam ad effectum gratiae solum excipiendum. Requiritur sanctitas seu virtus eximia subiecti ultra fervorem actualem intensum in eius susceptione. Quorum alterutro deficiente nullatenus assequitur communicans nobilem illum effectum. Non iam semper ex integro se per omne corpus diffundens (cum hoc non sit simpliciter necessarium ad assumptionem, licet eo sit plenior et maior, quo magis possideat ipsum mobile) sed in corde et ex corde, ubi animam eiusque potentias simul cum cordis materia, sive cor ut animatum (licet possit latius se diffundere) sumit ad se protegens, regens, movens et sibi subiiciens ut seipsum per assumpti operationes sanctas vitam actionesque eiusdem Christi Domini in carne passibili elicitas aemuletur et exprimet easdemque operationes dignificet altiori modo, ultra dignitatem gratiae sanctificantis et supra illam» (40).

Nihil profecto a sana theologia magis alienum excogitari poterat; singulare tamen sytema plures nactum est patronos.

Etenim amplum Cienfuegos opus adhuc typis edendum magno excipitur plauso a libri censoribus, nempe ab *E. I. de la Raguera* S. J., a *G. Selleri* O. P., *S. Palatii A. Magistro*, a *Ludovico Card. Belluga* (41).

Quin immo *I. B. Gener* testatur: «Assertum istud eucharisticum apud hispanos scholasticos haud vulgari plausu ut plurimum receptum est ipsumque a cathedra scholaribus ac a suggestu fidelibus pervulgatum» (42).

Et quamvis *Thomas Madalena* O. P. († 1746) integro opusculo impugnaverit unionem assumptivam (43), tamen eius ausum retundere statim caeperunt duo S. J. auctores, nimirum

(40) *Ibidem.*

(41) Cf. *approbationes operi praestitutae.*

(42) *Theologia Dogmatico-scholastica*, Romae 1767, t. 1, prodr. 1, cap. 1, n. 61.

(43) *Ludus aestivalis circa fervorem igneum*, de quo agit *GENER*, *op. et loc. cit.*

Franciscus Rabago, sub ementito nomine *Friderici Granvosca* († 1764), et *Pascasius Agramunt* († 1738) sub falso nomine *Ascanii Perea et Hontemar* ⁽⁴⁴⁾. At *Madalena* impigro animo novum edidit opus ad refellendos adversarios ⁽⁴⁵⁾, quo evulgato controversia, quae tantopere efferbuerat, quadammodo sopita est.

⁽⁴⁴⁾ Cf. H. DUTONGUET, *Cienfuegos*, DTC, 2511-2513.


⁽⁴⁵⁾ *Allegatio theologica et certamen eucharisticum*, Caesaraugustae 1734.

CONCLUSIO

Ex hactenus dictis satis constare videtur nostrum auctorem non mediocrem sibi vindicare locum in sacrarum disciplinarum oeconomia et progressu. Etenim Card. Mendoza non modo theologiam scholasticam, prae lucente Victoria, mira cum eruditione sociavit, verum etiam fidem eucharisticam adversus Novatores efficaciter tuitus est. Quin immo primus deprehenditur, qui saeculo XVI in Hispania plene assecutus sit mentem S. Thomae quoad causalitatem instrumentalem naturae humanae Christi et Sacramentorum. Sed maxima eius gloria est quod sententiam protulerit de unione eucharistica tam profundam quam piam eiusque nexum illustraverit cum doctrina de corpore mystico, quod est Ecclesia.

Nunc optandum est, ut alii peritiores, hac fruentes editione, altius perquirant atque explorent mentem nostri auctoris eiusque necessitudinem ostendant cum ceteris eiusdem, superioris et sequioris aetatis theologis, ut inde aequum iudicium tum historice cum theologice proferri queat (1). Nobis satis est aliquid pro nostri viribus contulisse ad theologiam eucharisticam aetatis tridentinae plenius assequendam.

(1) Iam ante evulgatam hanc editionem codicem Mendozae a me repertum nonnullis iuvenibus, de doctrina eucharistica aetatis tridentinae disserentibus, laetus libens tradidi. In votis est ut quam primum eorum elucubrationes publici iuris fiant, veluti mendozianae segetis primitiae. Nuper rescivi editam esse thesim, quam apud Universitatem Gregorianam defendit *A. Volpicella*.



PRAENOTAMINA
AD COMMODAM TEXTUS LECTIONEM

I. AD ALLEGATIONES ET ANIMADVERSIONES QUOD ATTINET:

Sigla usitatiora adhibui, cuiusmodi:


- DB. — *Enchiridion Symbolorum* (Denzinger, Bannwart).
DHGE. — *Dictionnaire d'histoire et géographie ecclésiastique*
(Baudrillart, De Meyer, Van Cauwenberg).
DTC. — *Dictionnaire de Théologie Catholique* (Vacant, Man-
genot, Amann).
PG. — *Patrologia Graeca* (Migne).
PL. — *Patrologia Latina* (Migne).

II. AD CODICIS EDITIONEM QUOD SPECTAT:


Fideliter retuli, quae codice continentur, at nonnullas in-
dixi immutationes, quae ab omnibus legitimae habeantur, ni-
mirum:

1. Breviores scribendi modos, retroactis saeculis usita-
tissimos, semper solvi.
2. Signa, quae puncta et virgulae nuncupantur, quan-
doque imminui, nonnumquam auxili ut opus accommodarem
modernis lectoribus.
3. Quorundam verborum scriptionem in formam, quae
hodie rector existimatur, redegì, v. g.:

Sathana	=	Satana
Charitas	=	Caritas
Caparnaitae	=	Capharnaitae
Tanquam	=	Tamquam
Eundem	=	Eumdem
Nunquam	=	Numquam
Quandam	=	Quamdã
Cohartare	=	Coartare
Quaerela	=	Querela etc.



EPISTOLAE AD PIUM V
ET
PRAEMONITIO AD LECTOREM



SANCTISSIMO

AC BEATISSIMO PATRI D. DOMINO NOSTRO

PIO QUINTO P. M.

FERDINANDUS A MENDOZA ARCHIDIACONUS TOLETANUS

Post sanctorum pedum oscula. Cum iam quatuor abhinc annos Cardinalis Burgensis frater meus quinque hos de naturali cum Christo unitate libros conscripsisset, eosque Beatitudini tuae dicasset, transmissurus statim, nisi inopinata mors omne illius consilium interturbasset, vehementer officio meo defuturus videbar, si fraterni ingenii foetum diutius supprimerem et primatias Beatitudini tuae consecratas usurparem. Nolui itaque neque potui committere, quin eos ad S. T. deferendos curarem, cuius divino iudicio probarentur; ut si B. T. eorum editionem ad christianae reipublicae utilitatem pertinere censeret, eius auctoritate evulgari possint; sin minus, pro suo arbitratu de eis statuat. Tuae enim Beatitudinis sententia merito divini oraculi instar est habenda. Nam cum Christi in terris vicem gerat, quid ipsius Ecclesiae turbulentissimis hisce temporibus maxime conveniat, optime novit; cum in hoc totis viribus incumbat, ut orthodoxa de Sacramento Eucharistiae doctrina integerrima conservetur; cui certe quantum lucis ex hisce libris sit accessurum, Beatitudinis Tuae esto arbitrium * cui eos, et me, meaque omnia pro ea, ac de- f. IV
beo pietate, atque observantia committo. Deus Opt. Max. Beatitudinem Tuam christianae reip. diu servet incolumem. Toleti. M.D.L.XX.
Augusti.

SANCTISSIMO AC BEATISSIMO

PATRI D. DOMINO NOSTRO

PIO V P. M.

FRANCISCUS MENDOZA S.R.E. PRAESBYTER CARDINALIS S. IN CHRISTO

Si nihil a Deo, Pie Quinte P.M., praestantius aut divinius homini tributum esse prisca iudicaverunt, quam quod eum ad imaginem suam finxerit, multo certe sublimius ac divinius donum fuisse a recte fidei mysteria considerantibus existimandum est ipsum Deum secundum plenitudinem temporis hominem fuisse factum, ac postea per augustissimum corporis et sanguinis sui Sacramentum sibi hominem, pro quo mortuus est, ita coniunxisse, ut totus totum amplexaretur, totus totum pervaderet, totus totum in seipsum raperet, cunctisque nostris cuncta sua agglutinaret ⁽¹⁾. Nempe per haec sacra dona humana omnia quae a nobis accepit, benigne admodum magnoque nostro cum foenore reddit atque coaptat. Nostra enim cum desumit, Deus ad terram descendit; eadem vero cum nobis dat, hominem in coelum evehit. Illud nimirum Deum hominem, hoc hominem Deum efficit. Illud in unius corpore et anima peccatum solum devincit, hoc uniuscuiusque nostrum substantiam * secundum vivificatricem quae propria Verbi facta est, carnem sibi agglutinat, geminaeque eius naturae participem reddit. Ergo quando homo in coelum conscendere non poterat ut divinorum particeps fieret, ipse Deus ad hominem descendit, homoque ad Deum isto pacto ascendit. Humana adeo perfecte assumit, ut eiusdem nobiscum naturae cognatus nobis factus, per ea, quae a nobis accepit et postea ut cognatis sibi benignissime reddit, suum ipsius corpus efficiat. Magnum profecto mysterium, inenarrabilis Dei benignitas, ineffabilis unitas qua praeter spirituales unionem, qua unus spiritus Deo adhaerens cum Deo est, per quamdam naturalem unitatem inscrutabili Dei consilio (ut sunt profundae eius cogitationes) ad divinam pariter et humanam Christi naturam carnalis et mortalis homo naturaliter ac substantialiter coadunatur. Verum homini invidit, quique omni studio et conatu intendit ut a tanto enimvero humani generis hostis, diffidentiae filius, qui numquam non

f. 2^v

(1) Cf. ALBERTUS M., *In Mt.* 26, 27; ed. Borgnet v. 21, col. 165: « Per hoc (sacramentum) omnes nos sibi univit (Christus), cum in incarnatione non univerit sibi nisi unius solius naturam ». Alii huic similes textus apud A. PIGLIANTI, *Il Corpo Mistico e le sue relazioni con l'Eucaristia*, Roma 1939, p. 197.

dignitatis gradu dejiciamur et a Christo penitus divellamur, homines filios perditionis excitavit, qui nihil non contra sacrosanctam Eucharistiam ac divinum peculiaremque eius fructum de quo loquimur; adversus quos quamvis multi eruditi ac pii viri ⁽²⁾ gladios exercuerunt, quibus pestilentissima haereticorum dogmata iugularunt, tamen quia non satis naturalem cum Christi coniunctionem qua Christus nobis unitur declarasse videntur, necessarium esse duxi hanc rem diligentius explicare, et difficultates nodosque qui neque pauci neque leves non secundum virtutem solum sed secundum carnem * et substantiam f. 3^r catholicis etiam viris de ea perscrutantibus occurrunt, dissolvere ac desecare, nonnullasque Sanctorum Patrum sententias ita exponere ut ex ipsis male intellectis nemo deinceps errandam ansam arripiat. Ceterum quia nonnullorum aures spirituali tantum unitati assuetas haec naturalis unitatis vox tamquam nova non parum offendit et iuxta divina oracula non oportet transferre terminos quos posuerunt patres nostri ⁽³⁾, et iuxta Apostolum ⁽⁴⁾ depositum custodiendum est devitandaeque sunt profanae vocum novitates et oppositiones falsi nominis scientiae quam quidam promittentes circa fidem exciderunt; non ab re fore exstimavi ante omnia comprobare naturalem hanc cum Christo unitatem non esse rem apud me natam, neque ingenii mei foetum, sed veterum doctrinae et publicae traditioni consentaneum. Id trado, cuius non institutor sed expositor sum; non ut dux, sed ut sectator. Quod omni studio ago omnique cura enitor, id est, ut tamquam dominici tabernaculi Beseleel ⁽⁵⁾ pretiosas has divini mysterii gemmas poliam, fideliter coaptem et perite adornem. Laboravi ut quod hactenus obscurius traditum est, nonnihil lucis mea opera reciperet. Atque hac de causa quinque libri hac de re a me sunt conscripti, quos ad S.T. mitto ut si quae novitia et superflue adinventae videbuntur, S. T. ea * iuxta Sancti Capreoli Episcopi Carthaginensis epistolam ⁽⁶⁾ reprobet atque damnet. Sin minus, ut quod hactenus simpliciter creditum fuit ac nescio quo pacto minus hisce temporibus in scholis discussum, firmiter posthac teneatur, et quod hactenus negligentius praedicabatur, diligentius praedicetur, quod hactenus remissius colebatur, posthae accuratius excolatur ac divina tua sententia auctoritateque confirmetur. Tu enim, Sanctissime Pater Pont. Max. qui Christi in terris vicem geris, Ecclesiae dilectae eius

⁽²⁾ De quibus erudite agit P. POLMAN, *L'élément historique dans la controverse religieuse du XVI siècle*, Gembloux 1932, p. 441-464.

⁽³⁾ *Prov.* 22, 28.

⁽⁴⁾ *1 Tim.* 6, 20.

⁽⁵⁾ *Exod.* 31, 3, cf. 36, 31.

⁽⁶⁾ *Ep.* 1, n. 2; PL. 53, 845. Capreolus successit Aurelio in sede carthaginensi a. 430 et obiit a. 439, cf. G. BAREILLE, *Capreolus (Saint)*, DTC, 1693-1694.

sponsae caput es et verus, sedulus et cautus depositorum apud eam dogmatum custos, nihil in his permutari, nihil detrahi, nihil addi debes ferre. Tui muneris est curare ne amputentur necessaria, ne apponantur superflua, ne amittantur sua, ne usurpentur aliena. Quare, cum in hoc unum omni industria S. T. incumbere sciam, ut vetera fideliter sapienterque tractentur et quae ob antiquitatem informia et inchoata tantum sunt ut accuratius poliantur, quae vero iam expressa sunt et absoluta firmentur et stabiliantur et tandem quae firma et stabiliata sunt firmentur (7). Summae S. Tuae auctoritati divinoque iudicio hoc quidquid est operis et dico et subijcio, quod non ante mihi probabitur quam Beatitudini Tuae haud displicuisse intellexero. Cui Dominus noster Jesus Christus longissimam felicissimamque vitam tribuat ad Ecclesiam Dei prudenter gubernandam, pie tutandam feliciterque augendam. Valeat S. Tua. Burgis anno Domini M.D.LX.VI. felicissimi vero pontificatus tui anno primo.

(7) Integra pagina superior constat effatis depromptis ex *Commonitorio primo et altero* VINCENTII LIRINENSIS, cf. PL. 150, 667, 675, 682.

PRAEMONITIO AD LECTOREM

cum summa eorum quae in his libris de naturali unitate, quam per dignam Eucharistiae sumptionem cum Christo consequimur, continentur.

Minime opus esse arbitror, christiane lector, pluribus verbis disserere de hominum primordiis quos ita Deus fecerat ut in incorruptibilitate perseverare facile potuissent nisi spreta reiectaque Dei cognitione, ut *Athanasius* inquit ⁽¹⁾, excogitatis prava sua ratione malis, praedenuntiatae mortis condemnationem accepissent, neque iam inde quales conditi erant remansere, sed pro ipsorum rationibus cogitationibusque corruptelam vitiumque contraxerunt et sub mortis imperio detenti ad veterem naturae conditionem retracti sunt tantoque magis contra eos corruptio invaluit quanto magis ac magis in delictis ad ulteriora tendentes ad immensa scelera procurerant. Hac igitur de causa incorruptibilis numinis Dei Verbum, cum videret mortem vi efficacique corruptionis suam tyrannidem in nostram perniciem stabilire, simulque conspiceret absurdum esse legem antequam destinata perficeret abrogari et sua opera aboleri, indolens nostram calamitatem demisit se ad nostram corruptionem, non passus ut quod creatum esset occumberet, Patris etiam auctoritati consulens ne temere lex de hominum corruptione solveretur, nostrum corpus assumpsit, idque non quodvis sed quod purum * ex illibata f. 4^r impollutaque atque viri nescia Virgine incommistile prorsus citraque rudimenta Veneris coalesceret. Ipse enim ut rerum conditor id poterat et quoad poterat fecit, sibi in Virgine corpus in peculiare instrumentum aedificat quo se agnitum redderet eique ut domicilio inhabitavit, quod pro omnibus in mortem deditum Patri suo sacrificavit, ut omnibus hominibus tamquam eius membris in ipso Christo cunctorum vita capiteque in quo etiam noster sanguis et nostra caro est, morientibus, lex de corruptione hominum tolleretur, utpote omnibus quae illius potestate permessa fuere in dominico corpore consummatis, omnique aditu eius ad homines per Filium Dei eiusdem similitudinis intercepto, eoque ipso homines ad corruptibilia aversos ad incorruptibilitatem converteret et a morte in vitam corpore suo quod proprium sibi fecit revocaret, resurrectionis gratia mortem in

(1) *Oratio 3 contra Arianos*, n. 33; PG. 26, 394-395.

illis quasi stipulam in igne consumens. Quum enim certum haberet Verbum Dei corruptionem in hominibus non aliter desituram esse nisi omnes omnino morerentur et se mortis capacem non esse ut immortalē et Patris Filium ideo corpus, quod mori posset, sibi assumpsit ut illud pro omnibus morti ad plenam satisfactionem sufficeret, et tamen ob Verbum Patris inibi inhabitans incorruptibile perseveraret quo ita in omnibus in posterum corruptio per resurrectionis gratiam desineret. Ideoque veluti hostiam ab omni macula liberam ipse sibi corpus * desumens offerensque in mortem, ab omnibus statim sui similibus rei persimilis oblatione mortem amolitus est. Iam enim inde corruptio illa quae in mortem sita est locum nullum in hominibus invenit propter eum qui per domicilium corporis in hominibus inhabitat.

f. 5^r

His igitur, ita ut ab Athanasio traduntur, cognitis, sciendum est Unigenitum Dei Filium descendere voluisse, ut inquit Cyril-
l u s ⁽²⁾, ut universo generi nostro, tamquam in primitiis, immortalitatem ac supremum bonum acquireret cunctosque sibi singillatim con-
necteret atque conformaret, singulique pariter et spiritu corporeque colligati similesque facti, ipsum sequerentur et imitarentur, ac tem-
plum domusque ipsius essent. Tanta ergo adversus nostrum genus divi-
na benignitas extitit, ut non solum quemadmodum quum magnus rex
magnam urbem ingreditur ibique unicas aedes inhabitat magnum hono-
rem illi civitati adfert, verum hic etiam regum omnium rex quum
ad nostram patriam accessit, domum sibi in simili nostrique generis
corpore delegit corpus videlicet suum, ac per hoc ipsum, tamquam
per corporale instrumentum in unoquoque nostrum domicilium sibi
constituit ut tam civitas omnis quam unaquaeque in ea domus et in
magno honore sit, et neque hostis neque latrones in eam populationes
aperto Marte, ut ante regis adventum fiebat, tentare audeant. Porro ne-
que inhabitator tantum est, sed in unam, ut Chrysostomus ⁽³⁾

f. 5^v

ait, veluti massam hac sua habitatione nos omnes * secum reducit,
neque fide solum et caritate aut fiducia, sed vera corporis sui sub-
stantia nostrae substantiae cuncta multo magis Christi corpus effi-
cimur quam Adae caro sumus. Quandoquidem, ut latius suo loco ex-
plicabimus, caro Adae non fuit vivificatrix quemadmodum Christi ca-
ro, a qua per sacratissimam eius carnem vera vita ac gratia perpetuo
in ipsum digne suscipientem influit, modo per baptismum Christo
incorporatus sit; perceptio Eucharistiae, ut inquit B. Tho-
m a s , ⁽⁴⁾ praesupponit incorporationem absolute, quae fit per bap-

⁽²⁾ In Jo. 1. 9. c. 1; PG. 74, 275.

⁽³⁾ Cf. Hom. 24 in 1 Cor. 10, 17; PG. 61, 201 et: Hom. 45 in Jo. n. 2-3; PG. 59, 259-262.

⁽⁴⁾ Sent. 4, d. 4, q. 2, a. 2, qc. 5, ad 2.

tismum, quia virtus capitis non communicatur membro nisi iam unito. In divinissimo autem corporis Christi sacramento, ut divinus Dionysius ait ⁽⁵⁾, divina benignitas modum excogitavit quo unitatem carnis suae quam integer et indivisus ad dexteram Dei sedens obtinet per sacratissimum corporis sui mysterium signanter multiplicaret atque distribueret sine sui iniuria aut nostra naturali transmutatione ut per hanc distributionem nostra humilia divinis suis excellentiis iungeret atque arctissime uniret singulique hac participatione illi in quo unum natura humanitatis eramus, per mysticam benedictionem tamquam membra corpori congruamus et a corrumpentibus vitiis liberati, sinceræ ac divinæ ipsius vitæ imitatores ipsi adhaerere eademque vita vivere valeamus. Unde Albertus Magnus ⁽⁶⁾ maximum in Christi satis esse, scribit, quod corpus suum in cibum dedit, quia per hoc « omnes nos sibi univit quum in incarnatione non univerit sibi nisi unius hominis naturam ».

Ergo quemadmodum divinitas Verbi carnis * ab eo sumptam deificam fecit, fermentum enim humanae conspersionis proprio Deitatis igne expurgavit, ac velut excoxit ⁽⁷⁾ assavitque, et in unam cum ipsa deitate personam assumpsit, ita etiam ipsemet Christus Deus et homo naturaliter arctissimeque unicuique nostrum per mysticam benedictionem coniunctus immissusque intra viscera nostra atque nobis intime adeo unitus, igne suae vivificatricis carnis et sanguinis sui divinaeque eius naturae vi ac virtute uniuscuiusque nostrum substantiam peccato mortuam, et corruptioni et interitui obnoxiam expurgat atque excoquit, ac similitudinem unitatemque immortalis ac vivificae carnis et sanguinis sui singulis hominibus sibi naturaliter copulatis communicat. Quis enim fieri potest, inquit Cyrillus ⁽⁸⁾, ut sicut qui Domino conglutinatur; unus cum Deo dicitur spiritus, caro carni Christi copulata non sua appelletur? Nam ut Spiritus Christi in nobis habitans unum spiritu nos cum illo efficit, sic quoque qui carnem Christi intra nos suscipimus participesque illius sumus, una etiam caro cum eo efficimur. Una inquam, non substantiae unitate, sed Christi carnis dotium naturali participatione ab ipsamet Christi carne nostrae carni consubstantiali in nos immissa perfecta. Quapropter Apostolus ⁽⁹⁾ ad servandam unitatem spiritus nos provocat *quoniam unum corpus et unus spiritus sumus*. Utramque unitatem et spiritus et carnis Paulus his verbis complexus est ut Sancti Patres exposuerunt.

⁽⁵⁾ Cf. *De Ecclesiastica Hierarchia* c. 3; PG. 3, 186, 202.

⁽⁶⁾ *In Mt.* 26, 27; ed. Borgnet v. 21, col. 165.

⁽⁷⁾ Redolent mentem ISMORI PELUSIOTAE, *In illud Jo.* « *Ego sum panis vitae* »; PG. 78, 387.

⁽⁸⁾ *In Jo.* 1, 11, c. 11; PG. 74, 551-558.

⁽⁹⁾ *Eph.* 4, 3-4; *1 Cor.* 10, 17.

f. 6^v Hanc unitatem, quam Dionysius per Eucharistiam nos consequi asserit et S. Maximus Dionysii interpret totius christia * nismi scopum a Dionysio in ea tactum testatur, naturalem unitatem appellarunt sanctus pater Hilarius, Arcadius etiam Cyrillus Ecclesiae Alexandrinae patriarcha ac reliqui Ecclesiae proceres qui in fide et communiione catholica sancte vixerunt ⁽¹⁰⁾, sapienterque docuerunt et constantes vel fideliter in Christo mortui, vel feliciter pro Christo occisi apud quos tria unitatum genera observantur. Unum enim Pater cum Christo, unum Christus nobiscum, nos cum Christo unum. Harum quaelibet maior est concordia voluntatis utpote quae naturales sunt. In his unitas, quae inter nos et Christum est, naturalis esse manifeste arguitur quia per eam non solum per dilectionem - spiritu ei connectimur, sed corpore, etiam digne ipsius corpori et sanguini communicantes per ipsammet Christi carnem copulamur unimurque.

Quod Dionysius tradit vetusti fere omnes Patres ac recentiores complures eos sequuti ita exposuerunt ut nos scilicet Christo naturaliter corporaliterque per Eucharistiam uniri Sanctae Scripturae testimoniis confirmare non dubitarint, sic interpretantes quod Christus dixit ⁽¹¹⁾: « *Qui manducat meam carnem in me manet, et ego in eo* ». Hunc enim loquendi modum unionem significare in sacro evangelio perspicuum est. Id etiam quod Christus subjicit ⁽¹²⁾: « *Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem, ita et qui manducat me vivet propter me* » de naturalis Christi Filii Dei vitae participatione per dominici cibi manducationem manifeste exponunt. Illud quoque Apostoli ⁽¹³⁾ de eadem naturali corporalique cum Christo coniunctione f. 7^r * declarant: « *Panis quem frangimus nonne communicatio corporis Christi est?* » Et quod alibi ⁽¹⁴⁾: « *Quia membra sumus corporis illius de carne eius et de ossibus eius* ». Et paulo post ⁽¹⁵⁾: « *Erunt duo in carne una, Sacramentum hoc magnum est. Ego autem dico in Christo et Ecclesia* ». Et alibi ⁽¹⁶⁾: « *Quod aliis generationibus non est agnatum filiis hominum sicut nunc revelatum est sanctis apostolis eius et prophetis in spiritu, gentes esse coheredes et concorporales et participes promissionis eius in Christo Jesu* ». Quare Innocen-

⁽¹⁰⁾ Quorum testimonia infra passim allegabuntur. Quis sit Arcadius, cuius auctor hic meminit inter Patres, ignoramus.

⁽¹¹⁾ Jo. 6, 54.

⁽¹²⁾ Jo. 6, 57.

⁽¹³⁾ I Cor. 10, 16.

⁽¹⁴⁾ Eph. 5, 30.

⁽¹⁵⁾ Eph. 5, 31-32.

⁽¹⁶⁾ Eph. 3, 5-6.

t i u s III ⁽¹⁷⁾ unitatis mysterium percipi tradit quia « nos accepimus de suo, quod ipse suscepit de nostro ».

Quoniam vero huius naturalis, cum Christo unitatis veritas atque divinus eius peculiarisque fructus nominis ipsius ratio atque modus hucusque non satis intellectus videtur, difficilisque eius explicatio nonnullis etiam catholicis visa est, haereticis vero absurda penitus iudicatur, quinque haec ipsa de re libri a me scripti sunt. Sic enim futurum arbitror ut res quae adeo beneficentiam Dei amoremque divinam erga nos commendat nosque adeo intime Deo unit et quam adeo nostra interest et exacte intelligere et pie venerari non amplius ob difficultatem et obscuritatem in tenebris iaceat aut tamquam parum utilis negligatur. Quanta vero utilitas naturalis huius coniunctionis cognitionem consequatur, facile iudicabit qui ea perfecte corroborata atque perspicue exposita, locum nullum relinqui dubitationi de veritate corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi in Eucharistia plane cognoscet, ansam enim omnem dubitandi naturalis haec carnis et spiritus unitas tollit.

Primo libro veritatem huius naturalis unitatis ex Christi institutione verbisque ipsius et apostoli Pauli clarissimis comprobamus. Haec etiam veritas nonnullis vaticiniis ac figuris Veteris Legis consensuque veterum Patrum et aliorum complurium summorum theologorum adstruitur atque firmis rationibus confirmatur. Atque hanc unitatem negantes immensitate amoris Christi erga humanum genus maxime derogare, divinum etiam peculiaremque corporis et sanguinis Christi fructum tollere dignitatem quoque eximiam carni Christi adimere atque ipsam animam incredibili laetitia privare, haereticorum denique erroribus consentire demonstratur. f. 7^v

Antequam haec tractentur, de corporis et sanguinis Domini nominibus, quid ipsum mysterium Sacramentumve sit, quid etiam comprehendit, disseritur; suo dein loco Pauli verba in ea qua ad Ephesios scripsit epistula ⁽¹⁸⁾: « *Quia membra sumus corporis illius de carne et de ossibus illius* », diligenter exponuntur.

Secundo libro adscriptis tribus assertionibus quae ex primo libro eliciuntur, argumenta quaedam et rationes quae huic unitati naturali repugnare videbantur, adferuntur, collectae cum ex nonnullis Sacrae Scripturae locis tum ex theologorum philosophorumque recentiorum sententiis.

His adjiciuntur summorum aliquot pontificum et universalium conciliorum decreta, quae male intellecta omnem prorsus naturalem cum Christo unionem elidebant; denique Sanctorum Patrum Irenaei,

⁽¹⁷⁾ DB. 430.

⁽¹⁸⁾ Cap. 5, vers. 30.

f. 8^r Cypriani, Origenis, Athanasii, Hilarii, Cyrilli, Ambrosii, Augustini, Bernardi, Hugonis de Sancto Victore testimonia subiunguntur, quibus pravo adversariorum iudicio unitas haec non solum labefectari, verum etiam * a fundamentis subverti videbatur. His omnibus suo ordine in eodem libro ita respondetur ut qui recto iudicio atque examine argumenta ipsa et solutiones expenderit, nihil incredibile aut absurdum hanc de unitate doctrinam continere, sed orthodoxae fidei prorsus consentaneum facile comprehendat. Inter argumenta dissolvenda de vita in Christo per sacra mysteria, de veritate huius naturalis unionis etsi accidentalium proprietatum Christi carnis sit communicatio, ac de ipso naturalis unitatis nomine, deque unius ac *naturae* et *naturalis* vocum significatione latius disseritur.

Tertio libro quaenam unitas sit, de qua agitur, statuitur, naturalis quoque ipsius cum Christo per dignam Eucharistiae sumptionem unitatis ratio vel descriptio, accuratiorque eius declaratio adiungitur; quare etiam arcana et arctissima sit, exponitur. Deinde quo pacto ea quae inter se distant coniungantur unianturque explicatur. Quo etiam modo in unum corpus cum Christo fideles redigantur, citra quamvis carnis substantiae aut Christi aut nostri mutationem aut unionem consubstantialem personalemve, sed eo modo quo *unus spiritus Deo adhaerens unum cum Deo dicitur* ⁽¹⁹⁾; divinae videlicet naturae participatione monstratur; hic accuratius spiritualis unitatis ratio redditur ut, ea sic intellecta, naturalis haec unitas clarior fiat: quare etiam ita a Patribus appellata sit indagatur. Mox Chrysostomi, Leonis papae, Isidori Pelusiotaе, Irenaei, Bernardi, * ac aliorum aliquot Sanctorum Patrum dicta, quae aut per exaggerationem aut parum proprie de ea loqui videbantur sic exponuntur, ut nihil ex ipsis aut absurdum aut improprie dictum contineri ostendatur. Praeterea qua unitate fideles unum inter se sint, quotuplici etiam coniunctione Christus et eius membra copulentur et Christo etiam mediatore Patri uniantur disseritur, attentiusque verba Joannis quibus et *unum christiani omnes sint Christus* a Patre petit ⁽²⁰⁾ exponuntur. His annectitur longior perscrutatio de accidentibus naturalis nostrae cum Christo unionis proprietatibus. Ostenditur etiam qualem vetusti Patres coniunctionem cum Christo corporalem esse dixerint, quibusque similitudinibus eam explicarint, a quibus omnis non solum absurditas sed etiam improprietas abesse demonstratur. Quaeritur etiam quo pacto caro Christi sacramentali modo sub aliena specie se habens, carni nostrae extensae et mortali coniungatur atque immisceatur; et an intimius, constrictius, efficaciusque substantiae non ratione dimensionum sed ipsius substantiae

⁽¹⁹⁾ Cf. 1 Cor. 6, 17.

⁽²⁰⁾ Cf. Jo. 17, 11, 21-22.

Christi nobis copulatae, iuxta summorum virorum placita substantiae uniatur.

Quartus liber huic tractationi de naturali nostrae cum Christo unitate colophonem imponit, totiusque divinae oeconomiae in reparando homine rationem paucis verbis explicat quem Christus Dominus noster tam verbo quam humanitate sua, anima corporeque sanat atque sanctificat: non enim * illum ad divini spiritus solum consortium sublevat, sed unitatem etiam carnis per sacrosanctam Eucharistiam digne sump-
tam ei communicat; in cuius animam et corpus divina eius virtus abunde profluit atque promanat. Unde eximii divinique fructus consequuntur. Horum decem praecipui enumerantur, quorum novem late comprobantur. f. 9^v

Quintus liber in decimi fructus expositione ac corroboratione impenditur: quid quoque commune cum baptismo, quid proprium Eucharistia habeat longiori sermone explicatur; ex quo magna rei de qua agitur lux adfertur, ingensque piorum hominum conscientiae utilitas accrescit. Nam pietas ac devotio circa divinum hoc Sacramentum mirum in modum augetur, ac ingens eis vis ac virtus vivificativa etiam ad carnis incorruptionem et immortalitatem intelligitur. Confert enim Eucharistia Dei cognitionem, teste Dionysio⁽²¹⁾, quae nos cum Deo unit. Divina enim non ingenio nostro intelligere debemus, sed ita ut nos toti extra simus totique Dei fiamus. Praestat enim nobis Dei esse quam nostros, nimirum per divinae naturae participationem toti nos ipsi a nobis extranei efficimur. Quapropter praestantius multo est esse Dei in nobis quam esse nostrum. Hoc morti interituique obnoxii sumus, illo quasi semine quodam per Eucharistiam carni nostrae insparso praeparamur atque renovamur ad immortalitatem et gloriam.

Superest ergo, candide lector, ut pio christianoque animo, * quo certe hoc opus a me neque sine magno studio laboreque conscriptum est, tu quoque illud excipias. Si quid autem absurdum aut a veritate alienum aut obscure inter legendum videbitur, aequo animo sententiam suspendito donec ad calcem usque operis perveneris. Nam spero, toto perlecto libro, nihil absonum, nihil erroneum, nihil etiam difficile te iudicaturum. Illud etiam te rogatum cupio ne eadem saepius repetita offendant. Nam id genus nostra commentatio est ut sine rei ipsius de qua agitur cognitionis detrimento hoc taedio te liberare non potuerimus, cum eadem auctoritas idem etiam argumentum diversa ratione non unius tantum rei declarationi conveniat. Consuerunt ad haec Sancti Patres cum aut rei difficultas aut utilitas exigit eadem saepius inculcare, ut Nicephoras Gregoras auctor est⁽²²⁾, quo tenacius lectorum animis inhaereant crebraque earundem rerum f. 9^v

(21) Cf. *De Ecclesiastica Hierarchia*, c. 3; PG. 3, 186, 202.


(22) Cf. *Byzantinae Historiae*, l. 19, c. 1; PG. 148, 1178-1179.

diversis tamen verbis repetitione commodius percipiantur. Neque cunctorum propria sunt ingenia, quae saepe inculcata nonnullis molestiam gignunt, aliis utilitatem cognitionemque adferunt. « Ne mireris, inquit Athanasius ⁽²³⁾, si subinde eadem de iisdem repetimus. Ubi enim de numinis decretis placitisque mentionem facimus, ibi longiore interpretatione utimur, ne quid omittatur quod omissum nobis in culpam cedat, si non plene rem ipsam eloquamur ». Melius est enim saepius iteratae sententiae crimen sustinere quam aliquid eorum praetermittere quae enarrari debebant. Graecorum testimonia quae inseruntur f. 10^r vel ipsorum * auctorum inopia, quorum plerique aut nondum excussi sunt, vis, parum apte a latinis reddita, in causa fuit non autem curiositas aut ambitio ulla. Compertum enim est doctrinam omnem vino quam simillimam a doctissimis viris iudicatam, quae cum litteris, quasi vase contineatur, vinum si de hoc vase in illud transferas magnam virium suarum partem amittit. Sic doctrina si de sua in qua edita est lingua in diversam traducatur, obscurior certe aut deterior omnino evadat necesse est. Sed de his satis. Reliquum est ut ad ipsam de hac naturali unitate commentationem deveniam, qua nos sibi Deus pro sua in genus humanum benignitate immensa arctissime connectere dignetur, cui honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.

N. B. Hic praetermittuntur foll. 11^r-18^v ubi invenitur index librorum et capitum, quibus constat opus, necnon catalogus Patrum et locorum Scripturae, quibus usus est auctor. Indices a nobis denuo adornati ad calcem operis addentur.

(23) *Oratio de Incarnatione Verbi*, 20; PG. 25, 132.

LIBER PRIMUS



CAPUT I.

Prooemium in primum librum de vera et naturali quadam cum Christo unitate quam per dignam Eucharistiae sumptionem fideles consequuntur.

Quum magna semper eorum hominum perversitas habita sit qui viribus quas a summo rerum Conditor ad recte honesteque vivendum acceperunt, inique turpiterque abutuntur, tum praecipue execranda eorum pravitas est qui a vera fide qua inenarrabili Dei beneficio semel initiati sunt, suo postea ducti sensu ingenique fiducia elati impie superbeque desciverunt. Neque enim detestabilior esse potest ulla aut superbia aut impietas quam Sanctorum Patrum sententias pro libidine sua quemquam in dubium vertere, et Ecclesiae divino Spiritu afflatae decreta convellere, et eo denique insaniae devenire ut Domini Nostri Jesu Christi verba in suam ipsorum depravatam opinionem a veritate detorqueant. Hoc sane nihil aliud est quam divinae veritati humanam rationem imo vero hominum somnia praeferre ac caelesti lumini naturae depravatae caliginem antepone. Quantum istorum hominum numerus, proh dolor, his miserrimis temporibus passim reperitur, innumerae pene haereses plus satis declarant quibus omnem fere veterum fidem ac disciplinam subvertere conantur. Inter has vero haereses tam varias nulla profecto perniciosior aut magis impia exstitit quam quae in sacrosanctum corporis et sanguinis dominici mysterium debachatae, utriusque in eo veritatem inficiatur, et divinum tanti Sacramenti fructum inaudita negat impudentia. Quid enim frontis habent qui fidem ab ipsis Ecclesiae initis ita receptam ut * per f. 20^o mille annos fuerit qui verum Christi corpus verumque ipsius sanguinem sub panis vini que speciebus contineri non modo negaverit, sed ne dubitarit quidem, tam perditae neglexerunt. Certe impii ingrati que est animi hoc tam praedarum Dei beneficium quod pii omnes cum summa gratiarum actione semper exceperunt atque ad animarum salutem corporumque cum Christo resurrectionem prorsus necessarium esse censuerunt, nolle agnoscere sed potius contemnere atque rejicere. Unus Nestorius ⁽¹⁾ fuit, qui contra veritatem Christi carnis

(1) At asseveranter affirmari non potest, cum dumtaxat efficaciam vivificatricem denegasse videatur. Procul dubio hic error viam sternebat realis praesentiae negationi, cf. G. M. SCHEEBEN, *I misteri del Cristianesimo*, Siena 1908, p. 394; P. BARTHOLOMÉ, *L'Eucharistie*⁹, Paris 1930, p. 454-466.

in Eucharistia insurgere visus est eo tempore, quo omnes consenserunt, panem et vinum in veram Filii hominis carnem verumque eius sanguinem converti. Sed quum quis esset iste Filius hominis non inter omnes conveniret, Ephesina Synodus damnatis haeresibus, de hoc Sacramento ita definiuit, atque Nestorio Episcopo tamquam haeresiarchae transmisit: ⁽²⁾ « Ad benedictiones, inquit, accedimus mysticas et sanctificamur participes sancti corporis et pretiosi sanguinis Christi omnium nostrum Redemptoris effecti, non ut communem carnem accipientes, quod absit, neque ut viti sanctificati et verbo coniuncti secundum dignitatis unitatem aut divinam possidentis habitationem, sed vero vivificatricem et ipsius Verbi propriam factam. Vita enim naturaliter ut Deus existens, quia propriae carnis unitus est, vivificatricem eam esse professus est. Et ideo quamvis dicat ad nos: ⁽³⁾ *Amen amen dico vobis: nisi manducaveritis carnem filii hominis et biberitis eius sanguinem*, non tamen eam ut hominis unius ex nobis aestimare debemus, quomodo enim iuxta naturam suam vivificatrix esse caro hominis potest? sed ut vere eius propriam factam, qui propter nos Filius hominis et factus est et vocatus ». Et circa finem concilii: ⁽⁴⁾ « Si quis non confitetur carnem Domini vivificatricem f. 21^r esse * et propriam ipsius Verbi Dei Patris, sed ut alterius praeter ipsum coniuncti eidem per dignitatem aut quasi divinam habentis habitationem ac non potius vivificatricem esse, quia Verbi propria facta est vivificare valentis, anathema sit ».

Inter tam multiplices contra fidem universalis Ecclesiae errores nullus est, quod meminerim, saepius damnatus piorum doctorumque omnium iudicio quam hic de dominico cibo. Nam praeter praefatae Ephesinae Synodi decreta, Berengarius ⁽⁵⁾ primus huius haeresis auctor sub Nicolao II et iterum sub Gregorio VII suum errorem abiuravit et ipsum Berengarium iam antea damnaverat Leo IX in Concilio Vercellensi ⁽⁶⁾, vir morum sanctitatis insignis et diligentia solertiaque in religionis rebus curandis conspicuus. Deinde Turonensi Synodo ⁽⁷⁾ Ildebrandus Ecclesiae Romanae tunc Archidiaconus eundem Berengarium convicit per viros eruditissimos ac praecipue Lanfrancum Cantuariensem Archiepiscopum ⁽⁸⁾. Sic Berengarius Romae in Conci-

⁽²⁾ Non est definitio ephesina sed ep. synodica Cyrilli contra Nestorium; PG, 77, 113-117.

⁽³⁾ Jo. 6, 53.

⁽⁴⁾ Est XI anathematismus Cyrilli contra Nestorium (DB. 123).

⁽⁵⁾ De Berengarii errore deque controversia inde excitata erudite M. CAPPUYNS, *Berenger de Tours*, DHGE.

⁽⁶⁾ Anno 1050 celebrato.

⁽⁷⁾ Anno 1054 habita.

⁽⁸⁾ Qui postea, nimirum a. 1065, pugnacem edet opellam adversus Berengarium, cui titulus « *De corpore et sanguine Domini* » (PL. 150); Cf. E. AMANN-A. GAUDEL, *Lanfranc*, DTC.

lio CXIII Episcoporum sub Nicolao II conceptis verbis quae in decretis habentur abiuravit ⁽⁹⁾. Caeterum quum postea diversam haeresim excogitasset, asserens una cum vero corpore substantiam panis manere, accersitus fuit a Gregorio VII ad concilium multorum Episcoporum in quo errorem suum fateri et veniam precari necesse habuit ⁽¹⁰⁾.

Haec eadem haeresis in Concilio tam Constantiensi ⁽¹¹⁾ et Basiliensi quam Florentino ⁽¹²⁾ apertissime damnata fuit; et nonnullis huius insaniae pertinaces assertores combusti fuerunt.

Satis videbatur his modis provisum ne in posterum huiusmodi error renasci posset, n̄ nostra aetate homines superbi et gloriae cupidi, fucis verborum confisi omnes Ecclesiae ritus et Dei Sacramenta subvertere tentassent, eoque impudentiae devenissent ut de sanctissima * f. 21^v
Eucharistia pessime sentientes figuram tantum corporis et non ipsum verum Christi corpus in ea esse docuissent ⁽¹³⁾. Nimirum hi sunt vera corporis satanici membra quales non defuturos in ecclesia Dei Paulus praevidit ⁽¹⁴⁾.

Sed inter hos omnes nemo perditior huius haeresis assertor fuit Oecolampadio ⁽¹⁵⁾, qui vetustum totiesque damnatum errorem et revocavit et viis omnibus fulciri instituit; homo sane non minus in huius mysterii doctrina varius quam inconstans antea fuerat in professione sua quam iuxta Divi Augustini regulam instituerat deferenda. Hic manifestus verborum, quae citat, truncator et maximus gravissimorum Patrum calumniator sacrorumque librorum perniciosus corruptor, dum nullum non movet lapidem ut lectores in perniciosam suam haeresim trahat, nullisque mendaciis parcat, dum solus sibi et doctus et iustus videtur. Hic, inquam, veteris damnataeque doctrinae post Wicleffum ac Zuinglium acerrimus defensor inter alias rationes, quibus errorem suum defendit in expositione verborum Domini: «*Hoc est corpus meum*», dum veritatem corporis et sanguinis dominici in Eucharistia negat, ea maxime utitur quod nullus, scilicet, certus peculiarisque ex eo fructus percipiatur quem baptismus fidesque ipsa et dilectio iam non praestiterint ⁽¹⁶⁾.

⁽⁹⁾ Anno 1059: verba refert HARDGUIN, *Concilia*, t. 6, pars 1, col. 1064.

⁽¹⁰⁾ Anno 1079: formula prostat apud DB. 355; cf. M. MATRONOLA, *Un testo inedito di Berengario di Tours e il Concilio Romano del 1079*, Milano 1936.

⁽¹¹⁾ Contra Wicleff, DB. 583.

⁽¹²⁾ Cf. DB. 698.

⁽¹³⁾ Protestantes sacramentarii, de quibus cf. L. CRISTIANI, *Sacramentaire (controverse)*, DTC.

⁽¹⁴⁾ *I Cor.* 5, 5, cf. *I Cor.* 6, 15.

⁽¹⁵⁾ Obiit a. 1531. Iunior catholice sensit, postea «*manibus pedibusque*», ut Card. Roffensis verbis utar, Luthero adhaesit, tandem Zuinglio adstipulatus realem praesentiam prorsus negavit, multis testimoniis Patrum congestis, cf. L. CRISTIANI, *Oecolampade*, DTC.

⁽¹⁶⁾ Contra hoc assertum totum S. Johannis Fisher Card. Roffensis opus mox allegandum conspirat.

Sed quoniam multis retro annis Thomas Waldensis ⁽¹⁷⁾ gravissimus doctissimusque vir demonstraverat in libro de Sacramentis huiusmodi opinionem a veritate prorsus esse alienam, adductis in medium Dionysio Areopagita, Hilario, Cyrillo et Damasceno, fide dignis testibus, Oecolampadius, ut novi aliquid adferre videretur, absurdo absurdius esse dixit docere carnem Christi carnaliter carni f. 22^r nostrae uniri. Sed veteres illi illustresque heroës, quorum doctrina * divinae Scripturae sunt illustratae fidesque stabilita, haud absurdum existimarunt praefatam naturalem corporalemque cum Christo coniunctionem asserere quam praeter spiritualem unionem cum Christo consequimur per communicationem corporis et sanguinis eius, si nosmetipsos toto pectore ei tradamus. Nec defuerunt ex recentioribus qui hoc idem senserint, quales sunt Albertus cognomento Magnus, Thomas Waldensis, Joannes de Turrecremata et plerique alii. Quod Oecolampadius asserit ante eum Ulricus Zuinglius et Tigurini in eius verba iurati docuerunt, qui in libello de professione fidei suae nimis impie fatentur carnem Christi semel in terris salutem nostram operatam esse, nunc autem neque in terris hisce praesentem esse neque usum ullum eiusdem fore sed in coelis tantum residere et ibi plurimum utilitatis afferre ⁽¹⁸⁾.

Scriptis contra Oecolampadium Joannes Roffensis Episcopus ⁽¹⁹⁾ piorum omnium doctorumque iudicio vir doctrina sanctitateque praestantissimus ideoque Dei martyr iustum volumen de veritate corporis et sanguinis Christi in Eucharistia ante annos triginta quatuor, summa eruditione et pietate. Scripsit etiam Cuthbertus Tonstallus Dunelmensis Episcopus ⁽²⁰⁾ adversus Tigurinos et eorum Oecolampadiique errorem duobus libris convicit, ut interim complurium hominum doctorum scripta eadem de re omittam. Horum omnium diligentia factum arbitrabar ut hoc genus argumenti nullius alterius opera nedum mea indigeret. Verum, quia seges copiosa est et antiqui doctores praesertim graeci non admodum

⁽¹⁷⁾ *Doctrinale de Sacramentis*, c. 29; Venetiis 1758, col. 191 ss. et passim.

⁽¹⁸⁾ Cf. C. L'EBRALY, *La doctrine sacramentaire de Ulrich Zwingli*, Clermont-Ferrand 1939, p. 71-99.

⁽¹⁹⁾ Anno 1527 scripsit « *De veritate corporis et sanguinis Domini in Eucharistia adversus Oecolampadium quinque libri* » denuo editum inter opera omnia, Wirceburgi 1597, p. 746-1231, quo eruditione summa et pietate pari iisdem armis, quibus haereticus abutebatur, Oecolampadium confodit, cf. A. HUMBERT, *Fisher, DTC*. Adde quod Card. Roffensis tam frequenter loquitur de naturali corporaliq[ue] unione per Eucharistiam instaurata, ut theoriae Card. Burgensis viam stravisse dicendus sit.

⁽²⁰⁾ Anno 1548, etsi in vinculis, scripsit « *De veritate corporis et sanguinis Domini Nostri Jesu Christi* » quod his edidit Parisiis anno 1554 et « il se classe parmi les meilleurs ouvrages polémiques du XVI^e siècle ». P. POLMAN, *L'élément historique dans la controverse religieuse du XVI^e siècle*, Gembloux 1932, p. 446.

vulgares sunt neque omnes adhuc latine facti aut typis editi, tum etiam quia non desunt qui hanc doctrinam calumniantur ut a scholasticis disputationi * bus alienam, operae pretium putavi in ea declaranda nonnihil operae ponere. Cum vero ea difficilis admodum arduaque sit, multumque in eius inquisitione laboris ut in cognitione fructus et in errore periculi consistat, Dominum Notrum Jesum Christum suppliciter oro ea mihi suggerat quae ad explicandum divinum hunc et arcanum maximeque peculiarem Eucharistiae fructum, naturalem nimirum unitatem convenient, idque iuxta verum Sacrae Scripturae sensum, ut ne latum quidem, quod aiunt, unguem ab hac, neque ab Ecclesiae Catholicae et Summorum Pontificum sententia discedam, quorum iudicio ac censurae me totum submitto.

f. 22^v

Antequam vero hanc de naturali unitate doctrinam aggrediar, non ab re futurum arbitror si statim in ipso limine quid dubii difficultatisque haec naturalis unitas in se contineat proposuero. Illud enim est quod a compluribus eruditis in dubium vertitur an praeter unionem spiritualem qua digne sumentes Christi corpus ei uniamur, sit alia naturalis et substantialis unio inter eandem Christi carnem et eam quae digne sumentis est; hoc est: an re vera coniungamur et uniamur vero ac substantiali Christi corpori per Sacramentum Eucharistiae digne sumptum aliqua naturali et substantiali unione quae diversa sit ab unione et incorporatione spirituali, quae fide et dilectione sit et spiritualiter tantum unit et incorporat, et quam digne sumens Eucharistiam absque dubio miseratione divina consequitur membrumque efficitur corporis Christi mystici. Nec minor dubitandi causa est communis modus loquendi fidelium de hac tantum unione et incorporatione spirituali loquentium parum attendentium * huic naturalis et corporalis unitatis mysterio; non quod nova et inaudita Ecclesiae et a divina Scriptura sanctisque doctoribus aliena sit, hoc enim est praecipuum huius doctrinae fundamentum quod aperte in Sacris Litteris contineatur, et communi veterum ac recentiorum doctorum sententia sit recepta: sed quia non ita frequenter de hac naturali et substantiali unione ut de spirituali illa sermo fieri soleat. Nonnulli censent non aliam coniunctionem sequi ex corporis Christi manducatione praeter spiritualem. Sed quum ex altera parte sint tot Scripturae et Sanctorum Patrum testimonia tot etiam rationes, arbitror me non male positurum operam tum in ostendenda naturalis huius unitatis veritate tum etiam in vindicanda veterum Patrum auctoritate qui, Spiritu Sancto afflati, Sacras Scripturas iam olim interpretati sunt. Adscribam in primis rationes aliquot quibus haec naturalis unitas inter nos et Christum comprobatur, ut sint velut quaedam conclusiones per quas haec nostra diatriba exercitatione procedat:

f. 23^r

- I ratio. — Veritas naturalis unitatis Christi nobiscum et nostri cum Christo ex ipsius Christi institutione comprobatur.
- II ratio. — Verbis eiusdem Christi confirmatur.
- III ratio. — Clarissimis Pauli verbis fuleitur.
- f. 23^v IV ratio. — * Nonnullis Veteris Testamenti signis et vaticiniis stabilitur.
- V ratio. — Consensu Patrum cum veterum tum recentiorum eadem corroboratur.
- VI ratio. — Rationibus aliquot adstruitur.
- VII ratio. — Negantes praedictam unitatem nullius orthodoxi testimonium adferunt.
- VIII ratio. — Divinum peculiaremque corporis et sanguinis Christi fructum tollunt.
- IX ratio. — Dignitatem eximiam carni nostrae adimunt ipsamque animam incredibili notitia privant.
- X ratio. — A Sanctorum Patrum sententia descendentes haereticorum erroribus consentiunt.

CAPUT II.

De nominibus Eucharistiae.

Antequam hae rationes comprobentur de huius Sacramenti nominibus disseramus. Quemadmodum enim variis nominibus nuncupatur Deus ita quoque sanctissimum corporis et sanguinis Domini Sacramentum quod in altari colimus, multis diversisque vocabulis appellatum est, quibus quidem omnibus * non satis exprimitur ingens illud pelagus divitiarum quae in nos ex eo profluunt; quemadmodum nec tam varia multiplexque Dei nominum varietas perfecte nobis exprimit ineffabilem divinae maiestatis potentiae, sapientiae et bonitatis profunditatem. Qua de re cum Joannes Roffensis ⁽¹⁾ in prooemio secundi libri magnam operam posuerit, satis erit in praesentiarum breviter quid ipsum mysterium sacramentumve sit, quid etiam comprehendat explorare, atque ea vocabula explicare quibus sacri auctores cum de corpore et sanguine Domini nostri mentio est utuntur. Si quid etiam aut reconditoris eruditionis aut magnae utilitatis inter haec explicanda occurrerit quod a Roffense praetermissum fuerit, haud intactum relinqueretur.

Mysterium quid sit et quid comprehendat ⁽²⁾. Mysterium

⁽¹⁾ *De veritate corporis et sanguinis Domini adv. Oecolampadium, Wirceburgi 1597, p. 839-844.*

⁽²⁾ In adornando hoc capite auctor multa haurit, et quandoque ad litteram, a C. TUNSTALLO, *De veritate corporis et sanguinis Domini*, l. 1, Lutetiae 1554,

significat arcanum quiddam quodque non perficitur nisi occulta aliqua sacrorum vi. Mystera enim res hominum arcanæ atque occultae interdum vocantur. « *Denudare amici mysteria desperatio est animae infelicis* » in Ecclesiastico ⁽³⁾ scribitur. Et apud Marcum Christus discipulis suis ait ⁽⁴⁾: « *Vobis datum est nosse mysteria regni coelorum, caeteris autem in parabolis* ». Apud Paulum frequens est huius vocabuli usus cum occulta Dei arcana commemorat ⁽⁵⁾. Praeter hanc etiam significationem sacra signa a Graecis σύμβολα latinis sacramenta vocantur. Appellantur etiam mysteria ut Paulus ad Ephesios de viri et uxoris coniugio loquens ⁽⁶⁾: « *Sacra * mentum hoc, f. 24^r* ait, *magnum est: ego autem dico in Christo et Ecclesia* ». Quo hic sacramentum sensu accipit ad Corinthios scribens mysterium appellat ⁽⁷⁾: « *Sic nos, inquit, existimet homo ut ministros Christi et dispensatores misteriorum Dei* ».

Apud veteres etiam et in Sacris Litteris saepius dicitur sacramentum id arcanum, quod latet; interdum vero sensibile illud sub quo latet arcanum dictum est sacramentum: non quod ipsum sit arcanum quippe quod patet sensui, sed quoniam sub se continet arcanum. Theologi autem posteriores fere semper appellant Sacramentum signum illud sensibile sub quo latet arcanum spirituale. Arcanum vero id quod latet appellavere rem sacramenti ⁽⁸⁾.

Sacramenta itaque concordī doctorum sententia esse dicuntur sacra signa et symbola Dei erga nos voluntatis quae in Novo Testamento certa et efficacia signa sunt et vehicula gratiae divinae, gratiam digne eam sumentibus conferentia; quae cum sint gratiae Dei et sanctificationis nostrae signa efficacia constans ex signo ipso tam externo elemento quam verbo adumbrante, invisibilem gratiam per quod quidem Sacramentum tanquam instrumentum Spiritus Sanctus gratiam illam secreto operatur ⁽⁹⁾. Haec sacramenta signacula quaedam sunt ac veluti tesserae, ut Magni Basilii ⁽¹⁰⁾ verbo utar, quibus milites Christi dignoscuntur a militibus mundi. Signatas domus devastator praeteriit ⁽¹¹⁾. In his vero quae signatae non erant occidit primoge-

⁽³⁾ Cap. 27, vers. 24.

⁽⁴⁾ Cap. 4, vers. 11.

⁽⁵⁾ Cf. D. DEDEN, *Le « mystère » paulinien*, Ephemerides Th. Lovanienses (1936) 405-442.

⁽⁶⁾ Eph. 5, 32.

⁽⁷⁾ I Cor. 4, 1.

⁽⁸⁾ De evolutione vocabuli « sacramentum » cf. J. DE GHELLINCK, E. DE BACKER, J. POUKENS, G. LEBACQZ, *Pour l'histoire du mot « sacramentum »*, I *Les Antécédentes*, Louvain 1924, addita crisi A. STOLZ, *De sacramentis*, Friburgi i. B. 1942, p. 18-20.

⁽⁹⁾ Cf. ISIDORUS HISPALENSIS, *Etymolog.* 6, 19, 39; PL. 82, 255.

⁽¹⁰⁾ *Hom. in s. baptismo*, n. 4-5; PG. 31, 431.

⁽¹¹⁾ *Ex.* 12, 23, cf. *Sap.* 18, 15, 25.

f. 25^v nita. Est tamen id discriminis inter mundi tesseras et sacra signa, quod illae nihil efficaciae ex seipsis * habent, his vero vis ac virtus ex opere operato Dei gratia inest; quod etiam praestant sacramentis Veteris Legis quae portione quadam legi ipsi respondebant. Nam sicut lex non ducebat ad perfectum, sed finis eius erat quantum ad hanc partem et ad caeremonias spectat perducere homines ad cultum Dei spiritualem per fidem Christi explicitam hoc carnali et corporeo cultu, ita etiam sacramenta legis vel signa erant expiationis animae quae in aliquibus fiebat divina vi, ut in circumcisione in qua expiabantur infantes a labe peccati originalis ratione fidei, cuius signaculum fuerat circumcisio, quae non aliquo pacto efficiebat iustitiam quae occulte et divinitus infundebatur, sed tantum significabat reconciliationem et expiationem quae tunc conferebatur divina vi homini circumciso; aliae vero expiationes quae lotionibus et aspersionibus fiebant, ab Apostolo *Hebr. 9* ⁽¹²⁾ *iustitiae carnis* appellantur, eo quod non pertinebant ad expiationem animae et spiritus purificationem et peccatorum abolitionem, sed tantummodo corpus expiabant ab immunditia quadam corporea aut ex aliquo peccato quo impediabantur a coetu sacrorum et populi. Sacramenta vero Novae Legis, promulgato evangelio, per Christum longe nobiliora ab ipso instituta sunt, quae et significarent expiationem et sanctificationem, et significatione ipsa effi * cerent.

Et ne quis de Sacramentorum virtute et efficacia dubitaret, Christus verbo suo et promissione ea stabilivit, cuius promissionis divinaeque operationis effectus signis numquam deest nisi suscipientis vitio et indignitate fiat impedimentum. Eucharistiae sacramentum promissionem habet vitae aeternae et resurrectionis et mansionis in Christo ⁽¹³⁾; quae mansio arctissimam cum ipso per corpus suum digne sumptum coniunctionem significat, per quam membra corporis Christi efficimur de carne eius et de ossibus eius ⁽¹⁴⁾. Nimirum Verbum Dei gratiae nobis promissionem offert: verbum, inquam, promissionis, in quo sacramentum institutum est. Hoc namque in Sacramento verbum promissionis dicitur et se habet tanquam causa in suo effectu cum ex institutione sacramenta habeant, quod sacramenta sint et efficacia sint. Et ideo oportet ad plene cognoscendam efficaciam et rationem sacramenti habere respectum ad verbum promissionis. Est et aliud verbum ex quo et sacramentum consistit, et est in Sacramento paenitentiae: ego te absolvo. In quo verbum illud in quo sacramentum institutum est fuit ⁽¹⁵⁾: « *Quorum remisistis peccata remittuntur eis* ». Sacramentale vero signum velut sigillum est verbi Dei, rem pro-

⁽¹²⁾ *Vers. 10.*

⁽¹³⁾ *Cf. Jo. 6, 53-57.*

⁽¹⁴⁾ *Cf. Eph. 5, 30.*

⁽¹⁵⁾ *Jo. 20, 23.*

missam exhibens. Porro in sanctissimo corporis Christi mysterio duo considerantur: * signum videlicet sensibus nostris expositum, et simul f. 26^r verum Christi corpus non sensuum iudicio sed fide cognoscendum. Illud ipsum, inquam, corpus verum et naturale, quamquam iam spirituale et verum, naturalemque Christi sanguinem tametsi iam quoque spirituales sub panis et vini speciebus nobis sumendum Dominus porrexit ea veritate qua illud idem corpus in ara crucis pro nostra redemptione in mortem dedit, et qua vitalem vivificumque sanguinem suum in remissionem peccatorum effudit. Quid igitur mysterium sacramentumve sit, quid etiam comprehendat, declaratum est. Nunc quibus nomenclaturis appelletur ostendamus.

Vocatur corpus Domini non solum ab auctoribus sed etiam in Scripturis praesertim a Paulo ab ipso Domino edocto, ut ipse testatur (16). Appellatur quoque sacramentum corporis et sanguinis Domini. Et licet Christus ex primaria intentione sub specie panis corpus suum instituit et sub specie vini sanguinem, cum Christus iam *non amplius moriatur* (17) neque sanguis iterum a corpore separatur, sed ubi corpus ibi et integer Christus est, vere sub qualibet specie corpus est et sanguis, imo Christus ipse totus (18) et specie ipse panis et vini non nisi signa veri corporis et sanguinis instituuntur. Dicuntur itidem mysteria quoniam sub eis res arcanae et eximiae modo * nobis incomprehensibili delitescunt. Unde Chrysostomus f. 26^v *super Joannem* (19): « Quare necessario, inquit, dicendum quam admiranda mysteria, et cur data sint, et quanam eorum utilitas; *unum corpus sumus et membra de carne et ossibus eius* » (20). Paucis verbis Chrysostomus rationem reddit mysteriorum horum, nempe ut per eorum perceptionem efficeremur corpus Christi et membra de carne eius et de ossibus eius quemadmodum Paulus colligit.

Hoc tamen mysterium aliud quoddam sacramentum nobis insinuat nimirum mortis Christi. Non solum igitur illis externis signis significantur nobis res intus latentes, hoc est corpus et sanguis Domini, verum etiam ipsius Christi passionis praesentatio quaedam est, dum corpus, quod exangue in cruce pependit, sub specie panis refert et ipse sanguis ut est sub specie vini, sanguinem qui pro nobis effusus est repraesentat (21). Unde sacramentum hoc res vocatur et symbolum. Res enim dicitur quatenus eundem Christum ut in cruce passum repraesentat (22). Praeter haec etiam mysterium illud alterius rei sacra-

(16) *I Cor.* 11, 23.

(17) Cf. *Rom.* 6, 9.

(18) Cf. *Conc. Trid.* sess. XIII, can. 3 (DB. 885).

(19) *Hom.* 46 in Jo. n. 2; PG. 59; 260.

(20) *I Cor.* 10, 17; *Eph.* 5, 30.

(21) Perbelle rationem sacrificii tangit, quam in sacramentali seu mystica imolatione reponere videtur.

(22) Cf. S. THOMAS, *S. Th.* III, q. 74, a. 1; q. 76, a. 2; ad 1; q. 79; a. 1.

mentum est, ipsius videlicet mystici corporis Christi. Significat enim unionem tum ipsorum membrorum inter se, tum ipsius capitis cum singulis quoque membris; nec significat solum sed et hoc ipsum efficaciter prestat: * significat autem vel ex eo quod sicut ex multis granis fit panis unus et ex multis racemis unus vini liquor confluit, ita veri christiani, qui sunt ipsius Christi membra, mutuo cum sibi, cum capiti connectuntur, et fiunt unum Christi corpus mysticum (23).

Appellatur insuper *σύναξις*, hoc est communio (24); quo homine non solum coadunatio membrorum sub capite verum etiam bonorum omnium quae vel in singulis membris vel in toto sunt corpore communicatio quaedam designatur, quod et articulus ille fidei comprehendit quo credimus Sanctorum omnium communionem. De hoc autem nomine, quoniam postea latius dicturi sumus, hic nihil addendum est.

Veteres « Eucharistiam » nuncuparunt quae non tantum *bona gratia* (25) interpretanda est, quantum totius gratiae fons cum Christum in se contineat plenum gratia et veritate: et quia per hoc mysterium fontis gratiarum omnium Christo communicamus recte Eucharistia vocatur, quam Hieronymus (26) nonnumquam transulit *gratitudinem* et *gratiarum actionem*. Hic merito quis dubitet cur hoc Sacramentum non itidem supplicationis mysterium dictum sit ac gratiarum actionis cum sacrum hoc mysterium tam in supplicatione versetur quam in gratiarum actione; supplicamus enim de remissione peccatorum, de immortalitate, de regno in coelis, de bonis corporalibus deque aliis quamplurimis quibus quotidie egemus.

Rationem quare Eucharistia, idest gratiarum actio et non supplicatio dicatur, Nicolaus Cabasilas Methonensis Episcopus, vir eximie eruditus qui in concilio Florentino interfuit (27) optime reddidit (28): inquit enim « Eucharistiam, hoc est gratiarum actionem tantum dici ab eo quod amplius est. Plures enim sunt causae gratiarum actionis quam supplicationis. Plura enim accipimus, quam ea sunt, quibus adhuc indigemus. Haec enim pars,

(23) Redolet doctrinam Apostoli, 1 Cor. 10, 17 et maxime Augustini, cf. P. BERTOCCHI, *Il simbolismo ecclesiologico dell'Eucaristia in S. Agostino*, Bergamo 1937.

(24) Cf. S. THOMAS, *S. Th.* 3, q. 73, a. 4.

(25) Cf. S. THOMAS, *Ibidem*.

(26) *In Eph.* 1, 3, c. 5; PL. 26, 552.

(27) Hic auctor multa miscet, quae inter se componi nequeunt. Etenim Nicolaus Cabasilas († 1371) auctor « *Liturgiae Expositionis* » quae hic laudatur, est plane discernendus a Nicolao Methonensi, qui, utpote defunctus circa a. 1165, Conc. Flor. interesse non potuit. Verisimile est Mendozam in unam conflasse personam duos episcopos methonenses, nimirum laudatum Nicolaum et Josephum Methonensem († 1498), qui de Florentia Synodo copiose disseruit; cf. M. JUGIE, *Theol. Dogm. Christ. Orient.*, Parisiis 1925, t. I, p. 408, 422, 486; S. SALAVILLE, *Cabasilas (Nicolas)*, Dictionnaire de Spiritualité, fasc. 7, col. 1-9.

(28) *Liturgiae Expositio*, c. 52; PG. 150, 486-487.

illa vero totum. Quae enim rogamus accipere pars sunt eorum quae accepimus. Omnia enim accepimus quod ad Deum attinet, et nihil praetermisit quod non dederit. Sed haec quidem assequendi nondum tempus habemus, sicut est corporum incorruptibilitas et immortalitas et regnum in coelis; illa vero accepta non retinemus. Sicut et remissio peccatorum et alia dona quae per sacramenta nobis suppeditantur, alia autem perdidimus quia male usi sumus, ne reddamur deteriores sicut consolationem et sanitatem et divitias quibus tamquam delictorum et nequitiae instrumentis usi, non ad lucrum maius, ut Job, praesentibus bonis privamur. Unde clarum est quod supplicationis locum nulum reliquit Deus, agendarum autem gratiarum occasionem omnem suppeditavit. Sed nobis ipsis inopiam propter socordiam parantes egemus supplicatione super remissione peccatorum. Sed eam copiosam accepimus absque ullo nostro certamine et contentione per sacrum baptismum. Cur ergo ea rursus petimus? Quia rursus obnoxii facti sumus. Nos ipsi ergo nostrae etiam supplicationis causa sumus. Praeterea de regno, ut eius haeredes simus, supplicamus. Atqui data est nobis haec haereditas. Etenim filii Dei facti sumus, qui regno indutus est. Quid enim haeres nisi filius? Quid * autem rerum paternarum haereditatem effugit? Nihil. Quomodo ergo petimus id quod iam datum est? Aliena a filiorum adoptione perpetravimus postquam ex Deo nati sumus et ad eum honorem pervenimus, pro filiis mali servi facti sumus et propterea tamquam de re aliena et quae nihil ad nos pertinet supplicamus. Ergo nos quoque huius supplicationis nobis causa sumus. De bonis autem corporalibus iussit Dominus ⁽²⁹⁾: *Petite primum regnum Dei et iustitiam eius, et haec omnia adjicientur vobis.* Et ⁽³⁰⁾: *Ne solliciti estis de nutrimento et indumentis, et Pater vester coelestis quidquid opus fuerit suppeditavit.* Nos autem quando his egemus vel propter socordiam nostram hoc patimur, et quod de his praeceptum non servamus. Et nunc egestas nostrum est opus et quae propter eam fit supplicatio. Vel propter Dei providentiam et benignitatem, sicut Job, ut maiora bona consequamur. Et tunc egestas illa Dei opus est, nec praebet rogationis aut supplicationis, sed glorificationis et gratiarum actionis materiam quemadmodum Job dicebat ⁽³¹⁾: *Sit nomen Domini benedictum in saeculum saeculi.* Vides quod omnia quae a Deo proficiscuntur nos ad glorificationem et gratiarum actionem tantum deducunt, orationum autem et supplicationum nos causae sumus. Propterea omnium honorum et corporis et animae in nostris ad Deum interpellationibus memoriam facientes, ad gratiarum actionem omnium commemorationem facimus sive ea nobis adsint sive

f. 28'

⁽²⁹⁾ Mt. 6, 33; Lc. 12, 31.⁽³⁰⁾ Cf. Mt. 6, 25, 31.⁽³¹⁾ Cap. 1, vers. 21.

f. 28^v non. Ille enim semel dedit * omnia et apud se nihil reliquit. Et hoc sciens beatus Paulus iussit pro omnibus gratias agere scribens ⁽³²⁾: *Semper gaudete, in omnibus gratias agite*. Hac de causa perfectissimam nostram cum Deo collocationem, mysterii communis celebrationem in quo mentionem facimus non huius vel illius gratiae sed omnium, ut semel dicam, Christi bonorum et quae actu nobis sunt. et futura sunt, Eucharistiam, hoc est gratiarum actionem nominare erat consentaneum non ex iis quae in miseria versantes et eam implorantes rogamus, sed ex iis quae Deus in nos confert beneficiis, neque ex nostra paupertate sed ex divitiis illius benignitatis. Quia enim in ea supplicamus et gratias agimus. Sed gratiarum quidem actio Dei opus est ut dictum est: supplicatio vero humanae imbecillitatis; et gratiarum quidem actio propter plura: supplicatio vero pro paucioribus. Illa enim propter omnia, ut semel dicam, bona, haec vero pro nonnullis. Propterea oportebat ex melioribus et pluribus ei nomine imposito appellare Eucharistiam. Ita enim etiam homo dicitur animal ratione praeditum licet sit alicuius particeps quod caret ratione, ut qui a meliore et digniore parte vocetur, et maxime quia primus qui id ostendit Dominus noster Jesus Christus non supplicans, sed tantum Patri gratias agens hoc mysterium peregit et tradidit; atque ea de causa quod illud esse * accepit, hoc vocat Eucharistiam nominans ». f. 29^r Hactenus Cabasila.

Sacrificium frequenter nominatur a Patribus. Ita etiam Augustinus, *lib. XVII De Civitate Dei, cap. XX* ⁽³³⁾: Quod « successit omnibus illis sacrificiis Veteris Testamenti quae immolabantur in umbra futuri ». De hoc inferius paulo latius disseremus. Hic quidem sacrificium idem Augustinus esse dixerit, silentio praetereundum non est. Ait ⁽³⁴⁾ enim sacrificium esse signum sensibile interioris sacrificii quod Deo offerimus.

De hac sacrificii ratione Gaspar Contarenus S. R. E. Cardinalis in libro II *de Sacramentis* copiose disserit ⁽³⁵⁾. Praeter Augustinum, Cyprianum, Chrysostomum aliosque auctores qui sacrificii voce Eucharistiam significarunt, Cyrillus in X lib. *De Adoratione in spiritu et veritate* ⁽³⁶⁾, sacrificium liturgiā appellat et panem esse et potum et vitulum et agnum ait. Ea quemadmodum Christus supplevit omnes illas templi oblationes optime declarat. Cuius verba, quoniam latine non habentur nec graece praeclarum hoc Cyrilli opus excussum est, ita ut habent apponenda censeo:

⁽³²⁾ *I Thess.* 5, 16-17.

⁽³³⁾ PL. 41, 556.

⁽³⁴⁾ *De Civitate Dei* 10, 5; PL. 41, 282.

⁽³⁵⁾ *De Sacramentis* l. 2, c. 3; Florentiae 1553, p. 58-83.

⁽³⁶⁾ PG. 68, 707.

Και τις δὴ ἄρα ἐστὶ τῆς οὕτω πολυειδοῦς προσαγωγῆς ὁ λόγος;

Καρποφορία μὲν οὖν τὸ χρῆμά ἐστιν, ὃ Παλλάδιε, πέπλεκται δέ, οἶμαι, και λόγος αὐτῇ μυστικῶς εἰς τὸν Ἐμμανουήλ, και εἰς ἡμᾶς αὐτοὺς ἀναπλέκων τὸ αἰνίγμα· φράσω δέ ὡς ἂν οἶός τε και πάλιν ἀναδεδειγμένης γὰρ ἐν τῷδε τῷ κόσμῳ τῆς ἁγίας, και ἀληθοῦς σκηπῆς, τουτ' * ἐστὶ τῆς Ἐκκλησίας πολυειδῶς ἐν αὐτῇ διαπρέπων Χριστοῦς και f. 29^v μονονουχι παρ' ἡμῶν και ὑπὲρ ἡμῶν ὡς ἱερὸν προσάγεται θῦμα τῷ Θεῷ και Πατρὶ, λύτρον και ἀντάλλαγμα τῆς ἀπάντων ζωῆς, εἰς ὃ πάντων ἀντάξιος. Ἐπειδὴ γὰρ γέγονεν ἄνθρωπος ὁ Μονογενῆς ὡς εἰς ἐξ ἡμῶν ἑαυτὸν προσκεκόμικεν τῷ Θεῷ και Πατρὶ, πρῶτόλειον ὥσπερ τι και ἀπαρχή, τῆς ἀνθρώπου φύσεως εὐωδιαζούσης ἐν ἁγιασμῷ, φυσικῶς μὲν και οὐσιωδῶς ἐνυπάρχοντι, καθ' ὃ νόεῖται και ἐστὶ Θεός εἰσκεκρμένως δὲ αὐτὸν διὰ τὸ ἀνθρώπινον.

Εἰς δὲ ὑπάρχων και αὐτός, κατὰ πολλοὺς ἐγράφετο τρόπους, ὡς ἐν τῇ τῶν ἀρχόντων προσκομιδῇ, ἱερουργεῖται δὲ ὥσπερ και νῦν ὁ Χριστός, διὰ τῶν κατὰ καιροὺς ἡγουμένων πολυτρόπως νοουμένους, και διαφόροις ὀνόμασιν ἐκτειμημένους, και καθ' ἡμέραν ἢ προσφορά, τὸ ἀνέκλειπτες οἶον εἶ πως και ἀκατάληκτον τῆς Χριστοῦ θυσίας ἐν ἡμέρα πάση και τὸ ἐν αὐτῇ καρποφόρον τῶν ἐν πίστει δειδικαιωμένων ὑποδηλοῦντος τοῦ πράγματος.

Οὐ γὰρ ἐπιλείψουσιν οἱ προσκνηταί, ἀλλ' οὐδὲ σπάνις ἔσται δωροφορίας. Προσκομισθῆσεται δὲ πρὸς ἡμῶν και ὑπὲρ ἡμῶν ὁ Χριστός, μυστικῶς ἱερουργούμενος ἐν ταῖς ἁγίαις σκηναῖς. Αὐτός δὲ ἡμῶν καρποφορία πᾶσι και ἐξαιρετός· προσκεκόμικε γὰρ ἑαυτὸν εἰς θυσίαν τῷ Πατρὶ και οὐχ ὑπὲρ γε μᾶλλον ἑαυτοῦ κατὰ τὸν ἀνωμήτως ἔχοντα λόγον, ἀλλ' ὑπὲρ ἡμῶν τῶν * ὑπὸ ζυγὸν και γραφὴν ἁμαρτίας. Καθ' f. 30^v ὁμοιότητα δὲ τὴν πρὸς αὐτόν, ἱερὰ θύματα και ἡμεῖς, κόσμῳ μὲν ἀποθνήσκοντες, ὡς νεκρωμένης τῆς ἁμαρτίας ἐν ἡμῖν, ζῶντες δὲ τῷ Θεῷ, τὴν ἐν ἁγιασμῷ και ὁσιότητι ζωὴν. Ταυτὶ γὰρ ἡμῖν ὑπεμφαίνειν ἔοικεν ἢ τῶν ἀρχόντων προσαγωγή, ἣν και ἀνὰ μέρος ἐκβασανίζοντες τοῖς καθήκουσι λογισμοῖς, ὅπως ἂν ἡμῖν εὖ ἔχοι, βούλει λέγωμεν κατὰ τὸ ἐγγωροῦν. Latine sic habent: « Quatenam est tam variæ oblationis ipsa, o Palladi, fructuum oblatio est. Sed intertextitur, ut arbitror, ratio quaedam mystica ad Emmanuelem et ad nos etiam aenigma transferens. Dicam rursus ut potero. Quum semel monstratum fuerit sanctum et verum in hoc mundo tabernaculum, hoc est Ecclesia, multifariam in ea Christus collucens et tantum non a nobis et pro nobis ut sacrum sacrificium offertur Deo Patri in redemptionem vitae omnium: unus enim omnium pretium aequat. Postquam enim Unigenitus Dei Filius homo factus est, tamquam unus ex nobis seipsum Deo Patri obtulit ut primum quemdam fructum et primitias humanae naturae bene olentis in sanctitate. Nam et substantialiter et naturaliter quiddam illi inest secundum quod intelligitur et est Deus. Distincte autem ex altera parte propter humanitatem. Unus ergo et idem cum sit, variis

f. 30^v describitur modis ut in principum oblatione. Sacrificatur autem ut et nunc Christus ab iis qui * pro tempore succedunt, multifariam consideratus et variis nominibus insignitus. Quod autem singulis diebus oblatio fiat perpetuitatem quamdam et indesinentiam quotidiani Christi sacrificii et eius fructum, hoc est fide iustificatos, res ipsa ostendit. Numquam enim defuturi sunt adoratores aut inopia futura oblationis cum offerendus sit a nobis et pro nobis Christus mystice sacrificatus in sanctis tabernaculis. Ipse enim est nostèr fructus primus et eximius. Obtulit enim seipsum Patri in sacrificium non quidem pro se qui argui non poterat de peccato, sed pro nobis sub jugo et chirographo peccati constitutis. Sed et nos sumus ex similitudine quamdam quam cum ipso habemus sacra sacrificia, mortui mundo et interempto in nobis peccato, viventes autem Deo vitam in religione et sanctitate. Haec ergo quae dixi subindicare nobis videtur oblatio principum, quam singillatim, si placet, propriis rationibus persequamur et, quantum consequi poterimus, explanemus quoad in nobis situm fuerit». Haec Cyrillus. Haeretici, qui hoc mysterium sacrificium esse negant, sciant veterum omnium sententiae communique totius Ecclesiae dogmati reductari.

Nuncupatur insuper panis, qui non vadit in secessum ⁽³⁷⁾ sed supersubstantialis ⁽³⁸⁾ qui nos convertit in Christum.

f. 31^r Dicitur etiam cibus dominicus ab Hilaro ⁽³⁹⁾ et ab aliis qui * asserunt nos vere Verbum carnem in hoc dominico cibo sumere. Praeter has nomenclaturas cognominatur et viaticum ⁽⁴⁰⁾, ideo quod nobis in hac peregrinatione versantibus robur praestat et viaticum itineris feliciter consummandi simul et eo perveniendi ubi laborum omnium finis erit et aeterna requies.

Dionysius ⁽⁴¹⁾ perfectionem perfectionum et consummationem consummationum vocat, quod Augustinus supplementum ⁽⁴²⁾ nuncupavit quia est finis et consummatio, ut Dionysius tradit, caeterorum omnium sacramentorum.

Mystica benedictio a Cyrillo ⁽⁴³⁾ vocatur, qui Christus benedictione sua sacramentum istud in coena confecit: et Paulus calicem benedictionis cui benedicimus dixit: de qua benedictione Chrysostomus ⁽⁴⁴⁾ praeclare multa scripsit.

⁽³⁷⁾ Cf. Mt. 15, 17.

⁽³⁸⁾ Cf. Mt. 6, 11.

⁽³⁹⁾ *De Trinitate* l. 8, n. 13; PL. 10, 264.

⁽⁴⁰⁾ Cf. S. THOMAS, *S. Th.* 3, q. 73, a. 4.

⁽⁴¹⁾ *De Ecclesiastica Hierarchia*, c. 3, n. 1; PG. 3, 423.

⁽⁴²⁾ « Vivificum corporis Domini supplementum ». Ps. AUGUSTINUS, *De visitatione infirmorum* l. 2, c. 4; apud I. GROPPER, *De veritate corporis et sanguinis Christi in Eucharistia*, Coloniae 1540, p. 269A1.

⁽⁴³⁾ Cf. PG. 69, 30 et 75, 698.

⁽⁴⁴⁾ *Hom.* 24 in 1 *Cor.* n. 1-2; PG. 61, 199-200.

Convivium Hieronymus, ad Hedibiam ⁽⁴⁵⁾ scribens, hoc sacramentum appellavit. Et revera non potest cogitari epulum aliquod delicatius nec maiore suavitate refertum, in quo species panis, veritas carnis, virtus gratiae spiritualis continetur. Speciem panis sensus exterior comprehendit, veritatem carnis fides interior concipit, virtutem gratiae spiritualis caritas superior complectitur, quod fit ut qui maiore gratia, fide, meritis, affectibus praestat, intimius et constrictius Christo capiti coadunetur eoque suavitatem huius mysterii gustet uberius et felicius eo inebrietur, quamquam hanc suavitatem non omnes qui digne hoc cibo dominico reficiuntur, in quibus manet Christus et ipsi in Christo experimento gustant. Paucissimorum enim est actu ipso distincte et aperte sentire delitias, nexum, mansion* em in eo contenta f. 31^r propter magnam humanarum curarum vim nimirum, quae memoriam perturbant. Ipsa enim imaginationum varietas intellectum in se rapit, et concupiscentiarum impetus voluntatem inficit atque a recto abducit. Sentiunt tamen quamplurimi gratiam inhabitationis dum operationem intra se verbi Dei experiuntur, quod efficacius et penetrabilius omni gaudio ancipiti penetrat usque ad divisionem animae et spiritus ⁽⁴⁶⁾, spiritumque sursum capit licet anima deorsum maneat.

Appellatur denique hoc sacramentum a Basilio ⁽⁴⁷⁾ exemplar, sive exemplaria ἀντίτυπα graeco vocabulo: sed hoc ante sanctificationem, ut Damascenus ⁽⁴⁸⁾ animadvertit. Nec est cur panis et vinum in corpus et sanguinem Christi versum etiam post consecrationem non dicantur exemplaria. Siquidem sunt vere exemplaria coadunationis christianorum ad invicem, velut membrorum sub uno capite. Sunt denique et exemplaria futurorum ipsius, videlicet beatitudinis futurae, quando absque velamine ipsam Dei essentiam facie ad faciem contuebimur, qui nunc per ea Christi divinitate participamus, ut inquit Damascenus ⁽⁴⁹⁾; cuius sententiam Sanctus Anastasius in primum Geneseos caput ⁽⁵⁰⁾ comprobat, antitypa asserens appellari a Paulo ad Hebraeos omnia quae in Ecclesia, quoniam sunt quaedam veluti simulacra coelestium. Post Manichaeorum haeresim desinit appellari antitypa, quum ante Basilius et Origenes ⁽⁵¹⁾ ita appellarent quod quamquam vere sit corpus Christi* et sanguis in his sacramentis, dicuntur tamen figura rerum f. 32^r coelestium.

⁽⁴⁵⁾ Ep. 120, c. 2; PL. 22, 986.

⁽⁴⁶⁾ Cf. Hebr. 4, 12.

⁽⁴⁷⁾ Ut refert Damascenus loco mox citando.

⁽⁴⁸⁾ De fide orthodoxa l. 4, c. 13; PG. 94, 1151-1154.

⁽⁴⁹⁾ De fide orthodoxa l. 4, c. 13; PG. 94, 1154.

⁽⁵⁰⁾ ANASTASIUS SINAITA, *Anagigicorum contemplationum in Exameron praefatio*; PG. 89, 855, cf. Euthimius Zigabenus, In Mt. c. 64; PG. 129, 666.

⁽⁵¹⁾ In Mt. tom. 11, n. 14; PG. 13, 943, 951.

Haec de nomenclaturis huius divini mysterii dixisse sufficiat quae satis declarant ingentem divitiarum thesaurum in eo reconditum quem tot tamque variis appellationibus utentes Sancti Patres, satis se illustrare non posse existimarunt. Iam ad praedictarum rationum probationes quibus naturalis unitas inter nos et Christum comprobatur veniamus.

CAPUT III.

Corroboratio prima. Veritas naturalis unitatis carnis Christi nobiscum et nostri cum Christo per corporis et sanguinis eius Eucharistiam ex Christi institutione comprobatur.

Manifeste ex Christi institutione veritas naturalis eius unitatis nobiscum constat. Panem enim in illa ultima coena quam cum Apostolis habuit accipiens in manus suas benedixit fregitque et dedit discipulis suis dicens ⁽¹⁾: « *Accipite et manducate ex hoc omnes: hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur. Hoc facite in meam commemorationem. Et accipiens calicem gratias egit et dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes. Hic est sanguis meus qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum* ». Cum vero varia et multiplex naturalis unio reperitur, scilicet subiecti ad formam et subiecti ad accidens, et materiae ad formam et capitis ad * membra et animae ad corpus cibique ad cibatum, et si quae aliae sunt in naturalibus ultra quas reperitur etiam unio hypostatica valde distans ab omnibus aliis cum qua nihil nobis commercii nunc est, aperte etiam nos docuit ex praedictis naturalibus unitatibus hanc nostram cum ipso unionem magis assimilari illi unioni naturali et substantiali quae fit in nobis per cibum et potum quam alii, inquam, quaeque adeo necessaria est ut sine illa ullo modo naturaliter vivere possimus. Quare cum manducari corpus suum atque sanguinem eius bibi praecepit, manifeste ostendit per carnis eius esum et sanguinis potum realiter substantialiterque communicanti uniri, quemadmodum cibus et sumens ipsum uniantur.

Carnem suam vere esse cibum et sanguinem suum vere esse potum ipse Christus asseruit cum inquit ⁽²⁾: « *Caro mea vere est cibus et sanguis meus vere est potus* ». Huius carnis manducatio, huius sanguinis potus quid efficiat alio loco Christus ait ⁽³⁾: « *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in eo* ».

⁽¹⁾ Lc. 22, 19-20 coll. Mt. 20, 26-29.

⁽²⁾ Jo. 6, 55.

⁽³⁾ Jo. 6, 56.

Haec Christi in nobis et nostri in Christo mansio absque coniunctione non est. At inquires: Haec Christi verba de spirituali tantum mansione unioneque intelligenda esse. Ego vero Sanctorum Patrum sententiis edoctus de substantiali etiam naturalique carnis per hunc dominicum cibum unitate per quem in nobis qui carni sumus manentem per carnem Christum habemus * intelligenda non dubito. Praeter f. 33^v
 Hilarii, Cyrilli aliorumque Patrum auctoritates, quarum nonnullae in sequenti probatione referentur, Ammonius Graecus auctor ita interpretatur, cuius verba inferius in quinta rationis probatione adferuntur. Albertus etiam vere Magnus in tractatu *De Corpore Christi* (4), ratione ipsa ita esse concludit; cuius rationes et argumenta in hoc consistunt quod cum Christus carnem nostram assumpserit et nos vere carnem eius edamus in Eucharistia non solum per unionem voluntatis sed per naturalem coniunctionem in nobis est. Quum igitur vera sint duo prima, necesse est postremum quoque verum esse.

Argumentum Alberti Hilarius (5) mille ferme ante eum annos tractavit, a quo aliisque Patribus Albertus eruditus, non dubitavit asserere unionem per Christum in nobis perfici non tantum spirituales sed etiam naturalem quodammodo, quatenus per hoc Sacramentum Christus manet in nobis secundum utramque naturam, humanam videlicet et divinam quae in utroque Sacramento integre continetur et nos vere corpore et animo, duabus nimirum naturis constantes, sumimus corpus et sanguinem eius. Haec unio Innocentium III Patresque in concilio generali (6) convocatos minime latuit ut postea latius ostendemus. Cardinalis quoque Joannes de Turrecremata (7) Albertum sequutus: «Notandum, inquit, quod unitas qua unimur Deo duplex distingui videtur. Una est voluntatis, et haec est duplex. Una per inhabitantem * gratiam, sic in f. 33^v
 hac vita unimur Deo ut ab eo non dissentiamus. Alia, qua uniuntur ei Sancti per gloriam in alia vita ut nihil velint aut velle possint nisi quod ipse Deus vult. Alia est unitas naturae vel naturarum et ista videtur distingui dupliciter. Una est per assumptionem carnis nostrae in utero Virginis in qua factus est nobis conformis in natura. Altera est quae per participationem corporis et sanguinis Christi in Sacramento, secundum utramque naturam Christus manet in nobis. Secundum utramque unitatem voluntatis unimur Patri et Filio, quodammodo unimur Patri et Spiritui Sancto». Hactenus Cardinalis Turrecremata.

(4) *De Eucharistia*, d. 2, tr. 3, c. 1; ed. Borgnet, vol. 38, col. 227; cf. A. PROLANTI, *Il Corpo Mistico e le sue relazioni con l'Eucaristia*, Roma 1939, p. 197.

(5) *De Trinitate*, l. 8, c. 13-17; PL. 10, 246-249.

(6) *Lateranensi IV a.* 1215 (DB. 430).

(7) *Super Decreto*, Pars 3, De cons., d. 2; Venetiis 1578, t. IV, p. 173.

Libuit Alberti et Turrecrematae sententias adferre ne apud veteres tantum Patres huius unionis mentionem factam quis existimet.

Sed ut magis ac magis hoc ipsum pateat considerandum est corporis et sanguinis Christi Eucharistiam nemini prodesse nisi spiritualiter ipsum corpus et sanguinem percipiat. Spiritualiter autem sumere fides caritasque praestant; et sic percipientem cum Christo per gratiam uniri nemo sanae mentis est qui non fateatur. Verum id ipsum baptismus etiam piusque per fidem Sacramenti intuitus efficiunt. Quum autem actu ipso percipitur et fidei caritatisque pia manducatio additur, per quam naturalis Christi caro una cum naturali carne nostra f. 34^r reipsa coniungitur, nullam aliam praeter * spiritualem coadunationem asserere, quid aliud est quam naturalem cibi cum cibato coniunctionem negare? Si ergo substantialis Christi corporis cum substantiali corpore nostro per mysticae benedictionis sacramentum copulatio negari nequit, quae tandem unio esse dicitur si naturalis non est?

Ex praedictis videre quisvis potest possibilem esse substantialem unionem corporis Christi ad digne communicantem. An ita revera sit in nobis per sanctissimum Eucharistiae sacramentum, nulla locupletior probatio adferri potest quam quae ex Christi institutione iuxta expositionem et intelligentiam sacrorum doctorum accepta sumitur. Qui vero effectus ex hac naturali unione prodeant, cum de fine huius unitatis agemus pro virili explanare conabimur. Quibus expositis, liquebit non absque maximo carnis nostrae beneficio animam nostram dominico sumpto saginari, ac corpori Christi animam corpusque nostrum naturali unitati conglutinari vimque ac virtutem divinam ab ipsa Christi humanitate in animam corpusque nostrum transfundi. Siquidem ob hunc divinum cibum Christus ipse Joannis 6 (8) mansionem, hoc est unionem, et vitam aeternam promissam et non quameunque sed f. 34^v qua Pater vivit, carnisque resurrectionem * pollicetur dicens: « *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem habet vitam aeternam et ego suscitabo eum in novissimo die* » (9). Unde Sacramentum hoc resurrectionis symbolum a divino spiritu afflatis Patribus peculiari ratione appellatum inferius constabit. Praeterea quae causa et unio tam naturalis tantaque virtutis reperiri poterit quae magis sit coniuncta cum suo effectu et effectus cum sua causa et principio, quam haec Christi corporis coniunctio nobiscum et nostri cum Christo. Neque enim tam parentibus filios aut membra capiti copulari eximii auctores iudicarunt. Nemo ergo iure poterit ab hoc nexu quo cum Christo naturaliter copulamur nos seiangere, nisi qui aut veritatem et vim humanae et divinae Christi naturae in hoc Sacramento veramque id manducantium naturam negaverit, ut qui vivificatricem Christi carnem

(8) Vers. 55-57.

(9) Jo. 6, 54.

esse inficietur. Quae omnia, quam ab orthodoxa fide abhorreant, in decima rationis probatione manifeste apparebit. Haec nunc dixisse sufficiat quantum ad primae rationis confirmationem ut intelligamus ex ipsa Christi institutione ac praecepto effici nos unum cum ipso unitate non tantum spiritus sed naturali etiam quae naturalis a Sanctis Patribus et agnita et appellata semper fuit.

CAPUT IV.

* *Secunda probatio. Verbis eiusdem Christi confirmatur.*

f. 35^r

Si satis comprobatum existimamus ex Eucharistiae digna sump-
tione a Christo instituta praefatam naturalem unitatem inferri ut ta-
men eiusdem verbis confirmetur, ea, quae in superiore approbatione
e Joannis 6 attulimus, hic rursus repetenda sunt quae sic habent (1):
« *Caro mea vere est cibus et sanguis meus vere est potus. Qui man-
ducat meam carnem et bibit meum sanguinem in me manet et ego in
illo* ». Haec Redemptoris verba licet sint adeo clara et manifesta ut
quilibet ex se posset in sententiam nostram exponere, tamen myste-
rium tantae rei nisi a tot sanctissimis et doctissimis viris in hunc mo-
dum interpretatum esset, temere potius quam sobrie dicta videri pos-
sent. Sed ita aperte locuti sunt sancti Dei ut clarioribus verbis men-
tem suam circa hanc naturalem substantialemque unionem aperire non
potuerint. Nam ex iis nonnulli asserunt nos non solum fide et caritate,
sed naturaliter et carnaliter cum Christo uniri, alii substantialiter,
alii realiter et reipsa. Item alii commisceri cum Christo et Christum
nobis. Alii nos et nostrum corpus in ipsum et ipsius corpus converti,
transmutari. Item per corpus Christi digne sumptum unam cum ipso
carnem effici, unum corpus fieri, esse concorpores imo et ipsum Chri-
stum. Item transformari, commassari, immisceri, incorporari cum
Christo, transire in Christum et in corpus Christi et desinere in corpus
Christi, complicari, coniungi, conglutinari corpus cum corpore et car-
nem carni et simul cum eo coalescere. Item alii ex ipso et * ipsius
corpore nutriri et augeri non solum animam sed corpus per dignam
sumptionem. Item uniri per carnem, spiritu et carne gestare Christum,
manere Christum in nobis non solum in anima sed in corpore nostro,
et esse in eo et vivere in eo, esse in nobis et nos in illo, fieri per
dignam sumptionem eius membra de osse et de carnibus eius. Item
vivere nos vita Christi et vivificare carnem nostram cum eius carne,

f. 35^v

(1) Jo. 6, 55-56.

imo vivere carnem nostram vita Christi et eius corporis. Item effici tunc unam carnem sponsum cum sponsa, et demum his similia alia sancti de hac unione per Eucharistiam digne sumptam dixerunt. Nimirum cum haec unio valde superet humanum captum varietate verborum similitudinumque multiplicitate effectum qui sequitur ex carne Christi digne sumpta ac sanguine eius epoto, uberius fidelibus declarare conati sunt; recte sane intelligentes quam sit quaedam tum contemperatura tum coniunctio manducantis et rei manducatae quae veri cibi et potus conditiones in hac sacramentali manducatione et nutritione spirituali nobis magna ex parte explicat. Nam res quae manducatur tandiu cibus esse dicitur, quamdiu et manducans in illa naturaliter remanet. Nam hoc ex actione et alimento naturali compertum habemus necesse esse ut cibus in eo qui alitur coniungatur et attendat alimento, alioquin non alitur. Item si alimentum transiverit sive in eum qui alitus est sive in quamcumque aliam materiam, iam non est amplius * alimentum nec cibus aut potus. Hoc ipsum explicat Dominus inquit (2): « *Manet in me et ego in illo* ». Quum enim dicit manet excludit transitum. Non enim transit caro Christi per substantiae mutationem in nostram sed divina irradiatione, ut *D a m a s c e n u s* (3) ait, et se intus esse in manducante asserit, ut ostendatur ineffabilis quaedam et mutua coniunctio inter manducantem et rem manducatam sive verum cibum, qui cum non sit nudi hominis carnis sed caro vivifica, non solum Christus corporaliter per benedictionem mysticam nobis ut homo unitur sed spiritualiter etiam iuxta orthodoxorum omnium sententiam, ut Deus sui corporis gratia nostrum spiritum ad novam vitam et divinae vitae participationem redintegrat, atque ut uterque nexus unionis nostrae cum Christo tam spiritualis quam naturalis intelligeretur non dixit: *Manet in carne mea aut sanguine meo, sed manet in me*. Sic enim ostendit attentionem per fidem et caritatem ipsius manducantis ad ipsum verum cibum a quo alimentum accipit ac pariter nos evehit ab humanitate ad ipsam divinitatem, hoc est ad se ipsum, ut plane intelligamus manducantem fide viva Christi carnem non solum coniungi humanae Christi naturae sed toti Christo qui Deus et homo est. Manendi enim verbum, coniunctionem unionemque intimissimam significat ut inferius patebit.

Allata Christi verba hoc sensu accipienda esse, beatorum Patrum Hilarii, Cyrilli ac aliorum complurium expositione docetur. Ille enim f. 36^v in *octavo De Synodis libro* (4) * ubi disserit: « *Utrum ne per naturae veritatem hodie Christus in nobis sit an per concordiam voluntatis* »

(2) *Jo.* 6, 56.

(3) Cf. *De fide orthodoxa* l. 4, c. 13; PG, 94, 1142, 1143, 1146, 1150.

(4) MELIUS: *De Trinitate* l. 8, c. 13-17; PL, 10, 245-249, cf. M. DE LA TAILLE, *Mysterium Fidei*³, Parisiis 1931, p. 479-481.

naturalem in nobis unitatem Christi testimonio comprobans, ait: « Quod autem naturalis in nobis haec sit unitas ipse ita testatus est: *Qui edit carnem meam et bibit meum sanguinem in me manet et ego in eo.* Non enim quis in eo pacto erit nisi in quo ipse fuerit, eius tantum se assumptam habens carnem qui suam sumpserit ».

Sanctus Thomas in *catena aurea super Joannem* (5) Hilarii verba adfert quibus asserit hanc vitae nostrae causam esse quod in nobis carnalibus manentem per carnem Christum habemus, victuris nobis ea conditione qua vivit ille per Patrem. Cyrillus quoque in *Joannem* saepe idem testatur, praecipue lib. 4, cap. 3 (6), eadem Christi verba exponens. Euthimius etiam in *Matth.* cap. 64 (7): « Quod si, inquit, de uno corpore et sanguine omnes fideles participamus, omnes unum sumus per ipsam horum mysteriorum participationem et in Christo omnes, et Christus in omnibus: *Quid edit, inquit, carnem meam et bibit sanguinem meum in me manet et ego in illo.* Verbum siquidem per assumptionem carni unitum est. Haec rursus caro unitur nobis per participationem ». Vides illum de unione carnis loqui? At quid opus est in re adeo clara plura testimonia proferre, quandoquidem ratio ipsa cogit ut per naturae veritatem non tantum per * gratiam Christum esse in carnem suam manducantibus et sanguinem suum digne bibentibus fateamur? Cum enim utramque naturam divinitatis et humanitatis perfectam in unitate personae habeat, eius autem divinitas non sit ore esibilis atque ideo quod manducatur, necesse est ut de humanitate et de toto Christo Deo simul et homine intelligatur, atque ita in nobis, ut homo, corporaliter uniatur, ut Deus spiritualiter; quemadmodum paulo ante diximus et ante mille trecentos fere annos Hilarius exposuit. f. 37^r

Aliud Christi testimonium est quod idem Hilarius (8) aliique Patres ex eodem Joannis 6 (9) adferunt: « *Sicut me misit vivens Pater, et ego vivo propter Patrem, et qui manducat me ipse vivet propter me* ». Qui fide sincera horum verborum sententiam accipiet, evidenter fatebitur probationem ad asserendum naturalem nostram cum Christo connexionem. Sic ergo argumentum deducamus. Eo modo quo Patre Christus vivit, nos per carnem eius vivimus: at Christus vivit per Patrem naturaliter, ergo et nos naturaliter per carnem eius vivimus. Hoc enim est quod ipsa Christi verba significant. Nam vita Dei naturalis et aeterna est. Christus quoque Filius Dei Patrique consubstantialis vitae Dei naturalis particeps est. Omnis item qui spiritualiter

(5) *Catena aurea in Jo. 17, 20.*

(6) *In Jo. 1, 4, c. 3; PG. 73, 586-594.*

(7) EUTHIMIUS ZICABENUS, *In Mt. c. 64, v. 28; PG. 129, 667.*

(8) *De Trinitate* l. 8, c. 13-17; PL. 10, 245-249.

(9) *Vers. 57.*

et sacramentaliter corpus Christi recipit, Christum in se spiritualiter habet; quisquis vero Christum in se habet, vitae Dei particeps est.

- f. 37^v Vis * argumenti in hoc consistit quod quemadmodum vita qua Christus ut Dei Filius vivit. est vita Dei quae naturalis et aeterna est; ita unum effectum cum Filio Dei per manducationem corporis eius vita aeterna vivit, quae Christus est. Quemadmodum enim caro Christi cum Unigenito Dei Filio conglutinata vivificam Dei virtutem in se habet, ita quoque cum caro nostra per Eucharistiam cum carne Christi coniungitur, virtutem ipsius Christi eiusque carnis haurimus, modo per fidem et caritatem sinceram ipsius vitae imitatores sumus. Hoc ipsum Cyrillus in Joannem (10) mellis similitudine declarat: inquit enim: « Nam si cum mel dulce naturaliter sit, ea quibus miscetur dulcia facit, nonne stultum erit vivificam Verbi naturam putare non dedisse homini in quo habitat vivificandi virtutem? ». Hilarius etiam super illud Joannis 14 (11): « *Et hic mundus iam non me videt, vos autem me videbitis quoniam ego vivo et vos vivetis, quoniam ego in Patre meo, et vos in me, et ego in vobis* », aperte satis declarat non voluntatis tantum sed naturae etiam unitatem nobis a Christo his verbis promitti. Hilarii verba sic habent (12): « Si voluntatis tantum unitatem intelligi vellet, cur gradum quemdam atque ordinem consummandae unitatis exposuit? nisi ut cum ille in Patre per naturam divinitatis esset, nos contra in eo per corporalem eius nativitatem et ille rursus in nobis per sacramentorum inesse mysterium crederetur, ac si perfecta per mediatorem unitas doceretur, cum nobis in se manentibus * ipse maneret in Patre, et in Patre manens ipse maneret in nobis et ita ad vitam Patris proficeremus cum in eo qui naturaliter secundum nativitatem inest, nos quoque in eo naturaliter inessemus ipso in nobis naturaliter manente ». Hactenus Hilarius qui et illud Joannis ultimo (13): « *Non tantum pro eis rogo sed pro eis qui credituri sunt in me per verbum illorum, ut omnes unum sint sicut tu Pater in me et ego in te* » de hac ipsa naturali per Eucharistiam unitate intelligenda esse docet; cuius sententia infra in quintae rationis probatione plenius explicabitur.

Innocentius quoque Papa III in epistula decretali ad Archiepiscopum Lugdunensem quae in 3^o lib. decret. in cap. « Cum Marthae » habetur de celebrat. Missarum (14) Hilario consentit. Inquit enim: « Ideo vino aqua unitur ut Christo populus adunetur. Per hoc enim quod susceperit ipse de nostro, accepimus ipsi de suo tam insolu-

(10) Lib. 4, c. 3; PG. 73, 602.

(11) Vers. 19-20.

(12) De Trinitate, l. 8, c. 13-17; PL. 10, 245-249.

(13) Jo. 17, 20.

(14) PL. 214, 1122.

bili nexu coniungimur ut qui est unum cum Patre per ineffabilem unitatem, fiat unum nobiscum per admirabilem unionem, ac per hoc ipso communiter mediante, cum Patre unum efficiamur. *Pater, inquit, sancte, serva eos quos dedisti mihi ut sint unum sicut et nos. Non pro his rogo tantum, sed pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me. Et ut ipsi in nobis unum sint, et mundus credat quia tu misisti me* ». Ecce optimus doctissimusque Pont. Max. per admirabilem unionem et insolubilem nexum non eam quae fide et dilectione * tantum f. 38^v fit coniunctionem (hoc enim reliqua Sacramenta efficiunt) sed aliquid maius intelligit, nimirum ipsam naturalem cum Christo unitatem qua insolubili nexu qualis est carnalis commisionis inter virum et uxorem per quem una caro dicuntur, et quae, nisi morte naturali, dirumpi non potest, coniungimur. Non etiam de spirituali unione sed de ea quae per Eucharistiam fit quam admirabilem vocat, quae, etsi vere naturalis sit, quoniam tamen nostro sensu nostroque intellectu etiam superior est.

Thomas denique in *catena aurea super Joannem* ipsum Hilarium super haec eadem Joannis verba adfert ⁽¹⁵⁾. Et in *commentario super Joannem* eadem Christi verba exponens, Hilarium secutus, aliquid nos de natura Christi habere ait ⁽¹⁶⁾. Verba Thomae postea adferuntur exponunturque. Hactenus ergo ostensum est, his verbis Christi constare veram esse nostram cum eo naturalem quendam unionem.

CAPUT V.

Tertia probatio. Clarissimis Pauli verbis fulcitur.

Ne de naturalis huius unitatis veritatem ambigendi locus relinquatur, clarissimis Pauli verbis docemur qui sic ait ⁽¹⁾: «*Nemo unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit et fovet eam sicut et Christus Ecclesiam, quia * membra sumus corporis eius de carne et de ossibus eius* ». Haec membrorum et corporis, carnis et ossium mentio, naturalem cum Christo et Christi nobiscum unitatem demonstrat nisi quis forte tropice verba Pauli intelligenda esse contendat, aut ob assumptam a Christo humanae carnis naturam nos vere corporis eius membra de carne eius et de ossibus eius esse as- f. 39^r

⁽¹⁵⁾ *Catena Aurea in Jo. 17, 20.*

⁽¹⁶⁾ «*Per hoc ergo secundum Hilarium excluditur error Arii, nam si nos propter Christum vivimus, quia aliquid de natura sua habemus etc.* ». *Commentarium in Jo. 6, lect. 7, n. 7.*

⁽¹⁾ *Eph. 5, 29-30.*

severet, ac nullatenus Paulum loqui de unitate qua corpus Christi pie manducantes cum Christo unimur velit. Qui autem figurative Paulum loqui asseret, caveat ne eadem ratione haereticis occasionem det dicendi Christi verba *Joannis* 6. (2), *Matth* 14. (3), *Marci* 14 (4), *Lucae* 22 (5), de hoc Sacramento tropice etiam intelligenda esse, quod falsum esse, vel sola *Irinae* auctoritas convincet qui sic ait (6): « Quando ergo et mistus calix et fractus panis percipit verbum Dei fit Eucharistia corporis et sanguinis Christi, ex quibus consistit et augetur nostrae carnis substantia; quomodo negant carnem capace[m] esse donationis Dei qui est vita aeterna, quae et corpore et sanguine Christi nutritur et membrum eius fit quemadmodum apostolus ait (7): *Quoniam membra sumus corporis eius de carne eius et de ossibus eius, non de spirituali aliquo et invisibili homine* dicens haec (8): *spiritus enim neque carnem neque ossa habet*, sed ea dispositione quae est secundum hominem quae ex carnibus et nervis consistit; quae de calice qui est sanguis eius nutritur et de pane qui est corpus eius augetur ». Haec *Irinaeus* cum haereticis dimicans adversus quos tropicis locutionibus locus nullus est. His verbis manifeste affirmat *Irinaeus* ex hoc *Pauli* loco, nos membra esse corporis Christi de carne eius et de ossibus eius: atque ideo quidem quod corpore et sanguine eius in Eucharistia vescimur, praeter fidem enim et dilectionem quibus corpori Christi mystice * inserimur, corporali ipsius carnis esu non spiritualiter solum verumtamen corporaliter, vivifica carnis eius vi ac virtute ipsi unimur.

Ideoque ut utramque participationem *Paulus* complecteretur alibi etiam scripsit (9): « *Supportantes invicem in caritate solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis, unum corpus et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae* ». Et ad *Corinth* (10). scribens inquit: « *Etenim in uno spiritu omnes nos baptizati sumus, sive Judaei sive Gentiles, et omnes in uno spiritu potati sumus* ». Utrobique corporis et spiritus unitatem comprehendit. Quemadmodum enim hi omnes unitatem spiritualem consequuntur, in quibus indivisibilis Dei spiritus habitat, ita etiam quicumque sanctissimae Christi carni participant, unum corpus fiunt ut *Cyrillus* testatur (11).

(2) *Vers.* 49-50.(3) *Vers.* 26-29.(4) *Vers.* 22-25.(5) *Vers.* 15-20.(6) *Adv. Haereses*, I. 5, c. 2, n. 2; PG. 7, 1125-1126.(7) *Eph.* 5, 30.(8) *Lc.* 24, 39.(9) *Eph.* 4, 2-4.(10) *I Cor.* 12, 13.(11) *In Jo.* I. II, c. 11; PG. 74, 559.

Nam praeter unitatem qua omnes homines naturali constitutione inter nos devincti sumus, alio etiam modo eiusdem corporis unitate una carne pasti et uno spiritu obsignati colligamur, ac unum omnes sumus in ipso Christo qui indivisibilis est; quapropter et ad Patrem dicebat ⁽¹²⁾: « *Ut unum sint sicut et nos unum sumus* ». Unde subjicit Cyrillus ⁽¹³⁾: « *Quomodo in Christo et Sancto Spiritu unum sumus et secundum corpus et secundum spiritum. Redarguendi igitur sunt qui secus sentiunt quod neque illa recte intelligunt quae de nobis scripta sunt* ». Chrysostomus ⁽¹⁴⁾ item: « *Necessarium est, inquit, dilectissimi, mysteriorum discere miraculum quid tandem sit et quare sit datum et quae rei utilitas. Unum corpus sumus et membra de carne eius et de ossibus eius* ⁽¹⁵⁾. Sciunt autem initiati quae dicuntur. Ut itaque non tantum per caritatem hoc faciamus, verum etiam re ipsa in illam misceamur carnem, hoc per escam efficitur quam * largitus est nobis volens ostendere desiderium quod erga nos habet. Propterea semetipsum nobis et corpus suum in nos contemperavit ut unum quid efficiamur tanquam capiti corpus coaptatum ».

f. 40^r

Eadem Pauli verba Chrysostomus in homilia 46, in Joannem ⁽¹⁶⁾ repetens non per dilectionem solum sed re ipsa carnem nostram carni Christi commisceri testatur. Cyrillus ⁽¹⁷⁾ item alibi: « *Ideirco, inquit, etiam Ecclesia corpus Christi facta est, et nos singuli membra Christi secundum Paulum. Uni enim Christo per corpus suum coniuncti, quoniam in nobis illum qui est indivisibilis accepimus ipsi potius quam nobis membra accommodantur* ». Hieronymus ⁽¹⁸⁾ praedicta Pauli verba non spiritualiter intelligit quemadmodum Ambrosius ⁽¹⁹⁾, sed simpliciter: « *Membra, inquit, corporis ipsius esse quia sumus membra talis naturae qualem ipse assumpsit; atque hanc ob causam nimirum quia participamus cum eo eandem naturam corpoream ipse nutrit et fovet nos, quamquam non intelligendum est membra corporis Christi de carne eius et de ossibus eius nos dici ea ratione tantum qua omnes homines eandem carnis proprietatem participamus. Hoc enim modo membrum etiam quoddam Christus ipse est. Sed quia carnem quam de Virgine sumpsit nobis rursus in Eucharistia edendam dat, quae digne sumpta nos ipsi tanquam membra capiti agglutinat* ». Satis ostensum arbitror quid Paulum intellexisse, iuxta veterum Patrum interpretationes, censendum sit.

⁽¹²⁾ Jo. 17, 22.

⁽¹³⁾ De sancta et consubstantiali Trinitate, dialogus I; PG. 75, 698.

⁽¹⁴⁾ Hom. 46 in Jo., n. 3; PG. 59, 261.

⁽¹⁵⁾ Eph. 5, 30.

⁽¹⁶⁾ C. 6, n. 2-3; PG. 59, 260.

⁽¹⁷⁾ In Jo. I. 11, c. 11; PG. 74, 558.

⁽¹⁸⁾ In Eph. 5, 30; PL. 26, 568.

⁽¹⁹⁾ AMBROSIASTER, In Eph. 5, 30; PL. 17, 421.



- f. 40^v Superest nunc declarare quo pacto non sit arbitrandum Paulum voluisse Christum et Ecclesiam non alia carnali unione uniri, quam qua Verbum sibi vere univit naturam humanam. Et sicut Eva ex Adam, ita Christum quoque id genus * ossium et carnis quibus nos constamus accepisse, quemadmodum nonnulli Paulum et Irinaeum male interpretantur, parum advertentes, non dixisse Paulum Christum esse os ex ossibus nostris et carnem ex carne nostra, atqui membra nos esse dixit corporis eius de carne eius et de ossibus eius. Aliud enim est Christum esse de carne nostra, aliud nos esse membra de carne Christi, ut **J o a n n e s R o f f e n s i s** ⁽²⁰⁾ doctissime Oecolampadium confutans adnotavit. Nam ea quod nos sumus de carne eius et de ossibus eius, tanquam carnem suam enutrit et fovet corpore et sanguine suo, quibus et eius membra constituimur et sumus. Nimirum Christus per nostrae carnis assumptionem nostrae potius naturae membrum effectus est, cum e diverso nos per divinum eius carnis cibum efficiamur membra corporis eiusdem de carne eius et de ossibus eius. Quod autem Ecclesia corpus, singuli quoque nos membra, Christus vero caput sit **P a u l u s** ⁽²¹⁾ aperte ostendit dicens: « *Ut etiam non simus parvuli fluctuantes neque circumferamur omni vento doctrinae in nequitia hominum ad circumventionem erroris, veritatem autem facientes in caritate crescimus in illo per omnia qui est caput Christi, ex quo totum corpus compactum et connexum est per omnem iuncturam subministrationis secundum operationem in mensuram uniuscuiusque membri, augmentum corporis facit in aedificationem sui in caritate* ». Neque quia bis, in caritate, dixit, arbitremur naturalem unitatem negari. Nam
- f. 41^r sine fide et caritate * caro Christi manducata naturalem hanc Adae cum Christo unionem non efficit. Haec enim unio incorporationem cum capite praesupponit. Haec altius eruditissimus **R o f f e n s i s** ⁽²²⁾ contemplatur, et cum Christum ut Ecclesiae caput considerat a quo Ecclesia tanquam Heva ab Adamo oritur, typum Adae referre ait. Ut vero Christum humanam naturam assumpsisse animadvertit, Hevam a qua posteri omnes descendunt repraesentare inquit. Atque ita quod scriptum est ⁽²³⁾: « *Erunt duo in carne una* », de Christo et Ecclesia Paulum intellexisse constat cum dixit: « *Erunt duo in carne una, sacramentum hoc magnum est. Ego autem dico in Christo et Ecclesia* ». Quod vero corporalis unio ad Christum participatione carnis adquiratur, ipsum rursus Paulum de mysterio pietatis disserentem intellexisse

⁽²⁰⁾ De veritate corporis et sanguinis Domini adversus Oecolampadium, Wirceburgi 1597, p. 1134.

⁽²¹⁾ Eph. 4, 14-16.

⁽²²⁾ Loco supra citato.

⁽²³⁾ Eph. 5, 32.

Cyrillus⁽²⁴⁾ testatur ex his Pauli verbis quibus ait: « Quod aliis generationibus non est agnatum filiis hominum sicut nunc revelatum sanctis apostolis eius et prophetis in spiritu, *gentes esse cohaereditas et concorporales et comparticipes promissionis eius in Christo* ⁽²⁵⁾. Cum concorporales inquit, naturalem hanc unitatem innuit quam verbis suis Paulus ⁽²⁶⁾ corroborat cum ait: *Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? Et panis quem frangimus, nonne participatio corporis Christi est? Quoniam unus panis et unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane et de uno calice participamus* ». Hunc locum exponens D. Chrysostomus ⁽²⁷⁾ ait: * « Quare non dixit participatio? Quia amplius quiddam significare f. 41^r voluit et multam in hoc convenientiam ostendere. Non enim participatione tantum et acceptione, sed unitate communicamus ». Theophylactus ⁽²⁸⁾ a Chrysostomo non dissentit in expositione eorumdem verborum Pauli. « Jam cum Paulus inquit: *Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi? Tollens ergo membra Christi faciam membra meretricis? Amplius aliquid intellexit, quam membra Christi solum mystice. Siquidem ipse Paulus ait: Qui adhaeret meretrici unum corpus cum ea efficitur* ». Sufficiant haec Pauli loca ad ostendendum naturalem nostram cum Christo unitatem.

CAPUT VI.

Loci illius Pauli ad Ephesios 5.30: "Quia membra sumus corporis illius de carne eius et de ossibus eius" expositio.

Quoniam locus ille Pauli ⁽¹⁾: « *Nemo unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit et fovet eam sicut et Christus Ecclesiam quia membra sumus corporis eius de carne eius et de ossibus eius* », multum ad institutum nostrum facit neque parum difficultatis ut et alia pleraque eiusdem loca in se continet, et sancti doctores in eius explicatione inter se dissentiunt, verum eius sensum excutiamus. Quidam de carne exposuerunt, idest de imbecillitate eius, et de ossibus idest de fortitudine eius. Et hoc ideo quia alii infirmi et alii fortes in hoc corpore eius quod est Ecclesia. Sicut enim corpus humanum ex carne et ossibus

⁽²⁴⁾ In Jo. 1, 11, c. 11; PG. 74, 559.

⁽²⁵⁾ Eph. 3, 5-6.

⁽²⁶⁾ I Cor. 10, 16-17.

⁽²⁷⁾ In I Cor. 10, 16; PG. 61, 200.

⁽²⁸⁾ In I Cor. 6, 16; PG. 124, 635.

⁽¹⁾ Eph. 5, 29-30.

f. 42^r constat * et caro eius sustentatur ab ossibus, sic et Ecclesia de minus perfectis et magis perfectis constat. Alii de carne eius et de ossibus eius, aiunt, est quisquis per gratiam eius potest dicere: « *Quia cum infirmior fortior sum et poteris* » (2). Alii de carne eius et ossibus eius est, inquit, quisquis ad imitationem eius dicere potest: « *Quia factus sum infirmis infirmus ut infirmos lucrifacerem* » (3). Alii de carne eius et de ossibus eius sumus qui eandem carnem et eandem ossa quae ipse habet, habemus, quando de nostra mortalitate carnem suscepit cum ossibus.

Hae omnes expositiones cum partim mysticae, partim obscurae, partim coactae sint, ego meam sententiam adscribere non gravabor. Paulus multis in locis asserit Ecclesiam esse corpus Christi et nos membra. Hic vero quum membra huius corporis esse de carne Christi et de ossibus Christi scribit non membra spirituali solum coniunctione Christo copulata, sed naturali connexionione unita significat, et alludere videtur ad ea verba quae *Genes. 2* (4) ab Adam educta Heva de latere eius referuntur: « *Hoc nunc ex ossibus meis et caro ex carne mea* ». Nam quemadmodum Heva ex Adam effecta est, ita et Ecclesia de Christo formata fuit. Ad planiorem vero horum intelligentiam meminisse oportet quod « *quemadmodum per unum hominem intravit mors, ita per unum hominem gratia* » (5) Christum scilicet qui quatenus Deus, solus iustificare potest iuxta illud (6): « *Deus est qui iustificat* » quatenus vero homo, operatur ad interiores effectus, iustificationem scilicet ipsam * meritorie et efficienter ac etiam satisfactorie (7), quia humanitas Christi comparatur ad Deum tanquam instrumentum coniunctum (8) quale artificio propria manus unicuique est (9), Christus carne sua usus fuit tanquam instrumento humano et nobis simili et cognato ut per simile sibi sanaret, ut *Dionysius* et *Athanasius* (10) plerisque in locis testantur; ac, ut dicit *Augustinus* (11), de suo redimeretur homo et de eo singulariter virtus passionis eius ac vis et efficacia vivificatricis ipsius carnis ad unumquemque nostrum perveniret.

f. 42^v Neque enim causae universales sine particulari applicatione ad

(2) 2 Cor. 12, 10.

(3) 1 Cor. 9, 22.

(4) Vers. 23.

(5) Rom. 5, 12, 17.

(6) Rom. 8, 33.

(7) Cf. S. THOMAS, S. Th. 3, q. 48, a. 1-4.

(8) Cf. S. THOMAS, S. Th. 3, q. 13, a. 2-3; q. 48, a. 6.

(9) Cf. Ep. 4 *Cajo Monacho*; PG. 3, 1072.

(10) Oratio 3 *contra Arianos* p. 31; PG. 26, 389; Oratio *de incarnatione Verbi*, n. 44-45; PG. 25, 174-175.

(11) Enarr. in Ps. 70, 2, 10; PL. 36, 899.

passum, ut aiunt, effectum suum sortiuntur (12). Caro a Christo assumpta et eius mors causa universalis nostrae salutis extitit. Quapropter Sacramenta instituta esse ab eo dicuntur, ut per ea singuli Christi passioni et resurrectioni communicemus, et gratia quae per ea confertur, quaeque est virtus salutifera, a divinitate Christi per eius humanitatem derivetur in Sacramenta, quorum virtute peccata delentur et anima perficitur in his quae pertinent ad cultum Dei. Utraque haec virtus inest a passione Christi per quam liberati sumus a peccatis non solum efficienter et meritorie sed etiam satisfactorie, ac per eam pariter initium accipit christiana religio dum seipsum Christus sacrificium et oblationem in cruce obtulit Deo (13). Ergo passionis virtus adiungitur et applicatur nobis per Sacramenta atque ita concordi sententia doctorum fatemur hoc ipsum significasse sanguinem * et aquam f. 43r quae de latere Christi pendens in cruce fluxerunt. Aqua ad baptismum, sanguis ad Eucharistiam pertinet. Hinc communi etiam doctorum consensu traditur de latere Christi pendens in cruce fluxisse Sacramenta quibus Ecclesia Dei dicitur aedificata (14), quia omnia Sacramenta habent vim et efficaciam ex passione Christi cui copulamur per ea ut dictum est et per fidem Sacramentorum quae a passione ipsa Christi virtutem accipere illud Pauli docet (15): « *Quem proposuit propitiatorem per fidem et sanguinem ipsius* ».

Quum igitur per Sacramenta purgata peccatrice nativitate nostra, remissis simul omnibus peccatis vivificemur, et regeneremur alienisque prius a Deo per hanc generationem filii Dei gratia adoptionis evadamus fidem regenerationem spiritu sanctam suscipientes et cum Sacramenta ex ipsa carne Christi affixa et sanguine fuso permanarint et inter Sacramenta in Eucharistia corpus eius tamquam instrumentum coniunctum sit eo quod in ea verum Christi corpus et verus eius sanguis non secundum virtutem tantum sed secundum rem contineatur (16), revera corpus Christi est Ecclesia membraque corporis eius de carne eius et de ossibus eius esse dicuntur fideles qui ab ipsius corpore et sanguine aluntur; et id quod sumunt efficiuntur et de spiritu eius vivunt quia de eius corpore sunt deque eius corpore non solum spirituali sed naturali unione copulati sunt qui intime adeo carni et sanguini ipsius digne per Eucharistiam communicant. « Nam corpus et sanguis Domini Ecclesiae sunt cibus et verus potus et eorum particeps effecta non ea mutat in corpus * humanum velut alium f. 43v

(12) Cf. S. THOMAS, *S. Th.* 3, q. 49, a. ad 4; *Gent.* 4, 55-56.

(13) Exscribit fere ad litteram *S. Th.* 3, q. 62, a. 5.

(14) Patrum testimonia huc spectantia colligit S. TROMP, *De nativitate Ecclesiae ex Corde Jesu in Cruce*, Romae 1933.

(15) *Rom.* 3, 25.

(16) Cf. S. THOMAS, *Gent.* 4, 61.

aliquem cibum, sed ipsa in illa mutatur vincentibus iis quae sunt praestantiora. Nam etiam ferrum cum igne habens consuetudinem fit ignis non autem dat igni ut sit ferrum. Et quemadmodum ferrum inflammatum non ferrum sed ignem aperte videmus, ferri proprietatibus magna ex parte ab igne deletis, ita etiam Christi Ecclesiam si quis videre, possent, ut *Episcopus Māthonen̄sis* ait ⁽¹⁷⁾, eo ipso quod ei unita est et est eius carnis particeps nihil aliud videbit quam ipsum corpus Domini, propter hanc rationem « *vos estis corpus Christi et membra ex parte* » inquit Paulus ⁽¹⁸⁾. Quapropter valde proprie locutus est quum dixit ⁽¹⁹⁾: « *Quia membra sumus corporis eius de carne eius et de ossibus eius* ». Multo enim proprius Christus dicere potuit: *Nunc os de ossibus meis et caro de carne mea* quam Adam forinata Heva, quandoquidem multo plus caro et ossa Christi in cruce contulerunt ad formandum corpus ipsius quod est Ecclesia quam caro et ossa Adae ad formandam Hevam, quoniam caro et ossa Christi virtute passionis suae contulerunt propriam vitam et animae et corpori ad formandum corpus Ecclesiae cuius nos membra sumus ex parte. Adae vero caro et ossa non contulerunt propriam vitam. Non enim erant caro et ossa vivificativa quemadmodum Christi caro. Praecedentia Pauli verba aperte indicant non alia de causa appellata membra corporis illius de carne eius et de ossibus eius quam eo quod per mortem Christi et per Sacramenta Ecclesiae corpus Christi est effecta, non secundum spiritum solum sed secundum corpus quod in Eucharistia secundum rem reperitur.

f. 44^r Totus enim Christus anima et * corpore constans totos nos etiam anima et corpore constantes amplexatus in hoc Sacramento osculatur ut *Dionysius* ait ⁽²⁰⁾. Nam animam et corpus simul aegrotantia sanat. Hic adnotatione dignum videtur quod cum Joannis primo ⁽²¹⁾ legatur, datam fuisse « *potestatem hominibus Christum recipientibus filios Dei fieri his qui credunt in nomine eius, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntati viri sed ex Deo nati sunt* », hoc in loco Paulum dixisse ⁽²²⁾: « *Quia membra sumus corporis eius de carne eius et de ossibus eius* »: nimirum quia in baptismo per quem filii Dei constituimur, virtus quae a divinitate Christi proficiscitur, et nos filios Dei efficit per humanitatem eius emergit, quae secundum virtutem tantum in baptismo est. In Eucharistia vero humanitas, ut paulo antea diximus, secundum rem reperitur.

⁽¹⁷⁾ N. CABASILAS, *Liurgiae expositio*, c. 38; PG. 150, 451-454.

⁽¹⁸⁾ *I Cor.* 12, 27.

⁽¹⁹⁾ *Gen.* 2, 23; *Eph.* 5, 30.

⁽²⁰⁾ Cf. *Ep.* 8 *Demophilo Monacho*; PG. 3, 1088.

⁽²¹⁾ *Vers.* 12-13.

⁽²²⁾ *Eph.* 5, 30.

Unde quos baptismus filios, Eucharistia membra corporis eius de carne eius et de ossibus eius constituit. Notum praeterea est observasse eximios viros dictionem «*ex*» significare quandoque causam materiale[m] ut illud: *Nunc os ex ossibus meis et caro ex carne mea.* Ita enim iuxta hebraicam legendum est veritatem. Hoc est: Hoc nunc os ex ossibus meis et caro ex carne mea; graece: Τοῦτο ὄν ὀστέων ἐκ τῶν ὀστέων μου καὶ σὰρξ ἐκ τῆς σαρκός μου. Chaldaica translatio eadem praepositione qua Hebraei utitur. Utrobique eadem est dictio. Quandoque causam efficientem significare *ex*, aiunt, ut in eo: *ex Deo nati sunt.* Virtute enim divina et operatione per baptismi regenerationem per fidem et internam aspirationem adoptamur non in creaturam * sed in ipsam Trinitatem Christo mediatore, qui Deus et homo humana divinis coniungit. Significat itidem exemplarem causam, idest per imitationem. *Qui ex Deo est, verba Dei audit.* Causam autem consubstantialem necessario non significat licet aliquando eam dicat, qui Filius Dei processit ex Patre. Dicitur etiam ex Deo natus tanquam ex principio. Latinis enim placuit Patrem principium Filii dici potius quam causam. De vero praepositio materiale[m], effectivam et consubstantialem causam innuit. Dicitur enim gladius de ferro factus, filius de patre generatus quia concurrat ad generationem filii. Unigenitus autem Dei Filius naturalis de Deo Patre natus dicitur, qui de eius substantia est. Quum ergo Paulus inquit membra nos esse corporis Christi de carne eius et de ossibus eius, dictio *de* causam efficientem significat et quodammodo consubstantialem; et materiale[m] includit: efficientem quia Christus quatenus Deus primaria causa et efficiens Sacramentorum est cum interior eorum effectus sit iustificatio quo solus iustificare potest et per Sacramenta Christi membra efficiamur. Consubstantialis vero causa quodammodo ipsius Christus corporis et membrorum eius dici potest quoniam quoad humanitatem eiusdem est cum natura nostrae substantiae, ac quoniam ex vi quam habet caro Christi ad vivificandum nos eius corporis membra facti vitam aeternam habemus, et, ut paulo ante dicebam, vitam propriam regeneratis per Sacramenta sibi que unitis de spiritu eius, hoc est de Spiritu Sancti gratia et de vivificatrice carne eius confert.

f. 44^v

Ergo cum unum sit nobiscum iuxta communem carnis proprietatem * et substantiam quam de Virgine sumpsit eandemque nobis communicandam in sacramento Eucharistiae dederit, per quam intime, corporaliter et substantialiter ipsi connectimur quamvis haec unio non sit eadem numero cum substantia corporis Christi, est tamen eadem natura et specie secundum habitudinem etiam participationis immortalis eius carnis. Hinc haud alienum a veritate esse videtur iuxta praefatam triplicem causam Paulum dixisse: «*Quia membra corporis eius*

f. 45^r

sumus de carne eius et de ossibus eius ». Non enim mystice solum sed corporali quoque nexu corpori eius connectimur, et, ut Nicolaus Mathonensis Episcopus ait ⁽²³⁾, membra ipsius corporis existimus, carnes de carnibus eius et ossa de ossibus eius donec ei coniuncti sumus aptamque compagem et connexionem servamus, vitam et sanctificationem ab illo capite et corde trahentes non nomine communionis, ut idem auctor scribit ⁽²⁴⁾, vel analogiae similitudinem, sed rem eandem, qui eadem specie ac natura et gratiae participatione communicamus cum eo: « Non enim Christi in nos curam et providentiam instructionemque et admonitionem et nostram in eo subjectionem significare volens illum quidem caput nos autem membra appellat Paulus, sicut et nos cognatorum vel amicorum membra vocamus hyperbole utentes, sed illud ipsum significans quod dicit, fideles scilicet iam per hunc sanguinem viventes in Christo vitam et vere ab illo capite dependentes et hoc corpore indutos ».

Theodoretus Cyrenensis Episcopus verba Pauli exponens causam quare membra corporis Christi sumus de carne eius et de ossibus eius ad Sacramenta baptismi et Eucharistiae refert. Baptismus enim incorporationem cum Christo * efficit, Eucharistia autem incorporatos arctissime naturaliterque Christo non ut Deo solum sed ut homini connectit alitque et fovet. Theodreti verba haec sunt ⁽²⁵⁾: « Quia membra sumus corporis eius de carne eius et de ossibus eius. Sicut enim Eva ex Adam ficta est, ita nos ex Christo Domino. Cum eo enim in baptismo consepelimum et una cum eo resurgimus et corpus eius comedimus et sanguinem bibimus ». Haec Theodoretus. Qui haud ignorabat nostrae cum Christo unionis originem baptismum, perfectionem vero Eucharistiam sibi vindicare. Ut tamen nullus ambigendi locus relinquatur membra corporis Christi de carne eius et de ossibus eius per haec sacra mysteria naturaliter nos Christo unitos fieri Paulum intellexisse, Dionysii verba facile convincunt; quae quoniam graece vim atque veritatem huius unionis magis explicant, sic ut habent adscribantur ⁽²⁶⁾: « Τὸ γὰρ ἐν καὶ ἀπλοῦν καὶ κρύφιον Ἰησοῦ τοῦ θεαρχικωτάτου λόγου τῆ καθ' ἡμᾶς, ἐνανθρωπήσει πρὸς τὸ συνθετόν τε καὶ ὁρατόν ἀναλλοιώτως ἀγαθότητι καὶ φιλανθρωπία προσλήλυθε καὶ τὴν πρὸς αὐτὴν ἡμῶν ἐνοποιὸν κοινωνίαν ἀγαθουργῶς διεπραγματεύσατο, τὰ καθ' ἡμᾶς ταπεινὰ τοῖς θειοτάτοις αὐτοῦ κατ' ἄκρον ἐνώσας, εἴπερ καὶ ἡμεῖς ὡς μέλη σώματι συναρμολογηθῶμεν αὐτῷ κατὰ τὸ αὐτὸν τῆς ἀλωβήτου καὶ θείας ζωῆς, καὶ μὴ τοῖς φθορο-

⁽²³⁾ Est idem Cabasilas, de quo supra p. 26, alio tamen in opere, nempe: *De vita in Christo* l. 4; PG. 150, 591, 599 et passim.

⁽²⁴⁾ *Liturgiae expositio*, c. 38; PG. 150, 454.

⁽²⁵⁾ *In Eph.* 5, 30; PG. 82, 547. Proprie Theodoretus est *Cyrenensis*.

⁽²⁶⁾ *De Ecclesiastica Hierarchia* c. 3; PG. 3, 443.

ποιῶς πάθειν κατανεκρωθέντες, ἀνάρμοστοι καὶ ἀκόλλητοι καὶ ἀσύζωοι γενόμεθα πρὸς τὰ θεῖα μέλη καὶ ὑγιέστατα» id. est: « Unum enim illud et visibile sine ulla * mutatione per bonitatem et clementiam suam processit ac communionem quae nos sibi unificet beneficentissime exco- gavit, quae in nobis erant humilia divinissimis suis arctissime uniens modo nos illi ut membra corpori per vitae immacolatae ac divinae si- militudinem congruamus, neque corrumpentibus mortificati vitiis ini- donei et incompactibiles et inhabiles ad unam cum divinis et sanissimis ipsius membris vitam fiamus ». Dionysius eo in loco de sacratis- simo corporis Christi mysterio loquitur.

Athanasius quoque Alexandrinae Ecclesiae antistes quantum huic Sacramento tribuat ad nostram aedificationem verba eius indicant. Sic enim inquit (27): « Ὡς γὰρ ὁ Κύριος ἐνδυσάμενος τὸ σῶμα, γέγο- νεν ἄνθρωπος, οὕτως ἡμεῖς οἱ ἄνθρωποι παρὰ τοῦ Λόγου τε θεοποιού- μεθα προσληφθέντες διὰ τῆς σαρκὸς αὐτοῦ » id. est: « Quemadmodum Dominus corpus indutus factus est homo, sic nos homines a Verbo dei- ficamur per ipsius carnem assumpti ». Neque de assumpta Christi hu- manitate tantum Athanasius loquitur per quam unius hominis naturam solum assumpsit, sed de hac naturali per Eucharistiam unione qua sin- gulos sibi summe unit ac quodammodo assumit et membra corpori suo et capiti ipsi congruentia immortalisque suae naturae participia efficit. Huius enim mysterii finis Christi participatio et vita aeterna est, idest, ut Methonensis ait (28), participantium deificatio. Divinae autem naturae participatio unionem significat. Hinc * etiam manifeste intel- ligitur quare Irinaeus, Chrysostomus, Cyrillus (29) f. 46^v totque veteres loquentes de naturali nostra cum Christo unitate de do- minico cibo continuo adiunxerint: *Quia membra sumus corporis eius de carne eius et de ossibus eius*, quod manifeste Anselmus Pau- lum exponens sentit, cuius verba sic habent (30): « Ideo sumus de carne eius et de ossibus eius carnem eius in ministerio sumentes carni nostrae coniungimus et virtute spiritus eius vivificamur et confortamur velut internis ossibus. Nam sicut Heva de Adam facta traxit ab eo car- nem et ossa, sic Ecclesia ex Christo procreata carnem eius et spiri- tum, ut diximus, in se traxit ». Haec Anselmus. Quantum vero ea omnia quae diximus conferant non modo ad Pauli verborum exposi- tionem res ipsa indicat; quae si non adhuc satis a nobis exposita vi- detur, speramus ea quae deinceps dicentur rei adeo difficili maiorem claritatem allatura.

(27) *Oratio 3 contra Arianos*, n. 34; PG. 26, 397-398.

(28) Nimirum N. CABASILAS, *De vita in Christo*, I, 1; PG. 150, 502 et alibi passim.

(29) Loci supra allegati sunt.

(30) *In Eph.* 5, 30-34; ed. Agrippinae p. 350 A.

CAPUT VII.

*Nonnullis Veteris Testamenti figuris ac vaticiniis stabilitur.
Quarta probatio.*

Praeter paschalem agnum et manna multaue alia quae in Veteri Lege corporis et sanguinis Domini mysterium figurabant, naturalem unionem et coniunctionem inter nos * et Christum sanguinem agni inter utrumque postem poni iussum significasse Gregorius Rabanusque *lib. I. in Exodum* (1) atque alii ex Sanctis Patribus asseruerunt, nimirum intelligentes non solum mentem nostram spiritualiter eo ali sed naturali etiam participatione Christum in nobis esse: ideoque praeter unionem spiritualem qua fide vera coniungimur Christo, necessarium nobis esse corporalem manducationem per quam nobis ille et nos etiam illi naturaliter incorporemur. Gregorii verba sic habent (2): « Quid sit sanguis agni non iam audiendo sed bibendo bene didicistis, qui sanguis super utrumque postem ponitur quando non solum ore corporis sed etiam cordis hauritur ». Algerus etiam (3): « Sciendum, inquit, non tantum spiritualiter sed corporaliter sumendum esse corpus Domini quia et agni sanguis qui a devastante angelo protexit utroque poste respersus est, ut verum agnum non minus ore corporis quam ore cordis sumi debere signaret: qui utrumque corpus scilicet et animam venit redimere, utrumque voluit in Sacramento suo communicare ut, dum anima crederet quod corpus gustaret, utrique una spes salutis aequaliter in Christo perveniret ». Avitus quoque Viennensis Episcopus qui anno Domini quingentesimo de transitu maris egegium poemata composuit, ita ait (4):

Lunaque bis septem quum fecerit addita noctes
Vespere tum sero dabitur primordia sacris.
f. 47^r * Sumite mansuetum perfecti temporis agnum.
Qui careat macula et parum det corpore vellus.
Hoc animal festo maetabitur, huius utrumque
Signabit sanguis nitido de corpore postem.
Hoc dabit indicium servandae cura salutis
Quum percussor aget tacitam sine vulnere caedem
Perspiciat sacro limen maduisse cruore.
Hoc tantum transire volens distantia talis

(1) *In Exod. I. 1, c. 23; PL. 108, 49.*

(2) *Hom. 22 in Ev.; PL. 76, 1173.*

(3) *De sacramentis corporis et sanguinis dominici I. 1, c. 22; PL. 180, 806.*

(4) *De transitu Maris Rubri; PL. 59, 360.*

Servabit vestras sparsis a mortibus aedes.
 Sic nos Christe tuum salvet super omnia signum
 Frontibus impositum, sic sanguis denique sanctus
 Tunc praemonstrati dudum qui funditur agni
 Oribus infusus postes lustrasse tuorum
 Inter labentis ferventia funera mundi
 Credatur, casuque tuos discernat ab omni
 Dum non signatos percurrit funere macro.

Thomae quoque Waldensis ⁽⁵⁾ ingentes Deo gratias agit quod agni sanguine uterque in se postis tinctus fuerit, corpus scilicet et animus, ne ab angelo exterminatore periret.

Illud etiam servorum Job desiderium a quibus maxime amabatur, qui suum amorem prae se ferentes dicebant ⁽⁶⁾: « *Quis daret nobis ut carnibus eius impleremur* », Chrysostomus Christum adimplet esse testatur qui, ut maiore nos caritate astringeret et ut suum in nos ostenderet desiderium non se tantum videri permisit desiderantibus, sed * et tangi et manducari. Chrysostomi verba sic habent ⁽⁷⁾: « Ut autem non solum per dilectionem sed reipsa in illam convertamur carnem per cibum id efficitur quem largitus est nobis. Quum enim suum in nos amorem indicare vellet per corpus suum se nobis commiscuit et in unum nobiscum redigit ut corpus cum capite uniretur. Hoc enim amantium maxime est, hoc Job significat de servis a quibus maxime amabatur, qui summum amorem prae se ferentes dicebant: « *Quis det nobis ut carnibus eius impleamur* »? Quid iam est corpus suum commiscere?, non certe aliud quam sui corporis esu nobis commisceri ».

Ruardus Tapper ab Enchusia Decanus Lovaniensis eadem Chrysostomi verba adfert ⁽⁸⁾. Hoc ipsum Christum pollicitus est antequam reipsa carnem suam manducandam ac sanguinem bibendum apostolis traderet. Habetur Christi promissio Joannis 6 ⁽⁹⁾ ubi inquit: « *Patres vestri manducaverunt manna in deserto et mortui sunt. Hic panis de caelo descendens ut si quis ex ipso manducaverit non moriatur. Ego sum panis vivus qui de caelo descendit. Si quis manducaverit ex hoc pane vivet in aeternum; et panis quem ego dabo caro mea est, quam dabo pro mundi vita* ». Promisit Christus his verbis duo: nimirum panem se daturum qui caro sua foret manducandum, et carnem

⁽⁵⁾ *Doctrinale de Sacramentis*, c. 110; Venetiis 1758, col. 644.

⁽⁶⁾ *Job*. 31, 31.

⁽⁷⁾ *Hom.* 46 in *Jo.* 6, n. 2-3; PG. 59, 260.

⁽⁸⁾ *Declaratio articulorum venerandae facultatis sacrae theologiae generalis studii Lovaniensis*, Lugduni 1554, p. 223.

⁽⁹⁾ *Vers.* 49-51.

f. 48^v suam eandem se daturum pro mundi vita: utrumque implevit. Nam * panem carnis suae pridie quam eandem carnem pro mundi vita daret, edendam Apostolis dedit. Promissio quoque haec in nobis impletur quando ex altari sub speciebus panis et vini corpus eius nobis dispensatur.

Haec tamen omnia quoniam obscurius praefatam corporalem participationem inuisse plerisque videbantur, operae pretium erit id adferre quod in Ex o d o habetur cum modus consecrandi sacerdotis ritusque offerendi pro eis traditur. Inter caetera enim quae praecipiantur hoc etiam iubetur ⁽¹⁰⁾: «*Unumquoque arietem sumes super cuius caput ponent Aaron et filii eius manus. Quem cum mactaveris tolles de sanguine eius et fundes circa altare, ipsum arietem secabis in frusta lotaque intestina eius ac pedes pones super concisas carnes et super caput illius et offeres totum arietem in incensum super altare, oblatio est Domino odor suavissimus victimae Domini*». Vides hoc arietem occidi ac in frusta dilaniari iussum omniaque illa in unum congesta? Vides etiam haud diversam carnis naturam inter caput arietis et eius frusta? Si ergo per arietem Christum, per frusta fideles membra scilicet Christi de carne eius et de ossibus eius, omniaque illa in unum congesta Christum et Ecclesiam, caput et membra ex eiusdem naturae carne et ex iisdem ossibus compacta naturali

f. 49^r quadam unione unita intellexerimus * nonne praeter fidem et dilectionem quibus corpori Christi inserimur per corporalem esum ipsius carnis Christi, corporaliter et carnaliter unitatem carnis eius manifeste participamus? Per arietem vero Christum intelligi et per arietis partes nos omnes membra eius C y r i l l u s aperte scribit ⁽¹¹⁾: «*Εἷτα κριὸς λαμβάνεται, καὶ σφάζεται μὲν ἐν ἴσῳ τῷ μόσχῳ προσέχειτο δὲ αὐτῷ τῷ θυσιαστηρίῳ τὸ αἷμα, καὶ μέλεσι τεμνόμενος ἀνεφέρετο ἐκπεπλυμένος ὕδατι κεφαλῇ τε ἅμα καὶ ποσίν; ὅτι θυμιαμα ἐστίν. γράφεται δὲ πάλιν ἡμῖν καὶ διὰ τούτων ὁ Χριστὸς ὁ ἐν κριῷ τῷ τελειῷ τέλειος, ἅγιαν ἔχων ζωὴν. Ἀηλοὶ γὰρ οἶμαι καὶ πού ἐστι τὸ προσχέσας τὸ αἷμα τῷ θυσιαστηρίῳ.*

Ζωῆς γὰρ τύπος τὸ αἷμα καὶ εἰς ὁμοίαν εὐωδίας ἀνακειμένος τῷ Θεῷ καὶ τῷ Πατρὶ ὡς ὑπὲρ πάντων τε ἅμα καὶ ὑπὲρ ἐκάστου, τύπος δὲ τοῦτο πάλιν τὸ ἀναφέρεισθαι τὸν κριὸν ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον, ὡς ἐν παντὶ τε καὶ κατὰ μέλος, μέλη δὲ ἡμεῖς ἀνά μέλος Χριστοῦ καὶ ἐν πάντες νοούμεθα σῶμα. Ἅγιος δὲ ὅτι καὶ ἱερὸς ὅλος καὶ σπῆλον ἀκαθαρσίας οὐκ ἔχων ἢ τῶν ἐντοσθίων ἐκπλυσίς μαλὰ παραδηλοὶ συναναφέρεται δὲ κεφαλῇ καὶ πόδες τὸ ἀπ' ἀρχῆς καὶ μέχρι παντὸς εὐῶδες ἐν ἁγιασμῷ τῇ τοῦ σωτήρος ζωῆς ὑπερφαινόντες. Παντὸς γὰρ ζῶου κεφαλὴ μὲν ἀρχή; κατάληξις δὲ ὡσπερ καὶ τοῦ παντὸς σώματος οἱ πόδες τὸ τέλος.

⁽¹⁰⁾ Exod. 29, 15-18.

⁽¹¹⁾ De adoratione in spiritu et veritate I. 11; PG. 68, 395.

ἢ καὶ τάχα του νοεῖν ἀμεινον εἰς τύπον μὲν νοῦ κεφαλῇ, πορείας * f. 49^v
 τῆς κατ' ἐνέργειαν πρακτικῆς τοὺς πόδας. Εὐώδη δὲ πάντα ἐν Χριστῷ
 καὶ εἰς ἄκρον ἦγοντα καθαρότητος καὶ νοήματα καὶ πράξεις. Οὐ γὰρ
 ἐποίησεν ἁμαρτίαν. Ταύτη τοι καὶ ὀλοκαυτώματα καὶ θυσίασμα φησὶ
 τὴν καθιέρωσιν τοῦ κριοῦ. Οὐ γὰρ ἐκ μέρους ἅγιος ἡ ἱερός. Πρέποι
 γὰρ οὐκ ἐν ἐκείνω ποθέν. ἡμῖν δὲ μᾶλλον τὸ καὶ ἀσθενεῖν ἐστὶν ὅτι καὶ
 ἐναλῶναι παίσμασι καθαρὸς γὰρ οὐδεὶς ἐξ ἁμαρτιῶν καὶ πολλὰ πτατο-
 μεν ἅπαντες κατὰ τὸ λεγόμενον » Latine sic habent: « Deinde aries
 ille primus accipitur et iugulatur quidem cum vitulo. Effundebatur
 autem in ipsum altare sanguis et membratim sectus reponebatur,
 ablutis aqua interioribus simul cum capite et pedibus quoniam sacer-
 ificium est. Describitur etiam nobis per haec Christus ille per-
 perctus in ariete perfecto sanctam habens vitam. Hoc enim arbi-
 tror declarat effusio illa sanguinis in altari. Est enim vitae figura
 sanguis in odorem suavitatis oblatus Deo et Patri tamquam pro om-
 nibus simul et pro singulis, est etiam illud figura, referre arie-
 tem in altari et integrum et per membra. Sumus autem nos membra
 particulatim Christi et unum omnes intelligimur corpus. Sanctus au-
 tem quoniam totus sacer est et non habens impuritatis maculam ut
 per abluitionem interiorum optime declaratur. Referuntur vero caput
 et pedes ut ostendatur suavitas odoris a principio finem usque in sancti-
 ficatione vitae Salvatoris. Nam * cuiusvis animalis caput principium f. 50^r
 est, extremum autem pedes et finis cuiusque corporis. Aut forte aptius
 sit intelligere caput quidem in figura mentis, pedes autem esse viam
 quamdam activam secundum actionem. Sunt autem omnia bene odo-
 rata in Christo et ad summam puritatem tam mentis conceptiones
 quam actiones perveniunt; numquam enim fecit peccatum. Hac ratio-
 ne arietis consecrationem vocat sacrificium et holocaustum, neque enim
 sanctus est aut sacer. Convenit enim nobis potius non autem illi viri-
 bus esse parum firmis et nonnumquam labi. Nemo enim purus est a
 peccatis et saepe omnes offendimus ut scriptum est ». Haec Cyrillus.

Verumtamen quoniam cuncta Veteris Legis sacrificia et sacramen-
 ta figurae et umbra erant futurorum honorum quae vera sunt bona,
 non potuit lux et veritas clare apparere donec Christus verus Moyses
 humanam naturam in Aethiopiissa Moysi servo Dei matrimonio co-
 niuncta adumbratam sibi copulasset ⁽¹²⁾. Non enim legimus Moysen Dei
 famulum loquutum esse cum Deo antequam is alienigenam in uxorem
 accepisset. Quare mirum non est si tam eximium mysterium et tam
 insigne beneficium veteris instrumenti Patribus non ita est declaratum,
 qui etsi mystico Christi corpori spiritualiter inserti fuerunt per fidem,
 veritatem tamen carnis participare non potuerunt. Quidquid igitur in
 divinis Christi misteriis a sanctis doctoribus ad fidem nostram confir-

(12) Num. 12, 1.

mandam observatum est, in hoc uno arcano naturalis corporalisque nostrae cum eo eiusque carnis nobiscum per Eucharistiam coniunctionis adimpletum est. Nam priscis patribus ante legem etiam revelatum fuit.

f. 50^v Veteris quoque Legis * figuris significatum a Christo itidem promissum, antequam re ipsa ab eo praestaretur, quod in ultima demum coena ante mortem praestitum fuit. Haec de quarta probatione.

CAPUT VIII.

*Consensu Patrum tum veterum tum recentiorum eadem corroboratur.
Probatio quinta.*

Antequam testimonia Patrum adferantur haud a praesenti re alienum esse videtur in memoriam revocare quanta semper fuerit Sanctorum Patrum auctoritas ad haereses impugnandas. Nam, ut inquit **Tertullianus**, ipsi haeretici, cum de Scripturis agunt et de Scripturis suadent, aliunde scilicet suadere non possent de rebus fidei nisi ex Scripturis fidei: « Ad Scripturas provocant et hac sua audacia statim quosdam movent; et si congregiamur in ipso congressu firmos fatigant, infirmos capiunt, medios cum scrupulo dimittunt » (1). Quare idem Tertullianus subiicit non esse cum haeticis ex Scripturis disputandum « quoniam nihil proficietur congressu Scripturarum nisi aut stomachi quis ineat laesionem aut cerebri » (2). Non hoc ideo Tertullianus scribit quoniam non magnum testimonium habeat Ecclesia in Scripturis sed quoniam, ut ipse ait, haeretici quasdam Scripturas non recipiunt et quas recipiunt non recipiunt integras, et si integras admittunt nihilominus diversas expositiones commenti eas pervertunt. Hinc maiorum traditione et perpetua Ecclesiae consuetudine catho-

f. 51^r licam veritatem discernendam ab erronea asserit (3). Hanc Ter * tulliani regulam sequuntur Dionysius Areopagita, Hieronymus, Origenes, Augustinus et reliqui veteres.

Irinaeus quoque *adversus haereses* (4) ita scribit: « Agnitio vera est Apostolorum doctrina et antiquus Ecclesiae status in universo mundo et character corporis Christi secundum successiones Episcoporum quibus illi eam quae in unoquoque loco est Ecclesiam tradiderunt, quae pervenit usque ad nos custodita sine fictione Scripturarum tractatio plenissima neque ablationem recipiens lectio sine falsatione et secundum Scripturas expositio legitima et diligens et sine

(1) *De praescriptione haereticorum*, 15; PL. 2, 33.

(2) *De praescriptione haereticorum* 16; PL. 2, 34.

(3) Cf. *De praescriptione haereticorum*, 17-21; PL. 2, 35-38.

(4) *Lib. 4, c. 33, n. 8; PG. 7, 1077.*

periculo et sine blasphemia ». Dixerat alibi ⁽⁵⁾ de hac ipsa re loquens: « Quapropter eis qui in Ecclesia sunt praesbyteris obaudire oportet his qui successionem habent ab Apostolis sicut ostendimus, qui cum episcopatus successione charisma veritatis certum secundum placitum Patris acceperunt ».

Quantum Augustinus contra *Donatistas* ⁽⁶⁾ continuatae successioni Romanorum Pontificum tribuat perspicuum est. Antiqua quoque *Mosis* sententia satis docet interrogandum esse patrem nostrum et ipse nobis annuntiatum, maiores nostros et ipsos dicturos ⁽⁷⁾. *David* quoque: « *Deus*, inquit, *auribus nostris audivimus, patres nostri annuntiaverunt nobis* » ⁽⁸⁾. Novit optime *Clemens* ⁽⁹⁾ *Lini* successor Patrum auctoritatibus avvertendas haereses magis quam Scripturis. Quam ob rem ad Ecclesiam Hierosolymitanam scribens: « Relatum est, inquit, nobis quod quidam vestris in partibus commorantes adversantur sanis doctrinis * et prout eis videtur non secundum traditionem Patrum sed iuxta alium sensum docere videntur, et ideo diligenter observandum est ut lex Dei, quum legitur, non secundum propriam ingenii intelligentiam legatur vel doceatur. Sunt enim multa verba in Scripturis divinis quae possunt trahi ad eum sensum quem sibi unusquisque sponte excogitat, quod fieri non oportet. Non enim sensum extrinsecus ab alteris alienum aut errantem debetis quaerere aut quomodo ipsum Scripturarum auctoritate confirmetis, sed ex Scripturis sensum capere veritatis. Quapropter ab eo Scripturarum intelligentiam discere oportet qui eam a maioribus secundum veritatem sibi traditam servavit, qui et ipse posset ea quae recte suscepit competenter asserere ». Haec antiquissimus *Clemens*. f. 51'

Caeterum inter ipsos veteres quantum *Aegyptii* Patres veritatem divinae doctrinae et traditionem conservarint optimus quidem testis est *Clemens* qui *στωματεύς* seu contextor cognominatur. Is enim in primo libro contextorum ubi commemorat praestantissimos viros quos praeceptores habuit in Graecia, in *Caelosyna*, in Oriente, in *Assyria*, in *Palaestina*, in ultimum inquit ⁽¹⁰⁾: « Deinde incidi in eum, qui reliquorum omnium vi atque virtute princeps fuit in *Aegypto*, atque ibi his quae antea latuerant repertis, alia inquirere desii. Illi siquidem veritatem doctrinae divinae conservarunt * et traditionem statim a *Petro* et *Jacobo* et *Joanne* et *Paulo* sanctis illis Apostolis velut filiis a patribus successione per manus acceperunt. Consimiliter vero f. 52'

⁽⁵⁾ *Adv. Haereses*, l. 4, c. 32, n. 1; PG. 7, 1071.

⁽⁶⁾ *Ep.* 53, n. 2; PL. 33, 196.

⁽⁷⁾ *Deut.* 32, 7.

⁽⁸⁾ *Ps.* 43, 2.

⁽⁹⁾ *Ps.* CLEMENS, *Ep.* 5; PG. 1, 507-508.

⁽¹⁰⁾ *Stromatum* l. 1, c. 1; PG. 8, 702.

ii, ut eorum patres Deo ducente ad nos quoque pervenerunt, apud nos itidem maiorum suorum ipsorumque Apostolorum semina dependentes ».

Haec semina sunt semitae quae viam bonam nobis ostendunt et in qua ambulandum Jeremias ⁽¹¹⁾ monet ut inveniamus requiem animabus nostris. Hae ipsae viae sunt de quibus Ecclesiasticus loquitur quum inquit ⁽¹²⁾: « Non te praetereat ratio seniorum: ipsi enim didicerunt a patribus suis quoniam ab ipsis discēs intellectum ». Inter seniores Aegyptios non desunt qui a maioribus hanc cum Christo coniunctionem eamque posteris scriptam didicerunt nonnulli gravissimi sanctissimique Patres reliquerunt, cuiusmodi est Sanctus Cyrillus Patriarcha Alexandrinus, Athanasius Alexandrinus praesbyter, Ammonius, Isidorus Pelusiotes Cyrilli coëtaneus tanta virtute et doctrina celebris, ut viva animataque monasticae et divinae contemplationis columna fuisse perhibeatur. His addi potest Sanctus Ephrem etsi Syrus, Cyrillo et Isidoro aliquanto senior, quem Magnus ille Basilius summopere est admiratus eruditionesque nomine beatum censuit; cuius libri ex syriaca lingua in graecam eo adhuc superstite atque etiam mortuo conversi sunt ⁽¹³⁾. Sed iam ipsos Patres loquentes audiamus.

f. 52^v * Hilarius disputans an Filius sit eiusdem naturae cum Patre quod Ariani perfide negabant, interrogat eos utrum ne per naturae veritatem hodie in nobis sit, an per concordiam voluntatis; et naturalem in nobis unitatem cum Christo deducit comprobans eam testimonio Redemptoris hoc pacto ⁽¹⁴⁾: « Quod autem naturalis in nobis sit unitas ipse ita testatus est: *Qui edit carnem meam et bibit meum sanguinem in me manet et ego in eo*. Non enim quis in eo manere potest, nisi in quo ipse fuerit. Si autem Verbum factum caro est vere et nos vere Verbum carnem dominico cibo sumimus, quomodo non naturaliter manere in nobis existimandum est qui et naturam carnis nostrae iam inseparabilem sibi homo natus assumpsit et naturam carnis admiscuit? » Haec Hilarius. Quod vero hac de naturali unitate loquebatur complurimi doctores testantur atque in primis Albertus Magnus ita dicens ⁽¹⁵⁾: « Maximum in Christi factis est quod corpus suum dedit in cibum quia per hoc omnes sibi univit cum in incarnatione non univerit sibi nisi unius hominis naturam ». Unde Hilarius dicit quod per istud Sacramentum, omnes Christo naturaliter unimur. Ecce quo pacto de sententia Hilarii nullus ambi-

⁽¹¹⁾ Cap. 6, vers. 16.

⁽¹²⁾ Cap. 8, vers. 11.

⁽¹³⁾ Quorum testimonia infra passim allegabuntur.

⁽¹⁴⁾ De Trinitate l. 8, c. 13; PL. 10, 245.

⁽¹⁵⁾ In Mt. 26, 27; ed. Borgnet, vol. 23, col. 249.

gendi locus relictus est. Siquidem ita aperte cum exponit Albertus Magnus. Idem sentit Lincolnensis; Dionysii interpretis ut videre licet in Thoma Waldense ⁽¹⁶⁾: « Assumpsit, * inquit Lincolnensis, quod f. 53^v in ipsa est vera caro nostri Salvatoris quam assumpsit de Virgine inseparabiliter animae eius et divinitati unita et in ea communicare nos secum facit, cum redonat nobis suam carnem singularem ad comedendum, et sic comit nos cum sua singulari persona ». Haec Lincolnensis. Hic iam videre licet unde assumpsit B. Pater Hilarius ut comprobaret omnes fideles per assumptionem sacrae Eucharistiae non solum per gratiam sed per naturae proprietatem et veram substantiam Christo unitos. Hoc idem confirmat Concilium Coloniense ⁽¹⁷⁾ dum inquit: « Nos virtute huius tam eximii Sacramenti non solum specialiter sed corporaliter Christo uniri, ut simus non tantum ei spiritu conglutinati sed simus membra corporis eius ex carne et ossibus eius sicut apud Paulum legitur. Sic enim eum locum orthodoxi Patres ac praecipue vetustissimi illi Cyrillus et Hilarius interpretati sunt ». Hactenus Concilium Coloniense.

Sequuntur etiam in hac doctrina Hilarium quamplurimi doctores. Antequam autem eorum auctoritates adscribam non gravabor ea omnia quae Hilarius hac de re disserit sic ut habent adicere ut planius fiat Hilarium hanc per sacra mysteria digne sumpta naturalem unionem non confudisse cum ea unione quam fideles per fidem et baptismum adipiscuntur, quos naturaliter uniri nonnunquam scribit ex eo quod hi omnes participant aliqua bona spiritualia eiusdem naturae et speciei; aut ex eo quod recipiunt idem sacramentum secundum speciem et naturam, quamvis non individualiter unum. Licet * f. 53^v enim hac ratione naturalis unio inter Christum et digne ipsius corpus sumentes recipiatur quia ex vi ipsius sacramenti recipiunt gratiam et virtutes omnes; ratione quorum recipiens habet ius ad beatitudinem et immortalitatem ac reliqua bona ipsam consequentia. Tamen quoniam in venerabili Eucharistiae mysterio verum Christi corpus verusque eius sanguis ipsa nostra viscera ingreditur, naturali quadam plenioreque coniunctione corporali scilicet et substantiali nos sibi conglutinat. Hilarii verba haec sunt ⁽¹⁸⁾: « Eos, inquit, nunc qui inter Patrem et Filium voluntatis ingerunt unitatem interrogo utrum ne per naturae veritatem hodie Christus in nobis sit an per concordiam voluntatis? Si enim Verbum caro factum est vere et nos vere Verbum carnem cibo dominico suminus, quomodo non naturaliter manere in nobis existimandus est qui et natura carnis

⁽¹⁶⁾ *Doctrinale de Sacramentis*, c. 95; Venetiis 1758, col. 557.

⁽¹⁷⁾ Anno 1536 celebratum, in quo tamen allegata verba non reperiuntur: cf. D. MANSI, *Conciliarum amplissima collectio*, Parisiis 1902, t. 32, col. 1258-1263.

⁽¹⁸⁾ *De Trinitate* l. 8, c. 13-17; PL, 10, 245-249.

- nostrae iam inseparabilem sibi homo natus assumpsit et naturam carnis suae ad naturam aeternitatis sub Sacramento nobis communicandae carnis admiscuit. Ita enim omnes unum sumus quia et in Christo Pater est et Christus in nobis est. Quisquis ergo naturaliter Patrem in Christo negaverit, neget prius non naturaliter vel se in Christo vel Christum sibi inesse, quia in Christo Pater et Christus in nobis unum in his esse nos faciunt. Si vere igitur carnem corporis nostri Christus assumpsit, et vere homo ille qui ex Maria natus fuit Christus, nosque vere sub mysterio carnem corporis sui sumimus, et per hoc unum erimus quia Pater in eo est et ille * in nobis, quomodo voluntatis unitas asseritur cum naturalis per Sacramentum proprietates perfectae Sacramentum sit unitatis? Non est humano aut saeculi sensu in Dei rebus loquendum, neque per violentiam aut impudentem praedicationem caelestium dictorum sanitati alienae atque impiae intelligentiae extorquenda perversitas est. Quae scripta sunt legamus: et quae legerimus intelligamus et tunc perfectae fidei fungemur officio. De naturali enim in nobis Christi veritate quae dicimus stulte atque impie dicimus. Ipse enim ait: *Caro mea vere est esca et sanguis meus vere est potus. Qui edit carnem meam et bibit sanguinem meum in me manet et ego in eo.* De veritate carnis et sanguinis non relictus est ambigendi locus. Nunc enim et ipsius Domini professione et fide nostra vera caro est et vere sanguis est. Et haec accepta atque hausta id efficiunt ut et nos in Christo et Christus in nobis sit. Anne hoc veritas non est? Contingat plane his verum non esse qui Christum Jesum verum esse Deum negant. Est ergo in nobis ipse per carnem et sumus in eo dum secum hoc quod nos sumus in Deo est. Quod autem in eo per sacramentum communicatae carnis et sanguinis sumus ipse testatur dicens: *Et hic mundus iam me non videt. Vos autem me videbitis quoniam ego vivo et vos vivetis, quoniam ego in Patre meo et vos in me et ego in vobis.* Si voluntatis tamen unitatem intelligi vellet, cur gradum quemdam atque ordinem confirmandae unitatis exposuit? nisi ut cum ille in Patre per naturam divinitatis esset, nos contra in eo per corporalem eius nativitatem, et ille rursus in
- f. 54^v nobis per Sacramentorum * esse mysterium crederetur. Ac si perfecta per mediatorem unitas doceretur cum nobis in se manentibus ipse maneret in Patre et in Patre manens ipse maneret in nobis, et ita ad unitatem Patris proficeremus cum qui in eo naturaliter inessemus, ipso in nobis naturaliter permanente. Quod autem in nobis naturalis haec unitas sit ipse ita testatus est: *Qui edit carnem meam et bibit sanguinem meum in me manet et ego in eo.* Non enim quis in eo manere potest nisi in quo ipse fuerit eius tantum assumptam habens carnem qui suam sumpserit. Perfectae autem huius unitatis sacramentum superius iam docuerat dicens: *Sicut me misit vivens Pater et*

ego vivo propter Patrem, et qui manducat meam carnem et ipse vivet propter me. Vivit ergo per Patrem et quomodo per Patrem vivit eodem modo nos per carnem eius vivemus. Omnis enim comparatio ad intelligentiae formam praesumitur, ut id de quo agitur secundum propositum exemplum assequamur. Haec vero vitae nostrae causa est quod in nobis carnaliter manentem per carnem Christum habemus, victuris nobis per eum ea conditione qua vivit ille per Patrem. Si ergo nos naturaliter secundum carnem per eum vivimus, idest naturam carnis suae adepti, quomodo non naturaliter secundum spiritum in se Patrem habeat cum vivat ipse propter Patrem? » Haec Hilarius.

Cuius difficultas quemadmodum vetustis etiam Patribus haud ignorata fuit, ita summa eius eruditio ingenique vis maxima ac religio agnita fuerunt. Is enim, * ut Hieronymus ⁽¹⁹⁾ ait, aureo loquutus est ore et, Augustini ⁽²⁰⁾ testimonio, multo etiam auro et argento et pretiosa veste expoliavit Aegyptios adversus haereticos quaestionem movens qui inter Patrem et Filium voluntatis tantum ingerebant unitatem eos, ut paulo ante diximus, utrum per naturae veritatem hodie Christus in nobis sit an per concordiam voluntatis interrogat, a notioribus et apertioribus inchoat summos philosophos in eo imitatus; et quoniam apertior erat naturalis coniunctio nostri ad Christum quam ipsius ad Patrem de ea primum quaerit atque ad eam ostendendam aliquot ex evangelio Joannis locos adduxit. Primum: *Caro mea vere est esca etc.* Secundum: *Et hic mundus iam non videt, vos autem me videbitis etc.* Tertium: *Sicut me misit vivens Pater etc.* Quibus omnibus Hilarius nos in Christo et Christum in nobis per naturam humanitatis esse ex eo confirmat quia Christus Verbum Patris carnem corporis ex Maria sumpsit atque itidem nos Verbum carnem factum in Eucharistia sumimus, quo manifestum sit Christum in nobis per sacramentum carnis suae nobis in mysterio communicatae naturaliter esse et nos in Christo tamquam membra ei adhaerere. Cum itaque vere Christus carnem assumpserit et nos vere eius carnem in Eucharistia edamus non per solam unionem voluntatis sed per veram et naturalem coniunctionem in nobis esse, et Christi verbis et ipsa argumentatione Hilarius ita convincit ut ex hac ratione concludat non posse a quoquam negari naturaliter Patrem in * Christo esse quin prius cogatur negare Christum in se sequi in Christo esse, quod negari nequaquam posse superiori argumento demonstratum est. Et ne in re tam gravi quisquam existimaret se pro arbitrio ac libidine sua loqui, admonet de divinis rebus non esse humano aut sae-

f. 55^rf. 55^v

⁽¹⁹⁾ Cf. *In Gal.* 1. 2, c. 3; PL. 26, 380.

⁽²⁰⁾ Cf. *De doctrina christiana* 1. 2, c. 42; PL. 34, 64-65; *Contra Julianum* 1. 1, c. 3, n. 9. PL. 44, 645.

culi sensu loquendum sed ex locis Scripturae catholicae, pieque intellectis non detortis aut depravatis. Ideoque Christi verba adnectit dicentis: *Caro mea vere est esca et sanguis meus vere est potus, qui edit carnem meam et bibit sanguinem meum in me manet et ego in eo.* Illud etiam ex Joannis 14: *Et hic mundus iam me non videt, vos autem me videbitis quoniam ego vivo et vos vivetis, quoniam ego in Patre meo. et vos in me et ego in vobis.* Si de voluntatis enim tantum unitate esset sermo, non opus foret gradu illo quo ego in Patre et vos in me et ego in vobis deducere ut Hilarius censet. At cum nos in illo gradu ad unitatem deducat cum Patre non de unitate voluntatis tantum loquitur. Adfert ad haec duas auctoritates ex Joannis 6 quibus eandem unitatem confirmat. Primam ad probandum quod cum Christus in nobis sit eo modo quo loquimur nisi manducantibus eius carnem et manducatio corporis eius sit naturalis coniunctio, ergo de naturali coniunctione loquitur. Secundam, ut aliis verbis eiusdem capituli ostendet de unitate de qua loquimur, sermonem esse ratiocinaturque in hunc modum: Quomodo per Patrem Christus vivit nos per carnem eius vivimus. At vivit per Patrem naturaliter ergo et nos naturaliter * per carnem eius vivimus. Ceterum quoniam poterat argumentosus aliquis obiicere Hilario: ergo nos idem sumus Patri per naturam et essentiam, ut obiectionem hanc diluat inquit: Omnis enim comparatio ad intelligentiae formam praesumitur ut id de quo agitur secundum propositum exemplum assequamur. Hanc obiectionem diluit Hilarius respondens non esse omnimodam similitudinem sed talem quae congruat naturae nostrae, quia Christi unitas cum Patre est iuxta naturam divinitatis; nostra vero ad Christum iuxta naturam carnis.

Hoc ipsum Cyrillus plurimis verbis exponit in libro XI in Joannem cuius verba inferius ⁽²¹⁾ adferuntur. Hilarius itaque tamquam rem notam et apertam statuit nos in Christo naturaliter esse et ipsius carne vivere; et ex hac prolepsi decidit adversus Arianos ipsum in Patre naturaliter esse et vivere per Patrem. Haec diximus ut dilucidius breviusque Hilarii sententia intelligatur. Cuius verba Gratianus, de consecr. 2, cap. «*In Christo Pater*» ⁽²²⁾, adfert ut diximus. Caput hoc copiosius Franciscus Picus Mirandolanus exponit ⁽²³⁾, et ut dictorum intelligentiam ex causis dicendi sumeret, ab ipso Hilario, a quo tamquam a fonte ipsum caput excerptum est, ad eius expositionem devenit et tria unitatum genera apud Hilarium observare ait: «*Unum enim Pater cum Christo, unum Chri-*

⁽²¹⁾ Vide p. 61-64.

⁽²²⁾ GRATIANUS, *Decretum*, c. 82, D. II, de cons.; PL. 187, 1774.

⁽²³⁾ JO. FRANC. MIRANDOLANUS, *Declaratio capituli «In Christo Pater»*, Decreti Gratiani de cons. d. 2; Opera Omnia, Basileae 1573, t. 2, p. 321-327.

stum nobiscum, nos cum Christo unum. Harum enim omnium unitatum Christum meminisse docet quarum quaelibet maior est unitate et concordia voluntatis utpoteque naturales sunt, et ita apud evangelicam doctrinam habeantur. Quapropter * optima consecutione deduci ab Hilario confirmat naturalem eam esse unitatem quam inter Patrem et Filium Sacrae Litterae praedicant. Si unitas quae inter nos et Christum est maior sit quam unitas concordiae et voluntatis, alioqui maiorem esse unitatem inter dominum et servos concedere oportet quam inter Filium et Patrem quae naturalis est secundum naturam divinitatis sicut et naturalis illa secundum naturam humanitatis et veritatem Sacramenti. Nostram vero cum Christo unitatem naturalem esse in primis comprobatur. Si enim vere Verbum caro factum est et nos vere Verbi carnem cibo dominico sumimus, quomodo non naturaliter in nobis manere existimandus est qui et naturam carnis nostrae iam inseparabilem sibi homo assumpsit, et naturam carnis suae ad naturam aeternitatis sub Sacramento nobis communicandae carnis admiscuit? Unde duplex modus naturalis unionis insinuat cum et Christus humanitatis assumptione nobiscum sit unitus nosque illi uniamur eius carni sub Sacramento communicantes, in quo esse nequimus quin in Patre etiam simus quandoquidem Christus in Patre et Christus in nobis. Et si eo omnino modo quo Filius in Patre, hoc enim fieri omnino non potest, eo tamen modo qui naturae nostrae convenit. Quae enim in Christo est humana natura, divinae coniuncta est in unitate suppositi. Assumptione vero naturae illius humanae nobiscum * unitur Filius nosque f. 57^r illi per communicati sui corporis mysterium unimur. Nam licet in Eucharistia sit humana Filii divinaque natura quin et per concomitantiam, ut aiunt, Pater et Filius et Spiritus Sanctus ex vi tamen sacramenti ibi corpus est Christi; quod, quia a divinitate minime seiungitur ipsaque divinitatis essentia, individua est quam et Pater habet et Filius et Spiritus Sanctus, ideo ibi tota est indivisibilis natura. Unimur ergo Patri per assumptionem Christi. Quapropter cum de esu dominicae carnis et sanguinis per quem in Christo maneamus et ille in nobis Hilarius loquitur adiecit: Non enim quis in eo erit nisi in quo ipse fuerit eius tantum in se sumptam habens carnem qui suam assumpserit ». Hactenus Pius Mirandulanus.

Hanc etiam doctrinam Cyrillus aperte tradit exponens illud Joannis 6: « *Nisi manducaveritis carnem filii hominis et biberitis eius sanguinem non habebitis vitam in vobis* », idest in corpore vestro. Quod non de spiritali vita tantummodo intelligi potest ut ipsemet Cyrillus clarius docet ⁽²⁴⁾ super illud: *Panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita*. « Dedit, inquit, pro mundi vita corpus suum

(24) In Jo. I. 4, c. 2; PG. 73, 578-579.

Dominus, et per illud rursus vitam in nos immittit. Et quomodo? Dicam breviter pro viribus meis. Nam cum vivificans Dei Verbum in carne habitaverit ad suum bonum eam idest ad vitam reformavit, et totus, f. 57^v ut ita dicam, toti ineffa * bili modo unionis commistus vivificam eam efficit quia natura vivificans est. Propterea participantes haec caro vivificat. Eicit enim mortem ab eis et interitum penitus expellit ». Et paulo inferius subiungit: « Si solo tactu Christi corrupta reintegantur, quomodo non vivemus qui carnem illam et manducamus et gustamus? Reformavit enim omnino ad immortalitatem suam participes sui. Nec velis judaice quaerere: Quomodo? Sed recordare quod quamvis aqua naturaliter frigida sit, adventu tamen ignis frigiditatis suae oblita aestuat. Hoc sane modo etiam nos quamvis propter naturam carnis corruptibiles simus, participatione tamen vitae ab imbecillitate nostra revocati ad proprietatem illius ad vitam revocamur. Oportet enim non solum animam per Spiritum Sanctum in vitam aeternam sed et hoc corpus cognato sibi gustu et tactu et cibo ut ad immortalitatem reduceretur ». Haec ibi. Idem super illud: « *Ut omnes unum sint sicut tu Pater in me et ego in te; ut et ipsi in nobis unum sint* » sic ait ⁽²⁵⁾: « Ut igitur inter nos et Deum singulos uniret, quamvis corpore simul et anima distemus, modo tamen adinvenit consilio Patris et sapientiae suae congruentem. Suo enim corpore credentes per communionem mysticam benedicens et secum et inter nos unum corpus esse ait. Quis enim eos qui unius sancti corporis unione in uno Christo uniti sunt f. 58^r ab hac naturali * unione alienos putabit? Idcirco etiam Ecclesia corpus Christi sancta est et nos singuli membra secundum Paulum. Uni enim Christo per corpus suum coniuncti quoniam in nobis illum qui est indivisibilis accepimus, ipsi potius quam membra nostra nobis accommodantur ». Haec Cyrillus, cuius haec summa sermonis est, teste R o f f e n s e ⁽²⁶⁾: « Per esum carnis Christi in Eucharistia nos unum cum Christo naturaliter et corporaliter effecti sumus ». R o f f e n s i s in eodem prooemio haec subiungit ⁽²⁷⁾: « Dionysius quamquam obscurius multa scribat, tamen ex iis quae tradit nostrum institutum plurimum corroborat. Primum enim in fine tertiae partis secundi capituli Eucharistiam vocat communionem deificam. Quo nomine quod aliud sibi vult quam quod Eucharistia nos unum efficiat cum Deo? Nam, ut Cyrillus et Hilarius docent, sicut Christus unum est cum Patre substantialiter, ita nos eum edentes in hoc sacramento unum facit atque id quidem substantialiter per carnis suae substantiam quam in hoc divino cibo nobis impertit ».

⁽²⁵⁾ In Jo. I. 11, c. 11; PG. 74, 558.

⁽²⁶⁾ De veritate corporis et sanguinis Christi adv. Oecolampadium, Vircerburgi, 1577, p. 996.

⁽²⁷⁾ Ibidem.

Satis quae ex Cyrillo adduximus esse poterant ad naturalem cum Christo unionem constabiliendam; ceterum, quoniam Cyrillus praecipuus huius doctrinae est auctor, haec ipsa quae attulimus testimonia eo ipso quo ab auctore scripta sunt, modo ac pleraque alia adscribantur atque in primis super Joannem cap. 17: *Ut omnes unum sint* etc., et: *Sicut tu Pater in me et ego in te ut et ipsi in nobis unum sint*, inter alia subdit ⁽³¹⁾: « Age igitur cum Trinitas unum sit natura consideremus quomodo etiam nos ipsi inter nos corporaliter et cum Deo spiritualiter unum * simus. Ex Dei Patris substantia Unigenitus prodiens et totum f. 58^v in sua natura Genitorem possidens caro factus est secundum Scripturam, seque ipsum naturae nostrae ineffabiliter coniunxit atque univit. Qui enim natura Deus est, vere homo factus est non theophorus idest Deum in se per gratiam habens, ut mysterii vim ignorantes contendunt, sed verus Deus simul et homo est. Sic quae inter se plurimum secundum naturam distant in uno seipso coniunxit et *divinae naturae participes nos effecit* ⁽²⁸⁾. Communicatio enim Spiritus et, ut ita dicam, mansio primum in Christo fuit et ab eo in nos penetravit cum homo factus ipse templum suum proprio Spiritu perunxit atque sanctificavit. Origo igitur et via qua Spiritu Sancto participamus et Deo uniti sumus, Christi mysterium est. Omnes enim illo sanctificamur. Ut igitur inter nos et Deum singulos uniret, quamvis corpore simul et anima distemus, modum tamen adinvenit consilio Patris et sapientiae suae congruentem. Suo enim corpore credentes per communionem mysticam benedicens et secum et inter nos unum nos corpus efficit. Quis enim eos qui unius sancti corporis communiione in uno Christo uniti sunt ab hac naturali unionem alienos putabit? *Nam si omnes unum panem manducamus, unum omnes corpus efficimur* ⁽²⁹⁾; dividi enim ac seiungi Christus non patitur. Idecirco etiam Ecclesia corpus Christi facta est et nos singuli membra secundum Paulum ⁽³⁰⁾. Uni enim Christo per corpus suum coniuncti quoniam in nobis illum qui est indivisibilis accipimus ipsi potius quam nobis membra nostra accommodantur ». Hoc ipsum Cyrillus iisdem pene verbis *libro XI in Joannem scribit cap. 26.* f. 59^r

Idem in eodem loco: « Quod autem haec ad Christum corporalis unio participatione carnis eius acquiritur, ipse rursus Paulus de mysterio pietatis disserens testatur. *Quod aliis, inquit, generationibus non est agnatum filiis hominum sicut nunc revelatum est sanctis apostolis eius et prophetis in spiritu gentes esse cohaereditas et concorporales et comparticipes promissionis in Christo* ⁽³²⁾. Si autem inter nos omnes

⁽²⁸⁾ 2 Petr. 1, 4.

⁽²⁹⁾ 1 Cor. 10, 17.

⁽³⁰⁾ Cf. Col., 1, 24; 1 Cor. 12, 12 ss.

⁽³¹⁾ In Jo. 1, 11, c. 11; PG. 74, 559.

⁽³²⁾ Eph. 3, 5-6.

in Christo *unum sumus corpus*, neque inter nos solum verum etiam cum eo qui per carnem suam ad nos transivit, quomodo universi et inter nos et in Christo nos unum erimus? Idem in eodem libro cap. 27 ⁽³³⁾. « Nexus igitur unionis nostrae ad Deum Patrem Christus est; nobis quidem ut homo, Deo Patri ut Deus naturaliter unitus. Non enim erat possibile corruptioni obnoxiam hominis naturam ad immortalitatem conscendere nisi natura immortalis atque incommutabilis ad eam descendisset, ac communione participationeque sui a mortalitatis nostrae terminis ad suum bonum reformatos elevasset ».

Idem in libro primo « *De Trinitate* » ⁽³⁴⁾. Ubi cum Hilario viro sanctissimo loquitur cum ad obiectionem haereticorum respondet quod Filius sit unum cum Patre unanimitate et concordia voluntatis sic ait: « Etenim ad unitatem quae est per fidem citra controversiam collecti ac congregati sumus; differimus autem inter nos in nulla diversitate substantiae, licet singuli quodammodo in suam subsistentiam dividantur. Sumus enim eiusdem * speciei et substantiae omnium una est definitio unaque ratio quae de omnibus ex aequo praedicatur. Unitatem autem cum Deo non ex nudis et solis voluntatis propensionibus assequimur, sed et alia arcana et necessaria ratio cogit. Etenim quemadmodum divinus Paulus nos erudit: *Unum corpus multi sumus eo quod ex uno pane participes sumus. An ignoras, inquit, et gentes unum corpus factas unionem cum illo per fidem sortitas?* Nam et mysticae benedictionis participes factae sunt.

Hermias: Profecto ita est.

Cyrillus: Itaque naturalem simul et voluntariam unionem in nobis ipsis possidemus; despiciamus autem num talis sit nostra et ea quae in Christo.

Hermias: Quomodo dicis? Non enim assequor.

Cyrillus: Amice, nihil ardui in his esse dixerim id quod quisquis sapit et recte sentit facile discet, expendens secum primum identitatem qua nos homines naturali constitutione inter nos distincti sumus, coniuncti autem et alio modo. Dissecti autem quodammodo in subsistentiam propriam hoc est singularem, iuxta quam hic quidem Petrus est, ille Thomas vel Matthaëus, eiusdem corporis facti sumus in Christo, una carne pasti et uno Spiritu Sancto ad unitatem obsignati; et quandoquidem indivisibilis Christus nullo enim modo divisus est, unum nobis sumus in ipso. Propterea et ad Patrem caelestem dicebat ⁽³⁵⁾: *Ut unum sint sicut et nos unum sumus.* Vide enim quomodo in Christo et Sancto Spiritu unum sumus et * secundum corpus et secundum spiritum. Redarguendi igitur

f. 60^r

⁽³³⁾ In Jo. I, 11, c. 12; PG. 74, 563.

⁽³⁴⁾ De sancta et consubstantiali Trinitate, dialogus I; PG. 75, 695-698.

⁽³⁵⁾ Jo. 17, 22.

sunt qui secus sentiunt quod neque illa recte intelligunt, quae de nobis scripta sunt ».

Isidorus, qui in Pelusio monte monachus praefuit, vir doctrina et sanctitate eximius atque acerrimus Chrysostomi defensor, adversus Archadium Cyrillum et eius patrum Theophilum in quadam epistola ⁽³⁶⁾ sic scribit: « Κοινωνία κέκληται ἡ τῶν θεῶν μυστηρίων μετάληψις, διὰ τὸ τὴν πρὸς Χριστὸν ἡμῖν χαρίζεσθαι ἔνωσιν, καὶ κοινωνοὺς ἡμᾶς τῆς αὐτοῦ ποιεῖν βασιλείας » idest: « Communio vocatur illa divinarum mysteriorum participatio, quoniam nobis unitatem cum Christo donat et participes nos eius regni facit ». De unitate carnis Isidorum loqui constat ex alia eiusdem auctoris epistola ⁽³⁷⁾, in qua cum multa egregie de baptismo scribit de qua ipsa re ita inquit: « Ἀπελυτρώθη, καὶ ἡγιασθῆ καὶ εἰς υἱοθεσίαν ἠνέχθη καὶ ἐδικαιώθη, καὶ ἡγιασθῆ καὶ ἐγένετο συγκληρονόμος τοῦ Μονογενοῦς καὶ σύσσωμος αὐτῷ διὰ τῆς μετοχῆς τῶν ἱερῶν μυστηρίων κατέστη, καὶ εἰς τὴν σάρκα αὐτοῦ τελεῖ καὶ ὡσπερ τὸ σῶμα τῆ κεφαλῆ, οὕτως αὐτῷ ἦνωται. Ἄπερ ὁ θεσπέσιος ἐννοήσας Παῦλος ὁ τῶν Χριστοῦ νοημάτων ταμίας, ποτὲ μὲν * ἔλεγε. « Καὶ αὐτὸν ἔδωκεν ὑπὲρ πάντα, κεφαλὴν τῆς Ἐκκλησίας, » τοῦτ' ἔστιν, ὑπὲρ τὰ ἄλλα πάντα χαρίσματα, τοῦτο αὐτῇ ἔδωκῆσατο, τὸ τὸν Χριστὸν κεφαλὴν αὐτῆς εἶναι » idest: « Redempta igitur et curata et adoptata et iustificata est, et facta cohaeres Unigeniti corporeaque cum eo constituta per sacramentum mysteriorum participationem, et in carnem ipsius desinit ac quemadmodum corpus capiti, sic ipsi unitur. Quod quum D. Paulus dispensator mysteriorum Christi intellexisset alibi ait: *Dedit illum super omnia caput Ecclesia* ⁽³⁸⁾, hoc est, praeter reliqua beneficia etiam hoc Ecclesiae suae largitus est, ut Christum pro capite suo habeat ».

Gregorius Nyssa Episcopus in oratione de perfecta christiani forma ⁽³⁹⁾ inquit: « Qui Ecclesiae caput Christum dicis esse, in primis cogita unam esse capitis et subiecti corporis naturam et singula membra cum toto quadam naturali necessitudine coniuncta esse ». Aperte satis insignis hic auctor naturalem coniunctionem eiusque modum expressit.

Ammonius ⁽⁴⁰⁾ quoque illa verba Joannis 6. « Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem in me manet et ego in eo » exponens ait: « Ὡσπερ αἱ αἰσθεται τροφαὶ ἡμῖν ἀνακιργώμεναι συνιστῶσι τὸ σῶμα, οὕτω καὶ ἡ μυστικὴ μετάληψις ὡσπερ τινὰ φυσικὴν συνάφειαν ποιεῖ, τὸν Χριστὸν μετὰ τοῦ πιστοῦ ἀνακρινῶσα » idest: « Ut

⁽³⁶⁾ Epistula 228; PG. 78, 326.

⁽³⁷⁾ Epistularum l. 3, epistula 195; PG. 78, 879.

⁽³⁸⁾ Eph. 1, 22.

⁽³⁹⁾ PG. 46, 272-273.

⁽⁴⁰⁾ AMMONIUS ALEXANDRINUS, *Fragmenta in Jo.* 6, 57; PG. 85, 1439-1440.

f. 61^r alimenta sensibilia nobis commista constituunt corpus, * sic haec mystica participatio tamquam naturalem quamdam conglutinationem facit, fidelem cum Christo miscens». Hanc Ammonii auctoritatem ex catena quadam in Joannem quae manuscripta graece apud nos asservantur excerpimus. Arbitror autem hunc Ammonium Origenis praeceptorem fuisse, qui Episcopus et martyr extitit, et de rebus sacris lucubrations aliquot conscripsit, non autem Ammonium monachum qui, ut ex Cyrillo constat, a iudice excruciatum fuit ob saxum in Orestis faciem ab eo coniectum et in numerum martyrum a Cyrillo relatus. Non enim constat an aliquid hic scriptum reliquerit. Unius ergo horum haec verba sint an alii sint adscribenda non satis compertum habeo. Certe magni alicuius viri sint necesse est, cum inter vetustos illos et sanctos Patres in catena illa graeca sint posita (41).

Paschasius Abbas Corbejensis, Ordinis Sancti Benedicti, qui ante octingentos annos scripsit librum *de corpore et sanguine Domini* cap. 9 (42): « Quicumque, inquit, digne hanc vitam sumunt, renati unum efficiuntur: ut sicut iam per baptismum Christum induunt, ita Christus in eis per hoc Sacramentum corporaliter maneat ut sint credentes unum in Christo et Christus in eis maneat quatenus illud impleatur quod ipse ad Patrem orat: *Non pro his rogo tantum, sed pro his qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut omnes unum sint sicut tu Pater in me et ego in te, ut et ipsi sint in*

f. 61^v nobis ». Haec itaque unitas non sicut haeretici volunt sola voluntate inter Patrem et Filium praedicatur. Et sicut laborant ex eo qui ait: *Ego et Pater unum sumus*. Tentant igitur ad unitatis illud referre sensum, ut unitas voluntatis in his sit, non naturae, sicut multitudinis credentium in Jerusalem dicitur *cor unum et anima una fuisse*. Sed nos Patrum vestigia sequentes credere oportet quod Deus ex Deo substantialiter genitus, naturaliter hoc est quod Pater et per hoc unitate naturae Pater et Filius unum esse comprobatur. Nec non et Christus hodie in nobis non solum per concordiam voluntatis sed et per naturam in nobis sicut et nos in illo recte manere dicitur. Nam si *Verbum caro factum est*, et nos vere Verbum carnem in cibo dominico sumimus, quomodo in nobis Christus naturaliter manere existimemur? Qui et naturam carnis nostrae inseparabilem sibi homo natus Deus assumpsit, et naturam carnis suae ad naturam aeternitatis sub hoc Sacramento communicandae carnis admiscuit ».

Divus Algerus de naturali hac unitate ita sentit (43): « Ad ultimum etiam, ne aliquid in ipso alienum videretur aut arduum, ita

(41) A veritate historica aliena haec sunt, cum laudatus Ammonius Alexandriae floruerit saec. V, cf. B. ALTANER, *Patrologia*, Torino 1940, p. 190.

(42) *Lib.* 9, n. 4; PL. 120, 1295-1296.

(43) *De sacramentis corporis et sanguinis dominici* l. 1, c. 3; PL. 180, 717-718.

vere et perfecte communicavit nobis ut, corporis et sanguinis mirifico Sacramento Ecclesiam sibi uniens et corporans tanta gratia insigniret, ut ipse caput eius et ipsa esset corpus suum non nomine tenus * f. 62^r tantum sed in veritate sui corporis vere sibi concorporatum ut in illo nullius gratiae esset divortium; cum quo nos solidaret tam unicae unitatis sacramentum, certumque esset hoc pacto nos cum ipso per ipsum in vita aeterna similem dignitatis obtinere gloriam, si cum ipso per ipsam in hac vita similem innocentiae servare volumus gratiam, maxime cum ipse moriturus sub ipsius sacrosancti sanguinis sui novo testamento: cui, ut ait Apostolus ⁽⁴⁴⁾, *superordinari aut mutari nefas est*, vitae aeternae pactum nobis assignaverit et ipse a mortuis resurgendo in se capite nostro quomodo corpus suum glorificare deberet ostenderit. Non enim esset misericordiae Dei et iustitiae condignum si eos repelleret a regni sui consortio quibus tam familiariter uniri dignatur in mundi exilio eisque honoris vicissitudinem non rependeret in manifesta visione suae maiestatis, a quibus digne susceptus et adoratus est in occultis et peregrinis sacramentorum suorum figuris. Quomodo etiam ibi fieret divortium quod hic factum est unum? Unde Hilarius: Si vere, inquit, Verbum caro factum est et vere nos Verbum carnem cibum dominicum sumimus, quomodo non naturaliter in nobis manere existimandus est qui et naturam carnis nostrae iam inseparabilem sibi homo natus assumpsit et naturam carnis suae ad naturam aeternitatis sub Sacramento nobis communicandae carnis admiscuit? Ita enim omnes unum sumus quia in Christo Pater et Christus in nobis unum * in his nos esse faciunt. Si ergo nos vere sub mysterio carnem f. 62^v corporis sui sumimus et per hoc unum erimus quia Pater in illo est et ille in nobis, naturalis per sacramentum proprietates perfecte sacramentum est unitatis ».

Thomas Aquinas, merito theologiae flos appellatus, vir sanctissimus et Scripturarum peritissimus, plerisque in locis ⁽⁴⁵⁾ eandem cum veteribus sententiam tenet: « Magnus est, inquit, dare se in socium peregrinationis et in servum necessitatis maius in pretium redemptionis: tamen tale donum adhuc est in aliqua separatione ab eo cui datur. Sed quum datur in cibum datur non ad separationem aliquam sed ad omnimodam unionem. Uniuntur enim in unitate corporis cibus et sumens: Joannis 6.: *Qui manducat meam carnem in me manet* etc., et sic apparet in tali dono summa largitas divinae bonitatis. Profecto omnimoda unio dici non posset si tantum spiritus esset et caro dimitteretur suae imbecillitati tanto prorsus auxilio destituta ».

Idem in expositione ⁽⁴⁶⁾ illorum verborum Joannis 6.: *Qui manducat meam carnem* etc.: « Hilarius 8. de Trinitate: De veritate igitur

⁽⁴⁴⁾ Gal. 3, 15.

⁽⁴⁵⁾ Ps. THOMAS, *De venerabili sacramento altaris*, c. 5.

⁽⁴⁶⁾ *Catena aurea*, in Jo. c. 6, n. 10.

f. 63^r carnis et sanguinis Christi non est relictus ambigendi locus. Nunc enim ex ipsius Domini professione et fide nostra vere caro est et vere sanguis est. Haec ergo vitae nostrae causa est quod in nobis carnalibus manentem per carnem Christum habemus, victuris nobis per eum ea conditione qua vivit ille per Patrem. * Si ergo nos naturaliter secundum carnem per eum vivimus, idest naturam carnis suae adepti, quomodo non naturaliter secundum spiritum in se Patrem habeat cum vivat ipse per Patrem? Per Patrem vivit dum nativitas ei alienam ei intulit diversamque naturam ». Sic exponenda esse verba Joannis: *Qui manducat meam carnem in me manet et ego in eo*, ut Hilarius exponit, censere sanctum Thomam super Joannem, *Joannes de Turrecremata* (47) auctor est.

Idem Thomas in tertia parte *Summae Theologicae* q. 79, art. 1: Christum per sacram eius carnem et pretiosum sanguinem corporibus nostris uniri, testimonio Cyrilli addito, fatetur. « Primo quidem, ait, et principaliter ex eo quod in hoc Sacramento continetur quod est Christus qui, sicut in mundum visibiliter veniens, contulit mundo vitam gratiae secundum illud Joannis 3: *Gratia et veritas per Jesum Christum facta est*, ita in hominem sacramentaliter veniens vitam gratiae operatur secundum illud Joannis 6: *Qui manducat me vivit propter me*. Unde et Cyrillus dicit: Vivificativum Dei Verbum uniens seipsum propriae carni fecit ipsam vivificativam. Dicebat enim eum nostris uniri corporibus per sacram eius carnem et pretiosum sanguinem, quae accepimus in benedictionem vivificantium et in pane et in vino.

f. 63^v Idem super illud: *Sicut misit me vivens Pater et ego * vivo propter Patrem, et qui manducat me et ipse vivet propter me*, Joannis 6 ait (48): « Per hoc ergo secundum Hilarium excluditur Arii error; nam si nos per Christum vivimus quia aliquid de natura sua habemus ut ipse dicit: *Qui manducat meam carnem etc.*, ergo et Christus vivit propter Patrem quia habet in se naturam Patris non autem partem quia simplex est et indivisibilis. Ergo habet totam naturam Patris. Per Patrem ergo vivit Filius dum nativitas non alienam ei intulit diversamque naturam ».

Joannes Teutonicus, Decretorum interpres, in cap. « *In Christo Pater* » de consecrat. dist. 2. non semel idem asserit, et in gloss. in cap. « *Quia passus* » in eadem dist. in verbo quod etiam fecit: per Eucharistiam digne sumptam unum nos effici cum Christo non spiritali vinculo charitatis tantum sed in natura etiam asserit (49).

(47) *Super Decreto*, Pars 3, De cons., d. 2; Venetiis 1578, t. IV, p. 173.

(48) *Commentaria in Ev. Jo.* cap. 6, lect. 7, n. 7.

(49) *Glossa ordinaria ad Decretum* c. 35 et c. 81, D. II, de cons.; cf. *Decretum Gratiani una cum glossis*, Lugduni 1559, p. 1272 et 1291.

Archidiaconus ⁽⁵⁰⁾, vir insignis auctoritatis inter iurisperitos, eandem naturalem unitatem asserit super cap. « *In Christo Pater* » dicens: « Vos in me et ego in vobis. Et dicit in vobis per carnis meae susceptionem in Sacramento et ita perfecta naturae unitas perficitur inter nos et Christum in Sacramento Eucharistiae. Et paulo inferius iterum respondet: Naturaliter dicitur aliquid quod est ex principio naturali et sic non naturaliter qui hanc * unitatem non facit, sed gratia et virtus divina. Alio modo cum ex his quae realiter et substantialiter sunt in nobis, et sic naturaliter quia per participationem veri et naturalis corporis sui ».

Meminimus antea Roffensis qui nostra aetate vir doctissimus pariter ac sanctissimus fuit, ac pro defendenda Ecclesiae auctoritate mortem sancti Christi martyr fortiter suscepit. Quoniam tamen in quinque libris quos adversus Oecolampadium mira eruditione pietateque conscripsit, multis in locis eandem sententiam confirmavit operae pretium existimavi nonnulla ex ipso loca hic subnectere ac praecipue ex prooemio in quintum librum ex Cyrilli, Chrysostomi Irenaeique testimoniis non satis esse ait nobis uniri Christo spiritualiter id quod fides et caritas nobis exhibent, sed oportere etiam corporaliter et carnaliter uniri per carnis eius esum et sanguinis sui potum, nimirum ut ita sicut Paulus ad Ephesios docet, simus membra corporis eius ex carne eius et ex ossibus eius. Ibi Paulus haud dubie de Christo loquitur et Ecclesia, mysterium magnum ex unione viri et coniugis in carnem unam eruens. Superius itaque viros admonuit quatenus uxores suas diligerent sicut Christus Ecclesiam. Et mox subdit: *Nullum enim unquam suam ipsius carnem odio habuit, imo enutrit ac fovet eam sicut Dominus Ecclesiam.* At quomodo, precor, Dominus enutrit et fovet Ecclesiam nisi carne et sanguine suo? Nimirum, ut ita simus membra corporis eiusdem * ex carne eius et ex ossibus eius. Et paulo post recitatis vetustorum Patrum auctoritatibus: « Vides ergo, lector, ait ⁽⁵¹⁾, quod praeter fidem et dilectionem quibus corpori Christi inserimur, necessarium nobis est esus corporalis ipsius carnis Christi, quo non spiritualiter solum verum etiam corporaliter et carnaliter veritatem carnis eius participemus. Erant enim patriarchae et prophetae corpori ipsius mystico spiritualiter inserti per fidem sicut et hi qui iam credunt absque sumptione corporali, sed neutri veritatem carnis participant. De illis hoc satis constat cum nondum factum esset Verbum caro. Certe quando caro non fuit, participari ipsa corporaliter haud quaquam potuit. Verum tunc futuram hanc carnem

⁽⁵⁰⁾ Seu GUIDO A BAUSO, *Rosarium seu in decretorum volumen commentaria*, Venetiis 1577, p. 397-398f.

⁽⁵¹⁾ *De veritate corporis et sanguinis Domini adv. Oecolampadium*, Wircerburgi 1597, p. 1128.

crediderant, hanc fide spiritualiter manducabant, spiritualiter participabant et spiritualiter corpori eius mystico sunt inserti. Habebat enim et tunc Verbum ipsum corpus quoddam mysticum tametsi verum non adhuc acceperat ».

Idem lib. caput 29 ⁽⁵²⁾. « Per esum carnis Christi protinus efficitur membra corporis eius, et ut Paulus ait, caro de carne eius. Hoc praestat caro Christi nobis comesta ut convertamur in carnem eius et vere corporaliter ei coniungamur quemadmodum et Irinaeus Cyrillusque ac Chrysostomus caeterique confirmant ».

f. 65^v Joannes Gropperius, vir pius multaeque lectionis, in *Institutione * catholica* ⁽⁵³⁾, corpore et sanguine Christi, inquit, non indigne sumptis in primis Christo arctissima et naturali quodam modo non spiritali coniunctione tantum copulamur, participes effecti vivificatricis verae quae Verbi propria facta est carnis et pretiosi sanguinis Christi quae hausta faciunt, ut Hilarius ait, ut et Christus in nobis sit et nos in Christo, non animum tantum informante, sed et carnem nostram ad vitam, incorruptionem et immortalitatem preparante.

Claudius Guillaudius Bellisocensis, in *Enarrationibus super sextum caput Joannis* ⁽⁵⁴⁾, allatis Chrysostomo, Cyrillo, Irinaeo, participationem hanc naturalem apertis verbis testatur.

f. 65^v Adrianus Finus in opere quod inscribitur « *Flagellum contra Judaeos* » lib. 8., cap. 44 ⁽⁵⁵⁾, sic ait: « Tertio, ut quicumque hanc vitam digne sumant, renati unum efficiantur: ut sicut iam per baptismum Christo induuntur, ita Christus in eis per hoc Sacramentum corporaliter maneat ut sint credentes unum in Christo et Christus in eis maneat; quatenus illud impleatur quod ipse ad Patrem orat: *Non pro his autem rogo, inquit, tantum, sed pro his qui credituri sunt in me per verbum eorum ut omnes unum sint in nobis*: Christus siquidem Deus ex Deo substantialiter genitus, naturaliter hoc est quod Pater; ac per hanc unitatem naturae Pater et Filius * unum esse probantur. Christus quoque non solum per concordiam voluntatis sed etiam per naturam in nobis sicut et nos in illo recte manere dicitur. Nam si Verbum caro factum est et nos vere Verbum carnem factum in cibo dominico sumimus, quomodo in nobis Christus naturaliter manere iure non aestimetur qui et naturam carnis nostrae inseparabilem

⁽⁵²⁾ *De veritate corporis et sanguinis Domini adv. Oecolampadium*, Wirceburgi 1597, p. 1204.

⁽⁵³⁾ Fere idem in alio egregio opere: *De veritate corporis et sanguinis Christi in Eucharistia*, Colonia 1540, p. 132.

⁽⁵⁴⁾ Seu CLAUDIUS GUILLAUDIUS BELLOJOCENSIS, praepositus augustunensis († 1561), *Enarrationes in Evang. Johannis*, Parisiis 1550 (cf. H. HURTER, *Nomenclator Literarius*, II, n. 638).

⁽⁵⁵⁾ Venetis 1538, p. 509 CD.

sibi homo natus Deus assumpsit et naturam carnis suae ad naturam aeternitatis sub sacramento hoc nobis communicandae carnis admiscuit? Et ideo per hoc omnes in Deo Patre et Filio et Spiritu Sancto unum sumus. Hinc igitur est quod nos in Christo naturaliter confitetur quia Verbum caro factum est unum esse in illo ut naturalis unitas per Sacramentum appareat veritatis. Hinc, ergo dicit: *Qui manducat carnem meam in se manet et ego in eo*. Vere igitur sicut per naturam deitatis Deus Pater in Filio est, ita Filius Dei homo per humanitatem carnis in nobis esse iure dicitur, ac per hoc mediator Dei et hominum praedicatur; quia per eum communionem unitatis habemus ad Deum dum ipse in Patre manens et in nobis quoque manere dicitur. Quae de causa unum nos esse in ipsis superius Pater a Filio secundum humanitatem exoratur. Ecce ista duo Sacramenta quid efficiunt. Per baptismum ergo renascimur in Christo et per Sacramentum corporis et sanguinis Christus in nobis non solum fide sed etiam unitate carnis et sanguinis manere probatur. Et ideo iam membra Christi eius carne vescimur ut nihil aliud quam corpus eius unde vivimus * f. 66^r et sanguis inveniamur. Hinc igitur est quod *nemo ascendit in caelum nisi qui de coelo descendit* quia cum illo per haec mysteria unum sumus ». Hactenus Adrianus Finus.

Cum autem ea quae plurimorum consilio, et sententia statuunt maiorem vim habent non est praetermittendum quod in Concilio Provinciali Coloniae celebrato anno MDXXXVI firmiter tenendum traditum esse superius retulimus ⁽⁵⁶⁾.

Assertio etiam de effectu Sacramenti Eucharistiae in libro confessionis Polonicae quae habita est Petricoviae in Concilio Provinciali illius regni, quam Stanislaus Hosius Episcopus tunc Varmiensis nunc vero S.R.E. Cardinalis vir doctissimus pariter ac gravissimus conscripsit, ita habet ⁽⁵⁷⁾: « Tanta est igitur huius cibi vis ut si quis eum digne manducaverit non spirituali modo coniunctione verum etiam naturali quadam et ea arctissima Christo copuletur, particeps effectus verae vivificatricis, quae Verbi propria facta est, carnis, et pretiosi sanguinis Christi; quae sumpta faciunt ut et Christus in nobis sit et nos in Christo non animum tantum reformante, sed carnem etiam nostram ad vitam et incorruptionem ac et immortalitatem praeparante, sicut et ab Hilario et Cyrillo ante mille ducentos annos traditum legimus ».

Sed ut his omnibus Lovaniensis universitatis sententiam adstipulari intelligamus: R u a r d u s T a p p e r, Lovanii Decanus, optimus testis est, cuius verba sic habent: ⁽⁵⁸⁾ « Huius autem sacramenti ef-

⁽⁵⁶⁾ *Supra*, p. 57.

⁽⁵⁷⁾ *Confessio Catholica*, c. 42; inter opera Card. Hosii, Lugduni 1564, p. 124.

⁽⁵⁸⁾ *Declaratio articulorum venerandae facultatis Lovaniensis*, Lugduni 1554, p. 276.

f. 66^r fectus est ut unum simus cum ipso sicut ipse unum est cum Patre. Sic enim Theophylactus interpretatur quod dicit Apostolus: *Panis quem frangimus nonne * communicatio corporis Christi est?*, quod pro eo, inquit, dixit quod est, quemadmodum corpus Christi unitum est, sic et nos ipsi Christo per panem hunc unimur. Et B. Chrysostomus: Quum enim, inquit, suum in nos amorem indicare vellet, per corpus se nobis commiscuit, et in unam, ut ita dicam, massam reduxit; neque id fide solum et caritate aut fiducia sed reipsa nos corpus suum effectit. Corporaliter itaque Christo coniungimur eoque participamus et communicamus secundum Apostoli sententiam et non spiritualiter tantum. *Qui manducat meam carnem*, inquit Dominus, *et bibit meum sanguinem in me manet et ego in eo. Et sicut ego vivo propter Patrem, sic et qui manducat me et ipse vivet propter me.* Hi enim effectus sunt non panis et vini sed Christi sub speciebus eorum contenti per quem in hoc sacro convivio mens impletur gratia et futurae gloriae nobis pignus datur ».

Allata haec sunt veterum Patrum et doctorum testimonia apertis verbis naturali aut corporali unione nos Christo uniri, aut aliquid de naturae eius adipisci testantia, neque si unus aut alter naturalem aut corporalem unitatem dictione *quadam* aut *quodammodo* temperavit quidquid naturali unioni detrahi existimetur. Nam quum plures sint unitatis modi necessario dicendum est hanc esse quamdam aut quodammodo, ut postea planius patebit.

f. 67^r Tamen quia sunt alii Sancti Patres qui eandem arctissimam cum Christo unionem reipsa agnoscunt et constabiliunt etsi non iisdem * verbis utantur, non ab re fuerit nonnullorum auctoritates subnectere atque in primis B. Dionysii Areopagitae Pauli Apostoli discipuli qui in fine tertiae partis secundi capituli de Ecclesiast. Hierarch. (59) Eucharistiam vocat « communionem deificam » nihil aliud intelligens quam quod Eucharistia nos unum efficiat cum Deo. Deificatio enim est ad Deum quantum fieri potest similitudo et unitas, auctore eodem Dionysio. Unitas autem haec, ut Cyrillus et Hilarius docent, non spiritualis tantum sed naturalis et substantialis per Christi carnis substantiam cum nostra carne dicitur, quam in hoc divino cibo nobis impartit, quemadmodum Lincolnensis esponit (60). Dionysii verba sic habent (61): « In finem omnium pontifex ita perfectum ad sacratissimam Eucharistiam vocat atque consummantium illi Sacramentorum deificam communionem tradit ». Idem in eodem opere ter-

(59) PG. 3, 403.

(60) Nempe ROBERTUS GROSSATESTA, *episcopus lincolniensis* († 1253), cuius Dionysii expositio nondum edita est, si una excipitur « *Mystica Theologia* »; cfr. H. HURTER, *Nomenclator literarius*. II, col. 330-333; E. FRANCESCHINI, *Roberto Grossatesta e le sue traduzioni*, Venezia 1933.

(61) Loco citato.

tiae partis cap. 3 ⁽⁶²⁾: « Illud quoque sacratius intuere quod impositis sancto altari venerabilibus signis per quae Christus et signatur et sumitur, adest protinus et incunctanter sanctorum descriptio coniunctionem eorum individuam unionemque cum illo altissimam et sacratissimam indicans ».

Quam obscura multa Dionysius scripserit cunctis est notum. Quare si eius verborum interpretationem quam Sancti Patres tradiderunt sequamur, minus errare censebimur. In his Sanctus Maximus alia eiusdem Dionysii verba exponens magnam Dionysio ⁽⁶³⁾ lucem adfert, cuius verba sic habent: « Sane apertum panem et individuum in frusta concidens et singularem calicem omnibus impartiens unitatem signanter multiplicat atque distribuit, inque his coeleste mysterium consummat. Unum * enim illud et simplex atque secretum Jesu divini Verbi nostrae humanitatis assumptione ad compositum atque visibile sine immutatione sui per summam clementiam benignitatemque processit et communionem unum nos cum ipso efficientem beneficentissime excogitavit, per quam nostra humilia divinis suis excellentiis summe uniret ac ut nos illi tamquam membra corpori congruamus et per vitae sinceræ et divinæ similitudinem compaginemur ne a corrumpentibus mortificati vitiis ad divina et sanctissima membra incongrui efficiamur, ut qui haerere eademque vita vivere nequaquam valeamus ». Haec Dionysii verba magnopere nostram cum Christo naturalem unionem declarant. Graecæ sententia auctoris significantius exprimitur: « Καὶ τὴν πρὸς αὐτὸν ἡμῶν ἐνοποιὸν κοινωνίαν ἀγαθουργῶς διεπραγματεύσατο, τὰ καθ' ἡμᾶς, ταπεινὰ τοῖς θεοτάτοις αὐτοῦ κατ' ἄκρον ἐνώσας ».

Ambrosius Abbas Camaldulensis ⁽⁶⁴⁾ ita translulit: « Societatemque nostram qua sibi iungeremur beneficentissime excogitavit nostra humilia divinis suis excellentiis iungens ». Societatis vocabulum non satis refert quod graecæ: « ἐνοποιὸν κοινωνίαν » habetur; idest communionem vivificantem ⁽⁶⁵⁾. Nam communio, auctore Damasceno, lib. 4. de orthodoxa fide ⁽⁶⁶⁾, hoc divinissimum Sacramentum appellatur, et revera est quia communicamus per ipsum Christo et participamus eius carne et divinitate; communicamus enim et unimur invicem. Siquidem ex uno pane participamus omnes unum corpus Christi, unus sanguis, et invicem membra efficimur concorpores Christo existentes ».

* Hanc participationem Sanctus Maximus, Dionysii interpres, summam unionem et perfectam et substantialem iuxta ipsius

⁽⁶²⁾ PG. 3, 438.

⁽⁶³⁾ *Ecclesiastica Hierarchia*, c. 3, § 12; PG. 3, 443.

⁽⁶⁴⁾ Ambrosius Traversari († 1439) abbas generalis Monachorum Camaldulensium, qui plura SS. Patrum Graecorum opera in linguam latinam transtulit.

⁽⁶⁵⁾ Rectius « vivificantem ».

⁽⁶⁶⁾ *Cap. 13*; PG. 94, 1154.

substantiam significasse Dionysium verbis illis ⁽⁶⁷⁾: «Κατ' ἄκρον ἐνώσας» asserit ita scribens: «Ἐπειδὴ καὶ ψυχὴν νοερὰν καὶ σῶμα γήινον ἔλαβε ἐξ ἡμῶν εἰδοποιούμενον, τοῦτ' ἔστι τὸ καθ' ἡμᾶς εἶδος, ἵγουν τὴν φύσιν λαβόν· Σημειῶσαι δὲ πῶς κοινοὶ θείας φύσεως γινόμεθα Χριστῷ ἐνούμενοι. Σημειῶσαι καὶ τὰ περὶ τῆς οἰκονομίας, καὶ τίς ὁ φανείς, καὶ τίς ἡ κλάσις τοῦ ἄκρου καὶ διανομῆ. Τοῦτέστι κατ' ἄκραν ἔνωσιν καὶ τελείαν καὶ οὐσιώδη καθ' ὑπόστασιν ἀληθῆ» hoc est: «Animam siquidem intellectualem et corpus terrenum ex nobis formatum, hoc est iuxta nostram ipsorum speciem, sive naturam accepit. Ex quo significatur quo pacto participes divinae naturae fiamus Christo uniti. Declaratur etiam ratio participationis et quis sit, qui est ostensus et quae fractio panis et distributio nimirum secundum absolutam et perfectam et substantialem unionem secundum veram personam». Perfecta haec et substantialis unio cum Christo communicatio est humanae et divinae Christi naturae quam Christo vero Deo existenti uniti adipiscimur. Unde proprie Eucharistia communicatio dicta est quia communicamus per ipsam Christo et participamus eius carne et quia communicamus et unimur invicem per illam.

I r i n a e u s, Polycarpi discipulus, Hieronymi testimonio doctissimus sanctissimusque vir, qui saeviente Arianorum haeresi alterum f. 68^v oculum * amisit ⁽⁶⁸⁾, libenter pro Christi fide vitam amissurus, lib. 5 adversus haereses aperte scribit ⁽⁶⁹⁾: «Carnis nostrae substantiam Eucharistia corporis et sanguinis Christi augeri et consistere membrumque eius fieri quemadmodum apostolus ait: *Quoniam membra sumus corporis eius de carne et ossibus eius*». Cuius verba in secunda probatione superius allata sunt. Idem de Eucharistia loquens ^(69bis): «Quomodo, inquit, rursus haeretici dicunt carnem in corruptionem venire et non percipere vitam quae a corpore Domini et sanguine alitur? Ergo aut sententiam mutant aut abstineant offerendo quae praedicta sunt. Nostra autem sententia consonans est Eucharistiae, et Eucharistia rursus nostram confirmat sententiam. Offerimus enim et quae sunt eius congruenter communicationem et unitatem praedicantes carnis et spiritus».

J u s t i n u s philosophus et martyr carnem nostram et sanguinem nostrum ipsius incarnati Jesu sanguine ali et carnem per transmutationem nutriri testatur inquiring ⁽⁷⁰⁾: «Deinde profertur illi qui fratribus praest panis et poculum aqua et vino mistum. Quibus acceptis, laudem et gloriam ei qui Pater est omnium per nomen Filii et Spiritus

⁽⁶⁷⁾ In *Ecclesiasticam Hierarchiam*, c. 3, § 12; PG. 4, 150.

⁽⁶⁸⁾ Cum Irenaeus diem supremum obierit circa a. 202, de Arianismo ne suspicio quidem in eius operibus deprehendi potest.

⁽⁶⁹⁾ *Adv. Haereses* I. 5, c. 2, n. 2; PG. 7, 1124.

^(69 bis) *Adv. Haereses* I. 4, c. 18, n. 4; PG. 7, 1026-1029.

⁽⁷⁰⁾ *Apologia* I, c. 65-66; PG. 6, 427-430.

Sancti destinat, et gratiarum actionem, quod ab illo dignus his sit habitus, prolixè agit: quo consummante preces et Eucharistiam totus qui praesens est populus approbat dicens: Amen. Illud autem Amen * f. 69^r hebraica lingua significat: Fiat. Quum autem qui praeest gratias egerit et totus populus approbaverit, hi qui vocantur apud nos diaconi distribuunt unicuique praesentium ut participent de pane in quo gratiae actae sunt et de vino et aqua. Et his qui non sunt praesentes deferunt. Atque hoc alimentum vocatur apud nos Eucharistia de quo nulli ali participare licitum est nisi qui credit vera esse quae a nobis docentur, et qui lavacro in remissionem peccatorum et in regenerationem lotus et sic bibit sicut Christus tradit. Nec enim ut communem panem et commune poculum haec suscepimus sed quemadmodum incarnatus per Verbum Dei Jesus Christus Servator noster et carnem et sanguinem habuit, sic et verbi sui oratione consecratum gratiarum actione alimentum ex quo sanguis et caro nostra per transmutationem aluntur ipsius incarnati Jesu et carnem et sanguinem esse edocti sumus. Apostoli enim in commentariis suis quae evangelia vocantur, sic ipsis praecepisse Jesum tradiderunt. Quum accepisset panem gratiis actis dixisse: *Hoc facite in mei commemorationem: Hoc est corpus meum. Et poculum similiter cum accepisset et gratias egisset dixisse: Hic est sanguis meus et solis ipsis impertisse* ». Haec Justinus. Qui cum de panis et vini consecrati alimento loquatur, manifestum est per dominicum cibum significare voluisse eadem ratione qua Irinaeus aliique Patres qui corpus Christi non more caeterarum carniū a nobis concoqui corporaque nostra alere censent, sed unum * nos cum eo efficere ea f. 69^v unitate quam Paulus saepe testatur: « *Unum, inquit (71), corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus* ». Neque est cur nos membra corporis eius mystice tantum esse dicamur, quando qui cum pietate carni Christi vescitur et eiusdem sanguine potatur coniunctissime Deo adhaeret et quemadmodum per cibum corporalem corporis substantia alitur et augetur, ita per cibum istum Christo incorporamur; et non tantum anima nostra sed et caro nostra alimentum non spirituale solum sed corporale; quod per animam in corpus nostrum redundat sumit et in carnem Christi transformare dicitur ut inferius patebit.

Cyprianus martyr ita scribit (72): « Ipse enim et panis et caro et sanguis idem cibus et substantia et vita factus est Ecclesiae suae quam corpus suum appellat dans ei participationem. Et nos quidem, cum caro essemus et sanguis corrupta et infirma corporis animaeque natura reformari non poteramus, neque ad similitudinem

(71) I Cor. 10, 17.

(72) Ps. CYPRIANUS, *De cena Domini*; Cypriani opera ed. Coloniae Agrippinae 1617, p. 273 A. Opus est ARNALDI BONAEVALLENSIS S. O. CISTERC. (+ 1154).

f. 70^v Dei reverti nisi morbo inveterato imponeretur malagma conveniens et in curatione desperata infirmitatis contraria removerentur contrariis et similia similibus convenirent. Panis iste quem Dominus discipulis porrigebat non effigie sed natura mutatus omnipotentia Verbi factus est caro, et sicut in persona Christi humanitas videbatur et latebat divinitas, ita Sacramento visibili ineffabiliter divina * se infundit essentia ut esset religioni circa Sacramenta devotio et ad veritatem, cuius corpus et sanguis Sacramenta sunt, sincerior pateret accessus usque ad participationem Spiritus non quod usque ad consubstantialitatem Christi sed usque ad societatem germanissimam eius haec unitas pervenisset ».

Idem ibidem dixerat sane huius traditionis magister « quod nisi manducaremus et biberemus eius corpus et sanguinem, non haberemus vitam in nobis spirituali nos instruens documento et aperiens ad rem adeo abditam intellectum, ut sciremus quod mansio nostra in ipso sit manducatio et potus quasi quaedam incorporatio subiectis obsequiis voluntatibus iunctis et affectibus unitis ». Hic quo pacto mansio et incorporatio absque coniunctione et unione esse possit non video. Neque certe Cyprianus ipse negabit, qui exponens orationem dominicam corpus Christi a nobis contingi ait a quo separamur abstinentes a coelesti pane, intercedente aliquo graviore delicto; manifestumque esse affirmat eos vivere qui corpus suum attingunt et Eucharistiam iure communicationis accipiunt. Iam nihil attingitur nisi coniungatur tangens tacto: nihil etiam separatur ab alio nisi quod copulatum et coniunctum prius fuit. Cypriani verba haec sunt (73): « Panem nostrum quotidianum da nobis hodie: quod potest spiritualiter et simpliciter intelligi quia et uterque intellectus utilitate divina proficit ad salutem. Nam panis vitae Christus est; et panis hic non omnium est sed noster est. Et quomodo dicimus Pater noster? Quia * intelligentium et credentium Pater est. Sic et panem nostrum vocamus quia Christus noster, qui corpus eius contingimus, panis est. Hunc autem panem dari nobis quotidie postulamus ne qui in Christo sumus et Eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus intercedente aliquo graviore delicto, dum abstenti et non communicantes a coelesti pane prohibemur, a Christi corpore separemur ipso praedicante et monente: *Ego sum panis vitae qui de coelo descendi. Si quis ederit de hoc pane vivet in aeternum. Panem autem quem ego dederam caro mea est pro saeculi vita.* Quando ergo dicit in aeternum vivere qui corpus eius attingunt et Eucharistiam iure communicationis accipiunt, ita contra timendum est et orandum ne quis abstentus separetur a Christi corpore procul remaneat a salute comminante ipso et dicente: *Nisi ederitis carnem Filii hominis et biberitis sanguinem eius non habebitis vitam in vobis;*

(73) De oratione, c. 18; PL. 4, 548-549.

et ideo panem nostrum, idest Christum dari nobis quotidie petimus ut qui in Christo manemus et vivimus a sanctificatione et corpore eius non recedamus ».

Gregorius Nyssenus, Basili' frater, mira sanctitate doctrinaque praeditus, ita ait ⁽⁷⁴⁾: « Quomodo qui per insidias venenum biberunt, alio medicamento vim illius extinguunt, oportet enim ut ad veneni similitudinem medicamentum in viscera ingrediatur ut per illa totum in corpus auxilium diffundatur, * ita nobis faciendum f. 71^r est quum venenum quo natura nostra dissolvitur gustaverimus, medicamentum quo illa contrahitur suscipiamus, ut virus illud contraria et opportuna huius vi repellatur. Quodnam hoc medicamentum? Nullum aliud nisi corpus illud quod morte praestantius declaratum est et nostrae salutis causa. Quomodo enim parum fermenti, ut inquit Apostolus, totam massam sibi similem reddit, sic et corpus illud quod a Deo factum est immortale in nostrum corpus ingrediens totum in se transfert atque commutat. Nam ut pestiferum cum salubri commistum illud efficit perniciosum sic et corpus immortale reddit totum illud, in quo susceptum est, naturae simile immortali. In corpus autem ingredi non potest nisi per cibum et potum visceribus immisceatur. Itaque necessarium est ut natura nostra vim salutarem intra corpus admittat. Cum autem nullum aliud nisi divinum illud corpus eam gratiam susceperit demonstratumque sit fieri non posse ut corpora nostra consequantur immortalitatem adquirent ».

Chrysostomus tot locis sententiam hanc confirmat, ut ex ipsius solius testimoniis iustum opus confici possit; ex quibus nonnulla adferentur quibus praeter unionem spiritualem, qua fide Christo coniungimur aperte constat quam necessaria nobis sit corporalis manducatio, qua in nobis Christus et nos in Christo naturaliter manemus. Is igitur *super Joannem* ita scribit postquam dixerat nos unum corpus esse et membra corporis Christi de carne et ossibus eius subiicit ⁽⁷⁵⁾: « Ut non per dilectionem sed reipsa in illam carnem * convertamur f. 71^v per cibum id efficitur quem nobis largitus est. Cum enim suum in nos amorem indicare vellet, per corpus suum se nobis commiscuit ». Idem alibi ⁽⁷⁶⁾: « Necessarium est, inquit, dilectissimi, mysteriorum discere miraculum quid tandem sit et quare sit datum et quae rei utilitas. Unum corpus sumus et membra ex carne eius et ex ossibus eius. Sequamur autem initiati quae dicuntur. Ut itaque non tantum per caritatem hoc faciamus, verum et reipsa in illam misceamur carnem, hoc per escam efficitur quam largitus est nobis volens ostendere desiderium quod erga nos habet: propterea semetipsum nobis immi-

⁽⁷⁴⁾ *Oratio catechetica*, c. 37; PG. 45, 94.

⁽⁷⁵⁾ *Hom. 46 in Jo. n. 3*; PG. 59, 260.

⁽⁷⁶⁾ *Ibidem*.

scuit et corpus suum in nos contemperavit ut unum quid efficiamur tamquam corpus capiti coaptatum, ardentem amantium hoc est. Hoc itaque Job 31,31 insinuans dicebat de servis quibus erat supra modum desiderabilis, quod desiderium ostendentes dicebant: « *Quis dederit nobis ex carnibus eius impleri* »? Propterea et Christus id fecit in maiorem nos inducens caritatem et suum erga nos ostendens desiderium non tantum se praebens cupientibus videndum, sed et palpandum et comedendum et carnem dentis infigere et complicari et omne desiderium implere. Tamquam leones igitur ignem spirantes ab illa mensa recedamus, facti diabolo terribiles et caput nostrum revolventes et caritatem quam nobis exhibuit. Nam parentes quidem alii saepe filios tradunt alendos, ego autem, inquit, non ita sed carnibus meis alo, meipsum vobis appono, vos omnes generosos esse volens et bonas vobis praetendens de futuris expectationes, quippe qui vobis hic meipsum trado, multo magis in futuro volui esse frater vester; f. 72¹ carnem * propter vos et sanguinem assumpsi, vobis vicissim carnem et sanguinem per quae cognatus vester factus sum trado ». Idem (77). « Non enim sufficit hominem fieri, flagellis iterum caedi, sed nos secum in unam, ut ita dicam, massam reducit, neque fide solum sed re ipsa nos corpus suum efficit. Qua igitur re mundio rem esse non oportet eum qui hoc sacrificio participaturus est? Quos radios solares excedere non deberet manus illa quae hanc coronam pertractat, os quod igne impletur spirituali, lingua quae cruentatur hoc admirabili sanguine? ».

Idem (78): « Unum corpus sumus et membra ex carne et ossibus eius, quare initiati eius praeceptis parere debent ut autem non solum per dilectionem sed re ipsa in illam carnem convertamur ». Idem (79): « Quare non dixit participatio? Quia amplius quiddam significare voluit et multam inter haec convenientiam ostendere. Non enim participationem tantum et acceptionem sed unitatem communicamus. Quemadmodum enim corpus illud unitum est in Christo, ita et nos per hunc panem unione coniungimur. Sed quare addit: Quem frangimus? Hoc in Eucharistia videre licet, in cruce autem minime. Sed omnino contra. Os enim eius, inquit, non conteretur. Sed quod in cruce passus non est, id in oblatione patitur et propter te frangi se permittit. Inde quum dixisset, communicationem corporis (quod enim communicat alterum est ab illo cui communicat) etiam quae parva videtur esse, differentiam tollit ». Nam cum communicationem corporis dixisset quiddam magis proprium addidit.

(77) *Hom. 82 in Mt. n. 5; PG. 58, 744.*

(78) *Hom. 82 in Mt. n. 4; PG. 58, 743.*

(79) *In 1 Cor. 10, 16; PG. 61, 200.*

Augustinus Chrysostomo mirifice consentit ⁽⁸⁰⁾: « Christus, inquit, panis est de quo qui manducat vivit in * aeternum, de quo ipsemet dixit: *Et panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Determinat quomodo sit panis non solum secundum Verbum quo vivunt omnia sed secundum carnem assumptam pro mundi vita. Humana enim caro quae erat peccato mortua carni mundae unita et incorporata unum cum illa effecta vivit de spiritu eius, sicut unum corpus de suo spiritu. Qui vero non est de corpore Christi, non vivit de spiritu Christi ».

f. 72^v

Idem ⁽⁸¹⁾: « Voluit enim Christus ut homo participans huic coenae in Deum ascenderet et incorporatus sibi efficeretur particepsque suae divinitatis et humanitatis sicut Verbum Patris in carne descenderat et factus est omnium particeps, quae vere sunt nostrae humanitatis ».

Idem ⁽⁸²⁾: « Quia passus est Dominus pro nobis, commendavit nobis in isto sacramento sanguinem suum et corpus, quod etiam fecit nosmetipsos. Nam et corpus ipsius facti sumus et per misericordiam eius quod accepimus nos sumus ». Neque obscurum est non intelligere Augustinum corpus nos factos Christi vinculo solum Spiritus sed carnis etiam, ut ex verbis eius proxime citatis patet, ac Joannes Teutonius exponit et Thomas confirmat. Nam adductis his Augustini verbis, subiicit ⁽⁸³⁾. « Caro enim nostra carni eius unita et incorporata unum nos cum illo efficit ».

Joannes Damascenus post multa praeclara de veritate corporis et sanguinis Christi dicta de hoc Sacramento loquens ita ait ⁽⁸⁴⁾: « Per Eucharistiam purgati unimur corpori Domini et Spiritui eius et efficimur corpus Christi. Iste panis est primitiae futuri panis * qui est supersubstantialis. Supersubstantiale enim ostendit aut eum qui futurus est, idest venturi saeculi, aut eum qui ad conservationem nostrae sumitur substantiae. Sive igitur hoc sive illo modo. Christo corpus accommodate dicitur. Nam Spiritus vivificans est caro Domini quia ex vivificante Spiritu concepta est. *Quod enim natum est ex Spiritu, Spiritus est.* Hoc autem dico non auferens corporis naturam sed vivificationem et divinitatem eius ostendere volens. Et si quidam exemplaria corporis et sanguinis Domini panem et vinum vocaverunt, et deifex vocavit Basilius, non tamen post sanctificationem di-

f. 73^r

⁽⁸⁰⁾ Hic locus exscribitur ex *Decreto Gratiani*, c. 57, D. II, de cons. (PL. 187, 1760), redolet mentem S. AUGUSTINI, In Jo. tr. 26, n. 13; PL. 35, 1606-1605.

⁽⁸¹⁾ *Ibidem*.

⁽⁸²⁾ *Ibidem*.

⁽⁸³⁾ *Glossa ordinaria ad Decretum*, c. 81, D. II, de cons.

⁽⁸⁴⁾ *De fide orthodoxa* l. 4, c. 13; PG. 94, 1151-1154.

xit sed priusquam sanctificaretur ipsa oblatio, ita vocabant. Participatio enim dicitur. Nam per ipsam Jesu divinitatem participamus. Dicitur et communicio: et est revera quia communicamus per ipsam Christo et participamus eius carnem et divinitatem; et quia communicamus et unimur invicem per illam. Nam qui ex uno pane participamus omnes, unum corpus Christi et unus sanguis et invicem membra efficimur, concorporati Christo existentes ». Hactenus Damascenus.

Sanctus Ephrem, Edyssenae Ecclesiae Archidiaconus, qui ante mille et trecentos fere annos opus *de die iudicii* ⁽⁸⁵⁾ conscripsit, hanc ipsam naturalem unitatem eleganti vereque paulina similitudine spiritualium nuptiarum copulam appellavit inquiring: « Quicumque mysteriis tuis indignus accesserit suam animam ipse condemnat non se castificans ut coelestem regem et immortalem sponsum in sui pectoris purissimum accipiat thalamum. Nam anima nostra * sponsa est immortalis sponsi. Copula autem nuptiarum coelestia sunt Sacramenta, quia cum manducamus corpus eius et sanguinem bibimus et ipse in nobis est et nos in eo ».

Leo I ad clerum et plebem Constantinopolitanam ⁽⁸⁶⁾: « In quibus isti ignorantiae tenebris in quo hactenus desidia temporum iacuerunt, ut nec audita discerent vel lectione cognoscerent quod in Ecclesia Dei in omnium ore tam consonum est, ut nec ab infantium linguis veritas corporis et sanguinis Christi inter communis sacramenta fidei taceatur. Quia in illa mystica distributione spiritualis alimoniae hoc impartitur ut accipientes virtutem coelestis cibi in carnem ipsius qui caro nostra factus est transeamus ». Idem ⁽⁸⁷⁾: « Non aliud, inquit, agit participatio corporis et sanguinis Christi quam ut in id, quod sumimus, transeamus et in quo commortui et consepulti et coresuscitati sumus, ipsum per omnia et spiritu et carne gestemus ».

Theophylactus, Vulgarorum Episcopus, iisdem fere verbis quibus Chrysostomus ⁽⁸⁸⁾: « Calix, inquit, benedictionis, idest Eucharistia. Manibus enim tenentes eum, benedicimus ei et gratias agimus qui sanguinem suum pro nobis effudit ineffabiliaque bona in nos contulit. Non autem dixit participatio sed communicatio ut aliquid excellentius indicet, summam, puta, unionem. Quod vero dicit huiusmodi est: Hoc, quod in calice est, illud est quod ex latere fluxit Christi, et ex eo accipientes communicamus, hoc est * unimur Christo. Et explicans quomodo panis quem frangimus communicatio corporis Christi sit, quod in cruce, inquit, non est passus Christus,

⁽⁸⁵⁾ Hunc definitum textum invenire non potui; alii prostant, qui eandem referunt doctrinam, cf. *Ephrem Opera*, Romae 1743, t. 3, p. 272, 457-459.

⁽⁸⁶⁾ *Ep.* 59, 2. PL. 54, 368.

⁽⁸⁷⁾ *Sermo* 63, 7; PL. 54, 357.

⁽⁸⁸⁾ *In 1 Cor.* 10, 16; PG. 124, 683-686.

os enim eius nullum est contritum hoc iam sustinet quum propter nos frangitur. Quae enim frangimus, inquit, communicatio corporis Christi est, pro eo dixit quod est. Quemadmodum illud corpus Christo unitum est, sic et nos ipsi Christo per hunc panem unimur et addit: *Panem quem frangimus nonne communicatio corporis Christi est?* eo intulit quia quemadmodum corpus illud Christo unitum est, sic et nos illi per hunc panem copulamur ».

Euthimius ⁽⁸⁹⁾: « Quod si de uno corpore et sanguine omnes fideles participamus omnes unum sumus per ipsam horum mysteriorum participationem, et in Christo omnes et Christus in omnibus. *Qui edit, inquit, carnem meam et bibit meum sanguinem in me manet et ego in illo.* Verbum siquidem per assumptionem carni unitum est. Haec rursus caro unitur nobis per participationem ». Idem ⁽⁹⁰⁾ « *Caro mea vere est cibus et sanguis meus verè est potus.* Vere est cibus, inquit, sive aptissimus utpote animam quae propriissima hominis pars est nutriens et similiter de sanguine. Aut hoc dixit confirmans quod non aenigmatice neque parabolice loqueretur. *Qui edit meam carnem et bibit meum sanguinem in me manet et ego in illo.* In me manet: unitur mihi per transumptionem et communicationem meae * carnis f. 74^r meique sanguinis, unum corpus mecum efficitur ac particeps vitae quae est in me. Quod si ille in me est, utique et ego in illo ».

Rabanus Maurus ⁽⁹¹⁾, Archiepiscopus Moguntinus ex Abbate Fuldensi monasterii ordinis Sancti Benedicti, qui claruit sub Ludovico Pio et Gregorio V ante septingentos annos: « Tunc, inquit, vere et salubriter corpus et sanguinem Christi percipimus si non tantum volumus ut in Sacramento carnem et sanguinem Christi edamus, sed usque ad Spiritus participationem manducemus et bibamus ut in Domini corpore tanquam membra maneamus, ut eius Spiritu vegetemur. Sumunt ergo fideles bene et veraciter corpus Christi si corpus Christi non negligunt esse, fiunt corpus Christi si volunt vivere de Spiritu Christi. De Spiritu Christi non vivit nisi corpus Christi ».

Anselmi sententiam de hac naturali unitate superius adscripsimus ⁽⁹²⁾:

Bernardus, de sacramento Eucharistiae loquens ⁽⁹³⁾, ita inquit: « Potest ne existimari quale vel quantum est hoc sanctum sanctorum et Sacramentum Sacramentorum, amor amorum, dulcedo omnium dulcedinum? Haec vere sunt festa Paschalia; haec sunt gaudia et fercula vitalia iustorum; hic bibuntur in loco uberi torrentes lactis,

⁽⁸⁹⁾ In Jo. 6; PG. 129, 1255.

⁽⁹⁰⁾ Ibidem.

⁽⁹¹⁾ De clericorum institutione; PL. 107, 318.

⁽⁹²⁾ Rectius: infra, p. 251, 323, 351.

⁽⁹³⁾ Ps. BERNARDUS, Sermo de excellentia SS. Sacramenti n. 10; PL. 184, 987.

flumina mellis, liquores balsami coelestis. Hic efficitur una caro sponsa cum sponso, unus spiritus sancta anima cum Christo. Experientia f. 75^v horum et similium spiritus et vita est; nec animalis homo horum * sensu fruitur vel accessu amici sponsi, idest boni Episcopi, boni Abbatem et caeteri timorati et religiosi viri gustaverunt et plenissime sunt experti quod nos dicimus: ideoque ad mensam altaris frequentius accedunt omni tempore candida facientes vestimenta sua, idest corpora ».

Innocentius Papa III hanc naturalem unitatem ut superius ostensum est satis agnoscit; quam admirabilem unionem vocat, quod magnopere confirmat auctoritas ab eodem Innocentio citata ex Joannis 6 cap. ex qua Hilarius unionem hanc naturalem maxime comprobatur (94). Neque arbitrari nos oportet intellectum non fuisse Hilarium ab Innocentio viro doctissimo.

Alexander Halensis idcirco ait (95): « Voluit Christus a nobis manducari ut nos sibi incorporet cum Christi corpus manducetur. Hanc incorporationem, intimiorem corporis coniunctionem significare, dubium non est ». Idem (96): « In manducatione hac, inquit, prout exercetur a dignis duo importantur. Unum est ipsa unio Sacramenti, aliud est unio quaedam cum ipso contento ».

Thomas Aquinas in opere *De sacramento altaris*, cap. 14 (97), in qua de tribus mirabilibus in corpore Christi tractans: « Tertium mirabile signum, inquit, in perceptione dominici corporis est quod dum manducatur a fidelibus tunc augmentatur. Hoc probatur dupliciter ratione et similitudine. Primo probatur ea ratione quod dum manducatur corpus Christi non ipsum ut alius cibus in manducantem convertitur et mutatur, sed e converso manducans in illud * spiritualiter convertitur et mutatur. Nam manducantem se Dominus sui corporis mystici membrum facit et sibi eum incorporans cum suo corpore quod de virgine sumpsit quodammodo unum efficit 1 ad Cor. 10: *Unum corpus multi sumus qui de uno participamus*, Idem 1 Corinth 12: *Vos estis corpus Christi et membra de membro*. Augustinus: Commendavit Christus in hoc Sacramento corpus et sanguinem suum quod et fecit nos ipsos. Nam et nos ipsi sumus facti corpus eius. Caro enim nostra carni eius unita et incorporata unum cum illo efficitur. *Osee ultimo: Convertentur sedentes in umbra eius, vivent tritico*, idest dominici corporis sacramento. Quod sacramentum dicitur umbra Christi quia dat se ibi, non in sua luce sed in velamine, quia sic comedentes convertentur, quia in Christi corpus mutabuntur. Et sic patet

(94) *Supra*, p. 33-39.

(95) *Summa Theologiae*, Pars IV, q. 11, membrum 1, a. 1, resol.

(96) *Ibidem*.

(97) Opus est apocryphum.

dum multi fideles comedunt corpus Christi et in illud ipsi mutantur et membra eius efficiuntur quod corpus Christi dum manducatur augmentatur ».

Nicolaus Cabasila ⁽⁹⁸⁾: « Sancti, inquit, vocantur propter sanctum cuius sunt participes eo quo corpori et sanguini communicant. Membra enim illius corporis existentes carnes ex carnibus eius et ossa ex ossibus eius donec ei coniuncti sumus aptamque compagem et connexionem servamus, vivimus vitam et sanctificationem per Sacramenta ab illo capite et corde trahentes ».

Dionysius Carthusianus ⁽⁹⁹⁾: « In sacramento, inquit, realiter Christus continetur substantialiterque communicanti unitur; et simile est de sanguine qui est potus. Cibum enim realiter oportet addi atque uniri cibato ». Hic quid aliud substantialiter quam naturaliter significat?

* Satis corroboratam hanc naturalem unitatem tot orthodoxorum f. 76^r
Patrum sententiis existimamus, quorum auctoritas a nemine profecto qui se christianum profiteatur contemnenda est, praesertim in illorum qui temporibus apostolorum proximiores, et ab ipsis apostolis vel eorum discipulis veram Sacrarum Litterarum intelligentiam perceperunt, quum adhuc Spiritus Sancti donis multorum pectore flagrarent, quorum plerique non minorum doctrina quam fide sanctitate illustres in fide Christi quam sincere profitebantur mortui aut pro eo fideliter occisi sunt. Quis ergo tam audax et temerarius existat ut adversus tot Scripturas, contra tot etiam Sanctorum Patrum sententias aliquid novi moliatur mysteriumque falsitatis accuset atque abroget eum qui vere carnem suam esse cibum vere in nobis manere et nos in ipso, vere ipsum manducantes vivere vitam qua ipse vivit, propter Patrem testatus est? Si quis legi Moysis abroget sine misericordia ulla sub duobus aut tribus testibus moritur, quanto graviore supplicio dignus erit qui sanguinem testamenti et Spiritum gratiae iniuria effecerit? Vero quis maiore iniuria quam qui conjunctionem et unitatem cum Christi corpore carnisque suae cum Christi carne unionem aut ingratus abrogat aut stultus nihil facit? Nemo, obsecro, audeat alienas doctrinas adversus Patrum sententias ad Ecclesiam adferre, ne quemadmodum Nadab et Abiu, ut Irinaeus inquit ⁽¹⁰⁰⁾, alienum ignem adferentes ad altare Dei ab igne comburantur. Nemo etiam adeo temerarius sit qui contra veritatem ab ipsis traditam insurgat ac voragine terrae absorbeat veluti Core, Datan et Abyron contigit. Nemo denique tam perditite insaniat ut unitatem sanctissimi corporis et sanguinis * f. 76^v
Domini sacramenti ab ipso Christo traditam, a veteribus tot in locis

⁽⁹⁸⁾ *Liturgiae expositio*, c. 36; PG. 150, 450.

⁽⁹⁹⁾ *In Sent.* d. 10, q. 1.

⁽¹⁰⁰⁾ *Adv. Haereses* l. 4, c. 26; PG. 7, 1053-1054.

assertam, vimque in eo ad animarum et corporum renovationem insitam scindat atque separet ne eandem quam Jeroboam poenam a Deo percipiat.

CAPUT IX.

Rationibus aliquot adstruitur. Sextae rationis probatio.

Quamvis ubi Christi institutio, Pauli auctoritas, Veteris Testamenti figurae Patrumque ab ipsis Ecclesiae initiis consensus satis superque stabiliant naturalem hanc et substantialem unionem ita ut minime indigeamus infirmis humanarum rationum fulcimentis: in iis enim rebus in quibus divina voluntas nobis innotescit, imbecilla omnis humana ratio esse videtur; satis namque est ita placuisse divinae omnipotentis Dei bonitati quae *praedestinavit nos in adoptionem filiorum Dei per Jesum Christum secundum divitias gratiae eius quae superabundavit in nobis in omni sapientia et prudentia ut notum faceret nobis sacramentum voluntatis suae secundum beneplacitum eius quod proposuit in eo in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo quae in coelis et quae in terra sunt in ipso* (1). Nulla enim praestantior causa reddi potest. Verum ut aliquid sit discriminis inter sapientes et insipientes non desunt graves et apparentes rationes quibus naturalis haec et substantialis unio confirmetur quas modo et sermone scholastico explicare conabimur.

f. 77^r Sanctus Thomas (2): «Maxime proprium est amicitiae convivere amicis ut inquit Philosophus Ethic. 9. Christus fuit maximus * amicus hominis, ergo proprium illius est convivere hominibus. Discursus bonus: Maior est Philosophi, minor ipsius Salvatoris dicentis: *Maiorem caritatem nemo habet quam ut ponat quis animam suam pro amicis.* Sed Christus posuit animam suam, idest corporalem vitam pro salute hominis in cruce, ergo fuit maximus amicus illius. Ergo proprium est illi convivere homini, propter quod sui praesentiam corporalem nobis repromittit in praemium dicens: *Ubi fuerit corpus ibi et congregabuntur aquilae*». Et subiunxit S. Thomas (3): «Interim tamen nec sua praesentia corporali nos in hac sua peregrinatione destituit, sed per veritatem corporis et sanguinis sui nos sibi coniungit in hoc sacramento. Unde ipse dicit: *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem in me manet et ego in eo.* Unde hoc

(1) Eph. 1, 5-10.

(2) In 10 lib. Ethic. 8, 5.

(3) Ps. THOMAS, De sacramento altaris; Opera omnia, Venetiis 1593, t. 17, 45 B.

sacramentum est maximae caritatis signum et nostrae spei sublevamentum ex tam familiari Christi coniunctione ad nos»: ex quo duo maxime vera colligamus. Primum quod fundamentum praecipuum huius naturalis et substantialis unionis Christi ad nos est caritas ardentissima Redemptoris qui nobis convivere dignatur per suam corporalem praesentiam etiam in hoc exilio. Alterum, quod verba illa Salvatoris Joannis 6: *in me manet et ego in illo*, denotant hanc unionem et coniunctionem ex mente Doctoris sancti.

Secunda ratio eiusdem Sancti Doctoris (4) est: «Aliter * coniungitur nobis mysterium Verbi Incarnati in baptismo et aliter in sacramento Eucharistiae; quoniam in baptismo coniungitur nobis per modum generantis ad generatum: ac sicut generantem generato in rebus corporeis non secundum substantiam necesse est coniungi, satis est enim secundum similitudinem et virtutem ei copulari, ita in baptismo in quo continetur Verbum Incarnatum secundum virtutem solus generatus generanti coniungitur. In Eucharistia vero continetur ipsum Verbum secundum substantiam. Et cum Eucharistia sit alimentum quo regeneratus in vita spirituali conservatur atque in virtute augetur secundum substantiam per eam coniungi oportet ipsi alito qui etiam substantia est, quemadmodum alimentum corpori alito coniungitur. Quod satis significaret Christus cum diceret: *Caro mea vere est cibus et sanguis meus vere est potus. Qui manducat carnem meam et bibit meum sanguinem in me manet et ego in eo*». Neque vero existimandum est de alimento spirituali et de vita spirituali loqui Thomam. Fatemur enim alimentum esse spirituale sed quod ex vera Christi natura in Eucharistia secundum rem contenta proficiscatur et non solum animae prosit sed toti homini digne et sancte manducanti. Indignum enim esset bonitate Domini Nostri Jesu Christi totum hominem quem assumpsit non totum et integrum servare perficerèque, iuxta illud iam * ex Cyrillo allatum (5). Oportuit non solum animam per Spiritum Sanctum in vitam aeternam, sed et hoc corpus cognato sibi gustu et tactu et cibo ad immortalitatem reduci. Idem sentit Rupertus Abbas (6): «Fecit, inquit, sacramentum per quod et corpus eius et corpora nostra, et vita corporis eius, idest Verbum Deus in animas nostras diffunderetur, et ipse tamen integer permaneret et vivus». Optime Sanctus Abbas admirandam virtutem efficaciamque huius sacramenti explicat (7): «Quod quamvis non sit cibus ventris sed mentis, nec digeratur, nec concoquatur more aliarum carnium nec

(4) *Gent.* 4, 61.

(5) *Vide* p. 61-62.

(6) *De Trinitate et operibus eius. De operibus Spiritus Sancti* l. 3, c. 20; PL. 167, 1661-1662.

(7) *Ibidem*.

carni nostrae ut aliae carnes connectatur, arcano tamen et ineffabili modo ei coniungitur et unitur ».

Tertia ratio. Summus amor summam petit unionem amato, possibilem tamen et convenientem sibi; sed Christus habuit summum amorem hominibus, ergo summe debuit eis coniungi, possibili tamen coniunctione et eis conveniente. Discursus bonus est: maior vera ex proprietate amoris, minor ex supradictis constat. Tunc ultra Christus debuit summe coniungi hominibus, ergo debuit eis coniungi coniunctione naturali et substantiali et non solum spirituali. Adhuc consequentia bona: quia summa unio possibilis hominibus post hypostaticam est haec substantialis et naturalis; qua maior imaginari non potest alia
 f. 78^v possi * bilis cum per eam maneat in nobis ipse Christus secundum veritatem propriae substantiae; ergo debuit uniri nobis substantialiter. Quod si arguas: Sequeretur ex praesupposito supradicto quod deberet ipse Christus uniri hypostaticè cuilibet digne communicanti. Siquidem maior est unio hypostatica quam substantialis, et summus amor eam petit. Respondeo quod talis unio hypostatica non est possibilis hominibus, implicaret enim contradictionem, suppositum humanum esse suppositum divinum, et ideo Verbum Divinum non suppositum sed naturam assumpsit. Item quia unio hypostatica est unio capitis; sed non potest aliquid esse caput et membra respectu eiusdem, ergo nec uniri hypostaticè Deo.

Quarta ratio est Cum Divinum Verbum numquam Angelos apprehendit sed Abrahae semen et ex parte Filii Dei propinquior et cognator, ut ita dicam, factus est homini quam Angelo. Siquidem duplici vinculo animae scilicet et corporis eidem constrictus indissolubiliter permansit aequum fuit et congruens ex hypothese ut arctiori vinculo hominibus coniungatur quam Angelis; sed Angelis coniungitur solum spirituali vinculo. Decuit ergo ut qui Angelos propinquitate carnis ad Verbum superabat, superaret etiam carnali et substantiali unionem modo qui supra expositus est. Ex eadem ratione aliud sequitur
 f. 79^v etiam membrum: maiorem coniunctionem habemus homines ad personam Filii quam ad personam Patris et Spiritus Sancti quoniam Verbum caro factum est et non Pater nec Spiritus Sanctus; ergo decuit ut arctiori vinculo Filio coniungamur quam Patri et Spiritui Sancto. Hinc enim tradit Hilarius ⁽⁸⁾ nos per Filium unum fieri Patri et Spiritui Sancto; sed Patri et Spiritui Sancto coniungimur spirituali vinculo tantum iuxta illud ⁽⁹⁾: « Qui manet in caritate in Deo manet et Deus in eo ». Ergo et Filio spirituali et substantiali vinculo debemus coniungi.

Quinta ratio. Ad perfectionem animae rationalis spectat reunitio

⁽⁸⁾ Loco saepe allegato, cf. p. 57-58.

⁽⁹⁾ 1 Jo. 4, 16.

corporis proprii a quo per mortem separata fuerat, quia unumquodque appetit perfectionem sibi convenientem iuxta propriam suam naturam. Et quemadmodum naturalis animae perfectio consistit in hac iterata coniunctione, et quamdiu illa caruerit sua naturali perfectione carebit. Ita quoque totius hominis salus et perfectio et vita ab ipso Christo perficitur iuxta illud ⁽¹⁰⁾: *In ipso vita erat*. Salus enim, ut inquit Dionysius ⁽¹¹⁾, non aliter existere potest nisi his qui salutem consequuntur, dii quodammodo fiant. Dei autem affectio, est Dei quoad eius fieri potest coniunctio et unio. Ergo tamdiu homo corruptibilis mortalis infirmus et imperfectus erit, quamdiu hac coniunctione et unione ad Christum caruerit. Sed ex * praedictis Verbum f. 79^v Divinum totum hominem assumpsit ut totum hominem sanaret et perficeret. Ergo toti homini debet coniungi et uniri ut totus homo sanetur. Hinc Cyrillus sic ait ⁽¹²⁾: « Non negamus recta nos fide caritateque sincera Christo spiritualiter coniungi. Sed nullam nobis coniunctionis rationem secundum carnem cum illo esse id profecto pernegamus idque Scripturis divinis omnino alienum dicimus. Quis enim dubitavit Christum etiam vitem esse nos vero palmites qui vitam nobis inde acquirimus? Audi Paulum dicentem ⁽¹³⁾: *Quia omnes unum corpus sumus in Christo; quia et si multi sumus unum tamen in eo sumus. Omnes enim uno pane participamus* ». Ecce ergo quam aperte docet Cyrillus coniunctionem secundum carnem nobis esse cum Christo per eius sanctissimum corpus in Eucharistiae Sacramento communicatum.

Sexta ratio sumitur ex significatione ipsius sacramenti. Non enim sine causa voluit Dominus sub speciebus panis et vini contineri eius sanctissimum corpus et sub illis ad nos ingredi, nisi ut indicaret et signum esset se animis et corporibus nostris illabi et uniri; ut sicut videmus illum sub illis speciebus ingredi os nostrum et corpus nostrum, ita etiam crederemus illum ingredi animam nostram et interna atque intima unione nos et nostrum corpus unire suo sacratissimo corpori eo modo quo per hoc sacramentum significatur. Sacramenta enim sunt signa efficacia efficiuntque id quod figurant.

Septima ratio ex Dei sapientia, bonitate ac potestate confirmatur. Nam cum sit infinite sapiens scivit hanc unionem facere; cum sit infinite potens potuit eam facere, cum sit infinite * bonus, dubitari f. 80^v non potest quin voluerit, praesertim cum ostensum sit decens esse, ut, quoad fieri potest reluceat, appareat, et manifestetur summa bonitas divina. Operari vero id quod decentissimum est et optimum, soli Deo potest convenire. Item quia ex opposito si detur quod aliquis

⁽¹⁰⁾ Jo. 1, 4.

⁽¹¹⁾ *De Ecclesiastica Hierarchia* c. 2, § 3; PG. 3, 375.

⁽¹²⁾ *In Jo.* 1, 10, c. 2; PG. 74, 342.

⁽¹³⁾ *Cor.* 10, 17.

dicat Deum non potuisse facere huiusmodi unionem, potentiae divinae videretur derogare. Si diceret quod nescivit derogaret utique eius sapientiae. Si diceret noluisse, derogaret eius infinitae bonitati.

Concludamus igitur ex variis etiam acceptionibus istius nominis *naturale*. Nam si naturale est quod ex natura vel ex naturali principio constat, haec unio talis est: ergo naturalis. Item: si naturale dicitur ut opponitur contra liberum, idest contra actionem quae dependet quoad fieri ex voluntate libertate, haec unio scilicet non habet esse per operationem voluntatis et intellectus solum. Item, si naturale dicitur ut opponitur contra violentum haec unio non est violenta. Sunt et aliae complures rationes, sed hae sufficient.

CAPUT X.

*Negantes praedictam unitatem nullius orthodoxi testimonium adferunt.
Probatio septima.*

Nullus unquam orthodoxus auctor negavit nos virtute cibi dominici si quis eum digne manducaverit. Christo corporaliter naturaliterque uniri; atque adeo antiquis Patribus haec ipsa naturalis unio nota fuit f. 80^v ut ab ea tanquam ab apertissimo et notissimo * principio Hilarius, ut antea ostensum est (1), disputationem suam ad asserendam naturalem inter Patrem et Filium unitatem contra Arianos inchoavit. Irinaeus quoque adversus negantes Christum fabricatoris mundi Filium adducit veritatem corporis et sanguinis Christi in Eucharistia atque incorruptionem carnis et vitam quam percipimus corpore Domini et sanguine. Sic enim inquit (2): « Quomodo autem constabit eum panem in quo gratiae sunt actae corpus esse Domini sui et calicem sanguinis eius si non ipsum fabricatoris mundi filium dicant, idest Verbum eius propter quod lignum fructificat, defluunt fontes et terra dat quidem primum foenum, deinde spicam, deinde plenum triticum in spica? Quomodo autem rursus dicunt carnem in corruptionem venire et non percipere vitam quae a corpore Domini et sanguine alitur? Ergo aut sententiam mutant aut abstineant offerendo quae praedicta sunt. Nostra autem sententia consonans est Eucharistiae, et Eucharistia rursus nostram confirmat sententiam. Offerimus enim ei quae sunt eius congruenter communicationem et unitatem praedicantes carnis et spiritus ».

Haec naturalis nostra per Eucharistiam cum Christo unio Luthe-

(1) Vide p. 56-59.

(2) Adv. Haereses, l. 4, c. 18, n. 4-5; PG. 7, 1027-1029.

rum haeresiarcham eiusque sequaces retinuit prorsus ne veritatem corporis et sanguinis Christi inficiarentur. Neque arbitrandum est, si auctor quispiam ex antiquis secus sensisset, defuturos fuisse accusatores, qui rem adeo receptam damnantem accusarent. Adde eos qui in quaestionem et controversiam hanc assertionem adduxerunt, ut re exactius ab eruditis discussa veritas * magis innotesceret, non praetermissuros fuisse auctorum testimonia quibus contraria sententia confirmaretur, si ulla legissent. Caeterum quum nihil huiusmodi reperiatur manifestum est neminem orthodoxum aliter quam nos tradimus ex priscis Patribus aut scripsisse aut docuisse. Non ignoramus haereticos quibus peculiare est Sanctorum Patrum auctoritates vel truncare vel depravare vel in perversam sententiam detorquere, adferre aliquot loca quibus hanc corporalem unitatem infringere conantur; sed illa potius eam corroborant et confirmant ut postea plenius docebimus. f. 81r

CAPUT XI.

*Divinum peculiaremque corporis et sanguinis Christi fructum tollunt.
Octavae rationis probatio.*

Cum ex superioribus satis constet per dignam Eucharistiae sump-tionem nos arcissima coniunctione, naturali nimirum et corporali cum Christo copulari quod neque fides neque alia Sacramenta nobis praes-tant, sed proprius est ac peculiaris Eucharistiae effectus manifestum est hoc ipso fructu reliqua Sacramenta superari. Nam quamvis fide et caritate Christo spiritualiter uniamur, nisi corpore etiam cum ipso uni-remur, aliqua ex parte ab eo seincti videremur, ut paulo antea a Th o m a animadversum commemoravimus ⁽¹⁾. Adde communionis vocabulum huic sacramento a Dionysio Areopagita ⁽²⁾ tribui eam ob causam, quod et Damascenus ⁽³⁾ apertis verbis confirmat, cuius verba antea attulimus. * Chrysostomus ⁽⁴⁾ quoque ac post eum Theophylactus ⁽⁵⁾ et Oecumeni-cus ⁽⁶⁾ exponentes illud Pauli: « *Calix benedictionis cui benedicimus nonne communicatio sanguinis Christi est* », vim verbi communicationis observarunt dicentes aliquid excellentius indicare quam simplicem partici-pationem aut spirituales coniunctionem, summam videlicet unio- f. 81r

(1) *Supra* p. 84-85.

(2) *De Ecclesiastica Hierarchia*, c. 3; PG. 3, 423.

(3) *Supra* p. 80.

(4) *Supra* p. 78.

(5) *Supra* p. 80.

(6) *In 1 Cor.* 10, 14-18; PG. 118, 787.

nem. Quid in congerendis in re clarissima auctoritatibus commoramur? Certe quae hucusque diximus hoc ipsum luce clarius demonstrat. Innocentius etiam III in concilio generali ita declaratum docet, perfectionemque unitatis ex mysterio confirmat ⁽⁷⁾. Quid enim aliud unionem aequae perficit atque haec corporis et spiritus arcissima cum Deo coniunctio? An de alio quopiam sacramento haec unitatis perfectio dicitur? Quare postquam communionem *Dionysius* Eucharistiam appellavit « perfectionem etiam perfectionum » eam nuncupat ⁽⁸⁾ quod ipsum proprie significat: fides enim quam baptismo profiteamur quaeque per dilectionem operatur spiritu tantum nos unit initiumque est nostrae salutis, quod *Jacobus* testatur inquiens ⁽⁹⁾: « *Voluntarie enim genuit nos ut simus initium aliquod creaturae eius* ». Et *Paulus* ad Hebraeos ⁽¹⁰⁾, de hoc initio loquens ait: « *Participes enim Christi effecti sumus, si tamen initium substantiae eius usque in finem firmum retineamus* ». Hoc tamen initium per aliam completur et consummatur. Ac participatio quae spirituali tantum unione comprehendebatur, naturali per Eucharistiam corporalique unione perficitur. Quam ob rem merito ab Innocentio viro sane doctissimo in concilio f. 82^o generali hoc cibi *Dominici* * unitatem Ecclesiae perfici asseritur. Quod autem perficitur, initium habuit. Quae caetera omnia sacramenta ad hoc tamquam ad finem ea perficientem respiciunt ⁽¹¹⁾. Ostensum itaque est eximium peculiaremque huius divini sacramenti fructum tolli ab his qui naturalem cum Christo coniunctionem Eucharistia digne sumpta effici negant. Quantum vero nostra intersint Christum sui corporalis esu nobis immisceri postea videbimus quum naturalis huius corporalisque unionis effectus declarabitur.

CAPUT XII.

Dignitatem eximiam carni nostrae adimunt ipsamque animam incredibili fiducia gaudioque privant. Nonae rationis probatio.

Haeretici pertinaciter negantes praefatam naturalem unitatem magna dignitate atque ingenti gaudio seipsum privant. Quae enim maior hominis dignitas esse potest quam Deum habere Patrem et Jesum Christum Filium eius fratrem? Quod gaudium praestantius quam coe-

⁽⁷⁾ *Conc. Lateranense IV* (DB. 430).

⁽⁸⁾ *De Ecclesiastica Hierarchia*, c. 3; PG. 3, 426.

⁽⁹⁾ *Cap. 1, vers. 18.*

⁽¹⁰⁾ *Cap. 3, vers. 14.*

⁽¹¹⁾ Cf. S. THOMAS, *S. Th.*, III, q. 65, a. 3 et 6; q. 73, a. 3.

lestis regni haereditatem institui? Utrumque id plane consequantur *qui non ex sanguinibus neque ex voluntate viri, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt* ⁽¹⁾, non tantum filii Dei fiunt sed *membra etiam corporis illius de carne eius et de ossibus eius* ⁽²⁾ per haec sacra mysteria efficiuntur, cum non per solam voluntatem conjunctionem unus spiritus cum eo adhaerentes sint, sed per naturam etiam carnis edentes eius carnem in cibo dominico substantialiter ei naturaliterque uniuntur et incorporantur; atque corpus eius et membra ex parte naturali hac necessitudine et * colligati redduntur. Hoc ipsum est quod *Cyrillus* f. 82^v lib. 1, cap. 2 ⁽³⁾ Joannem exponens asseruit inquit: « Non habitudine solum quae per caritatem intelligitur. Christum in nobis esse, verum etiam et participatione naturali. Nam quemadmodum si quis igne liquefactam ceram alii cerae similiter liquefactae ita miscuerit ut unum quid ex utrisque factum videatur; sic communicatione corporis et sanguinis (Christi ipse in nobis est et nos in ipso). Haec Cyrillus qui paulo post subiicit corporaliter Christum in nobis esse communicatione carnis suae. Unde *Paulus ad Hebraeos* 2 ⁽⁴⁾: « *Qui sanctificat et qui sanctificatur ex uno omnes; propter quam causam non confunditur fratres eos vocare dicens: Nunciabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiae laudabo te. Et iterum: Ego ero fidens in eum. Et iterum: Ego et pueri mei quos dedit mihi Deus. Quia ergo pueri communicaverunt carni et sanguini et ipse similiter participavit eisdem* ». Ab hac participatione excludenda non est deificae Eucharistiae communicatio.

Illud quoque considerare oportet a Christo fratres primum nuncupatos cum *Mariae Magdalenae* dixit ⁽⁵⁾: « *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum. Vade autem ad fratres meos et dic eis: Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum* », Et alibi ⁽⁶⁾: « *Nolite timere, ite, nunciate fratribus meis ut eant in Galileam, ibi me videbunt* ». Cum fratres appellat duplici carnis nexu cum ipsis coniunctus est, altero per carnem quam assumpserat quum Verbum caro factum est, altero quo nobis * in cibo f. 83^r dominico carnem suam manducandum dederat. Appellaverat antea Apostolos saepe discipulos, nonnumquam amicos quandoque etiam homines de mundo, fratres vero numquam nisi cum per praeoccupationem quamdam *Matth.* 25 ⁽⁷⁾, dixisse legitur: « *Amem amen dico vobis, quamdiu fecistis uni de fratribus meis minimis, mihi fecistis* ». De eo

(1) *Jo.* 1, 13.(2) *Eph.* 5, 30.(3) *PG.* 74, 344.(4) *Vers.* 11-14.(5) *Jo.* 20, 17.(6) *Mt.* 28, 10.(7) *Vers.* 41.

namque tempore loquebatur quo extremo iudicio oves segregandi sunt ab haedis ac absque sacramentorum ministerio a dextris eius collocandae ut coelesti regno aeternae fruantur ad quod solis Christo coniunctis iter patet. Communione itaque carnis et sanguinis nostri, quae quidem ex patribus accepit, carnisque vicissim et sanguinis sui quem nobis sumendum exhibuit, fratres ipsius facti sumus ut *Chryso-stomus* scripsit (*). Ut igitur origo et via qua Spiritu Sancto participamus et Deo uniti sumus, Christi mysterium est; omnes enim in illo sanctificamur in quo communicatio Spiritus et mansio primum fuit, ut *Cyrilli* (**) verbis utar, et ab eo in nos penetravit cum homo factus ipse templum suum proprio Spiritu perunxit atque sanctificavit; et naturae divinae participes nos effecit ita etiam modum congruentem consilio Patris et sapientiae suae adinvenit, quo secum et inter nos per communionem mysticam unum nos corpus efficeret. Quis enim eos qui unius sancti corporis unione in uno Christo uniti sunt ab hac naturali unitate alienos putabit?

f. 83^v Demonstratum iam est quemadmodum participes non solum * Christi Spiritus sed etiam concorporales per Eucharistiam carnis et sanguinis ipsius, non iam humana terrenaque generis claritate gloriari debeamus qui coelesti et divina nobilitate unum cum Christo corpus effecti, naturali coniunctione membra corporis eius de carne eius et de ossibus eius facti sumus. Ac multo libentius quam manus aut pes aut reliqua membra pro defendendo capite sponte se morti obiciunt, nos pro Christo capite mortem subire tenemur, constrictius ipsi quam membra capiti copulantur unimur, ut inferius ostendemus. Hoc ipsum ii omnes factis docuerunt qui, ut inquit *Tertullianus* (10), pro fide odio publico expositi decertarunt, in carceribus macerati, omnique tormentorum machinatione laniati denique suppliciiis atrocissimis affecti vicem reddere Christo moriendo non dubitarunt, antequam ab ipso, cum quo etiam naturaliter et corporaliter duplici nexu erant conglutinati, seiungerentur. Ac tametsi non defuerunt in antiquis patribus qui fide et dilectione ita Deo connexi fuerint ut vitam pro eo fortiter profuderint, magno tamen intervallo a sanctis qui postea subsequuti sunt distincti fuerunt. Nam in illis fides et caritas tantum respicunt, hi vero, praeter illa, naturali cum Christo coniunctione illustres extiterunt.

Ostensum iam arbitror quanta sit dignitas quam ex Eucharistiae digna sumptione percipimus, substantialis nimirum naturalisque cum f. 84^r Christo coniunctio; cum quo * unum existentes cum Patre, etiam quo-

(*) *Hom.* 46 in *Jo.* n. 3; PG. 59, 261.

(**) *In Jo.* I, II, c. II; PG. 74, 558-559.

(10) De Martyrum cruciatibus Tertullianus passim agit, maxime in *Apologetico*; PL. I, 257-536.

dammodo unum sumus. Nam cum Christus per divinitatem unum naturaliter sit cum Patre, consequens est ut per ipsum etiam nos cum Patre unum simus, cui quidem unitati nullum gaudium, nulla laetitia, nulla denique voluptas conferri potest. Quanta enim hinc spes futurae immortalitatis et gloriae exurgit? Quae laetitia suboritur? Quod gaudium emergit? Quod futurorum bonorum desiderium gignitur? Qui amor perveniendi ad Deum et connectendi nos cum ipso absque ullo velamine exoritur? Qui confestim terrenarum deliciarum contemptus concipitur? Qui futurae vitae amor nascitur? quae fiducia profertur? « Potestne aestimari, inquit Bernardus ⁽¹⁾, quale et quantum est hoc sanctum sanctorum et Sacramentum Sacramentorum, amor amorum, dulcedo omnium dulcedinum? Haec sunt vere festa paschalia, haec sunt gaudia et fercula vitalia iustorum, haec sunt spirituales delitiae sanctorum. Hic bibuntur in loco uberi torrentes lactis, flumina mellis, liquores balsami coelestis. Hic efficitur una caro sponsa cum sponso, unus spiritus sancta anima cum Christo ». Ex his quae diximus nemini dubium esse potest, sublata hac naturali cum Christo unitate, verum et solidum gaudium summamque adeo sempiternam nobilitatem nobis adituri.

CAPUT XIII.

A communi Sanctorum Patrum sententia dissentientes, haereticorum erroribus consentiunt. Decimae rationis probatio. f. 84^v

De Sanctorum Patrum sententia super hanc rem arbitror iam neminem ambigere. Superest ostendere contrariam tuentes sententiam haereticorum erroribus favere, quod facillime constabit in memoriam revocantibus allatam antea a nobis Arianorum haeresim affirmantium inter Christum et Patrem aequalitatem naturae esse non posse, quod ea unitate Christus et Pater unum sint, qua Christus et fideles sunt: qui cum voluntatis tantum unitate Christo uniantur, recte consequi voluntatum unitate Patrem et Filium idem esse, non autem unitate naturae. Quorum haeresim Hilarius refellit ⁽¹⁾.

Praeterea Sacramentarii ⁽²⁾ foedissimi horum temporum haeretici hoc ipso argumento haeresim suam stabilire contendunt, dicentes nulum certum peculiaremque effectum ex hoc sacramento consequi praeter quam commemorationem ac repraesentationem dominicae passionis,

⁽¹⁾ Ps. BERNARDUS, *Sermo de excellentia SS. Sacramenti*, n. 10; PL. 184, 987.

⁽¹⁾ Loco pluribus allegato.

⁽²⁾ Nempe Zuinglius, Carlostadius, Oecolampadius, ut omnes norunt.

ut Oecolampadius et Zuinglius impudentissime professi sunt et Tigurini in Messalianorum ⁽³⁾ haeresim lapsi, qui corpus Christi manducatum sanguinemque eius potum neque prodesse quidquam neque nocere quidquam asseruerunt: quorum error Ephesino concilio damnatus est, f. 85^r in quo, ut supra retulimus *, decretum fuit carnem Domini, vivificatricem esse quia facta est propria vivificare valentis ⁽⁴⁾.

Non longe a Messalianis Tigurinisque absunt qui mordicus tenent nullam aliam inter nos et Christum coniunctionem unionemque per sacram Eucharistiam effici quam spiritualem. Nam divinum et peculiarem Eucharistiae fructum ut Tigurini reiciunt, possunt etiam in suspicionem venire vetustae illius haereseos cuius Simon, Petri Apostolorum Principis temporibus, auctor fuisse a S a n c t o M a x i m o traditur ⁽⁵⁾. Asseruit enim animam solam a Deo servari, corpus autem hominis non item. Verba Maximi graece ita habent « Ὀλος ὅλους θανμασιως καταισχύνων τούς τότε αἰρετικούς, οἵτινες ψυχὴν μόνην σώζεσθαι ὑπὸ Θεῷ οὐ μὲν σῶμα ἔλεγον. ὅλος οὖν φησὶν ὁ Κύριος ὡς ψυχὴν καὶ σῶμα λαβὼν, ὅλους ἡμᾶς τούς ἐκ ψυχῆς καὶ σώματος σέσωκεν. ἦσον δὲ τότε αἰρετικοὶ ἀπὸ Σιμωνος καὶ ἕως αὐτοῦ Κηρίνου ὡς δηλοῦσιν Εἰρηναῖος καὶ Ἰππόλυτος καὶ οἱ τὰ Ὠριγένους δὲ δογματίζοντες τὰ αὐτὰ φρονοῦσιν » hoc est: « Totus totos; mirum in modum haereticos illius temporis confundens qui solam animam servari a Deo non autem corpus dicebant. Totus igitur, inquit, Dominus animam et corpus assumens, totos nos anima et corpore constantes servavit. Extiterunt autem haeretici hi ⁽⁶⁾ a Simone usque ad * Cerinthum, ut Irinaeus et Hippolytus tradiderunt, quibus, et qui Origenis dogmata asserunt, consentiunt ». Eandem haeresim Philastrius Brixienensis Episcopus ⁽⁷⁾, (quem Augustinus Mediolani cum Sancto Ambrosio se vidisse testatur) ⁽⁸⁾, in haeresum catalogo Carpocrati adscribit, Valentinoque deinceps homini pythagorico potius quam christiano; de Carpocrate inquit: « Animi salutem solum, carnis autem non fieri salutem opinatur ». De Valentino vero dicit ⁽⁹⁾ « Christum a Patre quem profundum nomine appellat ad totius mundi salutem fuisse dimissum, deque coelo eum carnem detulisse, nihil autem accepisse de Sancta Virgine, sed ut aquam per rivum ita transisse per eam affirmat. Animam ergo solam salvari corpus autem hominis

⁽³⁾ Graece autem *Euchitae* dicuntur, de quibus consule G. BAREILLE, *Euchites*, DTC, 1454-1465.

⁽⁴⁾ DB, 123.

⁽⁵⁾ *Scholia in epistolas S. Dionysii Areopagiatas: in ep. 8; PG. 4, 546.*

⁽⁶⁾ Nempe Gnostici.

⁽⁷⁾ *Liber de haeresibus*, c. 35; PL. 12, 1152.

⁽⁸⁾ *Ep. 22, n. 2; PL. 33, 999.*

⁽⁹⁾ *Liber de haeresibus*, 38; PL. 12, 1157-1158.

non salvari arbitratur ». Sed abeant haeretici qui a Christo, a fide, ab Ecclesia separati cum capite suo Satana perpetui animae et corporis cruciatibus torquebuntur. Qui vero se catholicos profitentur dum spiritu menteque Christo uniri nos tantum censent, naturalem coniunctionem cum ipso minime respuant ne in pessimam haeresim incidant. Quis enim a manifesta haeresis suspicione eos eximat, qui aut dubitant aut negant ea quae Sacra Scriptura nos docet? etiam si id genus sint quae etsi in Sacris Litteris haud aperte continentur, ex illis tamen quae continentur evidenter coinferuntur? Naturalis vero unitas et expresse in quibusdam Scripturae locis docetur et ex illis consequitur, si iuxta Patrum sententiam intelligenda Scriptura est.

Augustinus *epistola ad Hieronymum* ⁽¹⁰⁾ tantum Sacrae Scripturae defert ut ex « solis eis Scripturarum libri qui iam canonici appellantur, hunc timorem se didicisse honoremque deferre testatur, ut nullum eorum auctorem scribendo aliquid errasse firmissime * credat; ac si aliquid in eis offenderit litteris quod videatur contrarium veritati, nihil aliud quam vel mendosum esse codicem vel interpretem non assecutum esse quod dictum est, vel se minime intellexisse non ambigat ». Adde his certissimam haeresis esse notam dissentire ab omnium Sanctorum Patrum et doctorum sententia. « Nam, ut Paulus ait ⁽¹¹⁾, *ad hoc nobis dedit Deus quosdam apostolos, alios prophetas, alios doctores, ut iam non simus parvuli fluctuantes et circumferamur omni vento in nequitia hominum in astutia ad circumventionem erroris* ».

f. 86^r

Porro quantum tribuendum sit Patribus, quinta Synodus contra Macharium Antiochenum Episcopum congregata ostendit ⁽¹²⁾: « Sequimur, inquit, per omnia sanctos Patres et doctores Ecclesiae, Athanasium, Hilarium, Basilium, Gregorium Nyssenum, Ambrosium, Augustinum, Theophilum, Joannem Constantinopolitanum, Cyrillum, Leonem, Portium et suscipimus omnia quae de recta fide et condemnatione haeticorum exposuerunt ». Quot Sancti Patres ex his qui in hac Synodo commemorantur naturalem hanc unitatem asseruerint necesse non est iterum repetere.

Ad haec in Concilio Ephesino, quod celebratum est viris clarissimis Basso Antiochoque consulibus, Patres quorum vel tamquam iudicum vel tamquam testium scripta recitata sunt, ut a Vincentio Lirinensi ⁽¹³⁾ enumerantur, B. Cyrillus sacrosanctae antiquitati consentaneus iudicatus est, Petrus Alexan * drinus Episcopus et martyr,

f. 86^v

⁽¹⁰⁾ *Ep.* 82, 1, 3; *PL.* 33, 277.

⁽¹¹⁾ *Eph.* 4, 11 et 14.

⁽¹²⁾ Idest Conc. Constantinopolitanum III a. 553 celebratum; D. MANSI, *Conciliorum amplissima collectio*. Venetiis 1763, t. 9, col. 201-202.

⁽¹³⁾ *Commonitorium secundum*, n. 30; *PL.* 50, 680-682.

Sanctus Anastasius eiusdem civitatis antistes, Sanctus Theophilus eiusdem item urbis Episcopus, Gregorius quoque Nazianzenus, Sanctus Basilius et Gregorius Nyssenus, Cyprianus Carthaginensis Episcopus et martyr, Sanctus Ambrosius Mediolanensis antistes. Hi quidem omnes in fide et communione catholica cum sancte viverent, sapienter docerent, constantes permanerent, vel feliciter pro Christo occisi vel fideliter in Christo mortui sunt. His antiquior Dionysius, Pauli discipulus. et Irinaeus Polycarpi Joannis discipuli auditor, apertis verbis unitatem Spiritus et carnis per augustissima corporis Domini signa docuerunt quibus nemo umquam orthodoxorum contradixit. Quare universali Ecclesiae consensu praefatam naturalem unitatem confirmari satis constat. Qui vero eam negat aut ideo tantum dici existimat quia corpus Christi vere et realiter intra nos ipsos sumimus, nullo discrimine facto inter digne vel indigne sumentes, hic sane catholicorum albo delendus et haereticis adscribendus est: quod facile iudicabunt ii quorum munus est curare ut vera fideliter sapienterque tractentur; depositaque in Eucharistia dogmata sedulo cauteque custodiantur, cuiusmodi est mansionem Christi per mysticam benedictionem in nobis ac nostri in Christo non sacramentaliter tantum manducationem significare sed unionem et intimissimam coniunctionem cum * Christo, qua nos totos ad se attrahit suaeque gratia quae ex carne eius spiritali et divina ipsi nos totos defluit, replet ac divinam suam naturam participare et animam et corpus nostrum per habitudinem et similitudinem quamdam efficit.

Concludamus ergo duas asserti a sanctis doctoribus naturales uniones. Primam qua, auctore Hilario (14), Christum nobiscum intercedit, quia Verbum humanam naturam assumpsit ut nos animo pariter et corpore divinae suae naturae participes efficeret. Secundam cum nos totos sibi toti spiritu et carne coniungit participesque suae naturae vi ac virtute mysticae benedictionis reddit. Hanc secundam naturalem cum Christo Hilarius appellat. Ab hac Christi naturae spiritu corporeque participatione, cum adeo longe absint qui ore tantum corpus Domini edunt et sanguinem eius bibunt, alieni quoque admodum sunt ab illa vera et naturali; unitate quam digne communicantes adipiscuntur, qui non tantum spiritaliter sed etiam substantialiter naturaliterque Christo uniantur digna Christo capiti membra coaptantur. Manifestum etiam est haereticorum errore pollui eos qui spiritali tantum nostri cum Christo unionem esse volunt ut Johannes Teutonicus optime animadvertit inquiring (15): « Haec est

(14) *De Trinitate* l. 8, c. 13-16; PL. 10, 245-249.


(15) *Glossa ordinaria ad Decretum* c. 81, D. II, de cons.; cf. *Decretum Gratiani una cum glossis et thematicis*, Lugduni 1569, p. 1290.

23 pars distinctionis in qua extirpatur error haereticorum dicentium Filium non esse per essentiam unum cum Patre sed collective, neque nos esse unum Christo nisi sola voluntate »; confirmant hoc ea omnia quae antea diximus ad comprobendam hanc naturalem cum Christo unitatem ex * ipsius Christi institutione, verbisque eiusdem ac Pauli Apostoli clarissimis, quae et nonnullis Veteris Testamenti figuris et dictis significata fuit rationibusque aliquot adstructa, complurimum etiam Sanctorum Patrum fide atque auctoritate corroborata. f. 87^v

Adde quod praedictam unitatem negantes nullius orthodoxi testimonium pro se habere ostendimus, Maxime etiam in eo immensitati amoris Christi erga humanum genus derogari. Praeterea divinum peculiaremque corporis et sanguinis Christi fructum ab ipsis tolli, dignitatem etiam eximiam carnis nostrae adimi, ipsamque animam incredibili fiducia et gaudio privari ostendimus, a Sanctorum denique Patrum sententia discendentes haereticis consentire. Quae omnia in sequentibus libris multo clarius exponuntur et alia, quae hanc naturalem unitatem obscuriorem facere videbantur, explicabuntur favente Deo Opt. Max., cui honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.



LIBER SECUNDUS



CAPUT I.

Tres assertiones ex supra adductis adscribuntur ac nonnulla quae difficilem reddunt naturalis unitatis assertionem referuntur. f. 88^r

Quandoquidem Scripturis Sacris, Patrum auctoritatibus validissimisque rationibus naturalem unitatem inter nos et Christum ex pia corporis et sanguinis eius manducatione hactenus corroboravimus, consequens esset inquirere quid haec unitas sit. Sed antequam ad hanc inquisitionem deveniam tres assertiones adscribere oportet quae ex his quae in primo libro continentur eliciuntur, atque aliquot deinde obiectiones quae naturalem unitatem impugnare videntur discutiendae sunt.

Prima assertio. Sequitur ergo ex supradictis nos per dignam corporis et sanguinis Christi sumptionem non tantum fide et dilectione Christo ut Deo uniri, sed veram quamdam et naturalem unitatem cum eo ut homine etiam consequi.

Secunda assertio. Hinc sequitur duobus nexibus unitos nos esse cum Verbo quod est Filius Unigenitus Dei Patris, ex quo ipse carnem * nostram univit sibi quum est incarnatus et quo nos vicissim sibi quum carnem edimus in cibo videlicet dominico. Et quoniam horum nexuum uterque per naturam carnis est, non per solam coniunctionem voluntatum ideo inter nos et Christum naturalis quaedam unitas est. f. 88^v

Tertia assertio. Sequitur etiam Ecclesiam Christi sponsam quae corpus eius mysticum dicitur et ex fidelibus tamquam membris constat, praeter spiritualem unitatem quam fides et dilectio praestat, non carere vera naturalique cum Christo capite unitate mediantibus singulis quibusque suis membris.

Quoniam tamen nihil ita certum manifestumque esse potest quod humanum ingenium non in dubium vertat, non ab re fuerit nonnulla argumenta dissolvere quae praefatis assertionibus non parum refragari videntur. Porro difficilis esse haec naturalis coniunctio videtur nonnullis. Primo quia intelligi non posse aiunt quo pacto Christi corpus quod indivisibile ac per modum substantiae sacramentaliterque in Eucharistia continetur cum nostro corpore naturaliter coniungatur.

Secundo non percipere quo pacto nostrae carnis substantia a carne Christi alatur, nutriatur atque augeatur, ut *I r i n a e i* (1) verba

(1) *Adv. Haereses* I. 5, c. 2, n. 2-3; PG. 7, 1126-1127.

f. 89^v sonant, absurdumque esse aestimant asserere dominicum cibum carnaliter quidquam operari. Tertio unam * carnem nostram et Christi carnem esse affirmari sine multorum errorum periculo non posse. Quarto nos in Christi carnem transire, ut Leo Magnus ⁽²⁾ dixit, substantiae nostrae carnis in carnem Christi transmutationem significare. Quinto quod reipsa in illam Christi carnem per cibum dominicum, ut Chrysostomus ⁽³⁾ ait, convertamur, absque magno dispendio experientia ipsa et philosophorum omnium sententia infragante, effici non posse. Sexto antiquos patres patriarchasque omnes quique post eos fide et dilectione eo coniuncti unus spiritus cum ipso Christo facti sunt, qui quidem carnaliter non perceperunt corpus et sanguinem Domini ab hac unitate excludi, a veritate ipsa abhorrere. Quam ob rem potius antiquorum dicta pie et tropice interpretanda existimant quam concessa praedicta naturali unitate admittere permulta quae Sacrae Scripturae repugnent eorundemque Sanctorum Patrum aliis in locis sententiis ac rationi ipsi ut absurda refragantia ⁽⁴⁾.

CAPUT II.

Rationes et argumenta adversariorum enumerantur.

Rationes vero quibus hanc naturalem unitatem reiiciunt multae ab illis adducuntur; sed nos praecipuas subiiciemus, addemus etiam nonnullas alias quae Sacrarum Litterarum studiosis difficultatem movere possint.

f. 89^v Prima ratio. In Eucharistia aut corpus Christi, aiunt, consideramus aut * divinitatem vel utrumque simul, corpus scilicet et divinitatem. Si corpus, cum carnem nihil prodesse ipsemet Christus Joann. VI ⁽¹⁾ docuerit, nullam carnis rationem habendam asserunt. Si vero divinitatem aut corpus simul cum divinitate accipimus quid opus est, inquit, praeter spiritualem unitatem qua Christo coniungimur, aliam coniunctionem addere.

Secunda ratio. Secundo non alio modo unam carnem Christi et nostram dici contendunt quam quo fratres Joseph dicebant ⁽²⁾: «*Frä-*

⁽²⁾ Ep. 59, c. 2; PL. 54, 868

⁽³⁾ *Supra*, p. 51.

⁽⁴⁾ Cf. J. Lugo, *De Ven. Eucharistiae Sacramento*, disp. 12, n. 109; «*Quam (sententiam Mendozae) plurimi theologi Complutenses et Salmanticenses acerrime impugnare et notare voluerunt*».

⁽¹⁾ *Vers.* 63.

⁽²⁾ *Gen.* 37, 27.

ter enim et caro nostra est ». Nam fratres non sunt una caro licet secundum communem proprietatem ab eisdem parentibus geniti communicant et inter ipsos unio quaedam naturalis sit, quia in unum corpus rediguntur.

Tertia ratio. Tertio eadem, inquit, unitas nos cum Christo unum efficit per quam et angelus unum cum Christo sit idem etiam Christus et angelorum cibus est et hominum dicente David (3): « *Panem angelorum manducavit homo* ». Sed angelus manducatione illius panis non fit unum unitate naturali cum Christo. Ergo nec nos.

Quarta ratio. Sic aiunt iuxta Paulum (4): « *Eandem escam veteres manducaverunt, eundem potum biberunt: Bibebant autem, inquit Paulus, de consequente eos petra. Petra autem erat Christus* ». Nemo tamen sanæ mentis est qui asserat veteres patres Christo coniunctos unitate naturali propter eandem escam manducatam eandemque calicem et potum.

Quinta ratio. « *Qui credit in me non sitiet* » (5) aliquando; ergo f. 90^r credere est bibere sanguinem Christi. Et iterum (6): « *Ego sum panis vitæ; qui venit ad me non esuriet aliquando* ». Ergo, aiunt, venire ad Deum est manducare, id quod fides et venire ad Christum præstant. Sed nec fides nec venire ad Christum nos naturaliter ipsi uniant. Ergo nec manducare.

Sexta ratio. Sexto autem unionem naturalem inter nos et Christum esse aiunt dicendam; talem quia naturam Christi et nostra invicem sic transmutentur ut ex duabus naturis una tertia efficiatur; sicut fit ex elementis mixtis; vel quia transeat in aliam sicut cibus transit in manducantem; neutrum vero horum in sumptione Eucharistiae fieri cum utraque natura in Christo expers sit huiusmodi mutationis. Alioqui corruptibilem cum esse cogèremur fateri eademque ratione non posse aliam naturam in ipsam converti.

Septima ratio. Septimo cum natura corporis assumpta in Eucharistia et natura hominis corpus eius sumentis maneant semper distincte nulla naturalis unio inter assumptam et assumptum danda est. Distinctio enim, ut aiunt, unioni repugnat.

Octava ratio. Octavo quando aliqua sunt unum unitate naturæ divinæ quidquid competit uni personæ in quantum est unum cum aliâ convenit et alteri. Sic dicimus quidquid de Patre prædicatur absolute, videlicet * quod est sapiens, iustus, bonus, prædicari etiam f. 90^v de Filio et Spiritu Sancto. Quod si per sumptionem dignam corporis et sanguinis Christi efficeretur unum unitate naturali cum Christo,

(3) Ps. 77, 25.

(4) 1 Cor. 10, 3-4.

(5) Jo. 6, 35.

(6) Jo. 6, 48.

is qui sumit, quidquid praedicatur de Christo ratione naturae, praedicaretur etiam de sumentē quod est absurdum et ex eo innumera monstra et absurdo absurdiora, ut Oecolampadius loquitur, sequi aiunt.

Nona ratio. Nono omnia Sacramenta Novae Legis ad unum finem tendere aiunt, ut nos scilicet gratos reddant. Et cum Eucharistia sit unum de septem Sacramentis quae nos unione spiritali gratos Deo reddunt, non est cur per eam alia etiam unione quam spiritali Deo copulemur.

Decima ratio. Decimo sic rem concludunt. Satis constare, aiunt, ex communi omnium doctorum interpretatione, quotiescumque in Paulo sacrisque doctoribus corporis Christi sit mentio, si pro Ecclesia fidelium accipitur, corpus Christi *spirituale* dici. Praeterea cum Christus corpus suum habeat quod natum est de Virgine et eidem corpori caput coniunctum neque in Christo plura sint naturalia capita sed unum tantum, uni autem capiti naturali unum tantum corpus naturale convenit. Quod si fideles membra sunt naturalia et fidelium coetus corpus Christi naturale erit atque uni capiti duo corpora naturalia attribuemus aut in Christo duo capita esse asseremus.

f. 91^r Undecima ratio. Undecimo, sententia est, inquit, S. Thomae nonnullorumque * doctorum fidem mente nos Christo incorporare, baptismum vero corporaliter. Ergo absque Sacramento Eucharistiae corporali unione Christo per baptismum coniungimur. Iam vero unitis etiam corporaliter, supervacanea videtur alia corporalis unio. Nam idem non sequitur ad seipsum.

CAPUT III.

Absurda nonnulla quae sequuntur ex naturali cum Christo unitate iudicio adversariorum.

Hae sunt praecipuae rationes quibus postea ordine respondebimus. Nunc redeamus ad illa monstra quae sequi aiunt ex superiori sexta ratione.

Primo, si corpus digne sumentis Eucharistiam naturaliter et corporaliter Christo conglutinatur cum illud corpus sit hypostatice unitum Verbo, sequeretur etiam nostrum corpus esse deificum hominemque dici Deum, cum omnis substantia et omne corpus substantiale sit hypostatice unitum.

Secundo, si unitum esse negetur unione hypostatica, alia tamen unione unitum fatendum esse aiunt; ex quo sequi quod eiusmodi continui corporis, Christi scilicet et nostri, quod illi naturaliter et corporaliter unitum est, erunt duo supposita. Nam corpus Christi sub-

sistit supposito Verbi, corpus vero nostrum supposito proprio. Hoc autem multis conciliis damnatum est. Quare necessario dicendum, aiunt, illam unionem * corporis nostri cum Christi corpore non esse corporalem sed spiritualem tantum. f. 91^v

Tertio corpus nostrum si naturaliter et corporaliter corpori Christi unietur, efficeret ut corpus nostrum in immensum cresceret.

Quarto corpus nostrum unum naturaliter factum cum corpore Christi, necessario foret dotibus gloriae praeditum atque ita incorruptibile.

Quinto nimis absurdum videri aiunt eum qui multo tempore unum factus est naturaliter et corporaliter cum corpore Christi per peccatum mortale quod exiguo tempore committi potest membrum Satanae fieri, peccato penitus abolente gratiam gratum facientem.

Sextum indigne videri aiunt corpus naturaliter et corporaliter Christo unitum acerbissimis poenis torqueri donec post omnem maculam purgatam anima in coelo volet. Sit satis ex disceptantium schola rationes has et quae sequantur absurda adversus naturalem unitatem quam contra Oecolampadium et alios asserere proposuimus eruisse. Nam quamvis alia multa sint, tamen eiusmodi sunt ut videantur * indigna quae hic annumerentur; praesertim cum facile futurum sit cuius omnibus quae opponuntur respondere si propositas superius difficultates enodaverimus. Post loca Scripturae allata, rationes adductas et absurda enumerata quae ex hac naturali unione emanare haeretici aliique nonnulli asserunt, conciliorum quoque summorumque pontificum auctoritates, quibus ad explodendam hanc doctrinam tamquam ab universali Ecclesia damnatam utuntur, adscribamus. f. 92^r

CAPUT IV.

Decreta quaedam Innocentii, Clementis, Concilii Tridentini, quae naturali nostrae cum Christo unitati repugnare quidam falso existimant.

Aperte damnari hanc naturalem unitatem nonnullorum conciliorum decretis praesertim ab Innocentio III in concilio generali ⁽¹⁾ constare aiunt ex eius epist. decret. ⁽²⁾ ubi unitas qua fideles unum sunt declaratur esse unio caritatis per gratiam, nec aliter intelligendum esse dicitur.

Adducunt etiam decretum in concilio Viennensi sub Clemente V

⁽¹⁾ DB. 430.

⁽²⁾ DB. 431.

quod ex Urbani IV sententia sancitum fuit et sanctio ipsa inserta volumini Clementinarum, ubi de reliquiis et veneratione Sanctorum agitur. In hac, post encomia et divinas laudes eximii huius Sacramenti haec verba habentur (3): « Hic est cibus qui plene reficit, vere nutrit, summeque impinguat non corpus sed cor, non carnem sed animam, f. 92^a non ventrem sed mentem ». Decretum etiam Concilii Tridentini * sub Julio Papa III editum ante tredecim annos (4) de ratione institutionis huius Sanctissimi Sacramenti, contra naturalem hanc unitatem facere aiunt. His omnibus probatum putant Spiritus tantum participationem ex cibo dominico pie sumpto fieri.

CAPUT V.

Auctoritates Sanctorum Patrum quae adversari videntur naturali cum Christo unitati.

Summorum Pontificum decretis et synodis Patrum auctoritates subiciamus quas pro se facere existimant. Inter quos primus est I r i - n a e u s qui sic ait (1): « Si Christus fabricatoris mundi filius non est, quo pacto constabit eis panem in quo gratiae actae sunt esse corpus Domini sui, et calicem sanguinem eius si non omnipotentis fabricatoris mundi filius ipse omnipotens, Verbum sui Patris, potest verbo suo Eucharistiam producere? Aut mutant ergo sententiam, inquit, fatentes Patrem eius, cuius Verbum est, fabricatorem mundi, aut abstineant ab offerendo Eucharistiam quae produci nequit a non omnipotente. Rursus dicentes carnem corruptioni obnoxiam vitam non percipere, nimium errant quia caro corpore et sanguine Christi, qui vita ipsa est, alitur spiritualiter in vitam aeternam ».

C y p r i a n u m etiam dicentem adferunt (2): « Panis iste quem Dominus porrigebat discipulis non effigie sed natura mutatus omnipo- tentia Verbi factus est caro. Et sicut in persona Christi humanitas f. 93^a videbatur et latebat divinitas, ita sacramento * visibili ineffabiliter divina se infundit essentia ut esset religioni circa sacramenta devotio; et ad veritatem, cuius corpus sacramenta sunt, sincerior pateret accessus usque ad participationem; non quod usque ad consubstantialitatem Christi sed usque ad societatem germanissimam eius haec uni-

(3) *Clement. I, 3, tit. 16.*

(4) Nempe sess. XIII, anno 1551 habita (DB. 875).

(1) *Adv. Haereses, l. 4, c. 18, n. 1-2, 4-6; PG. 7, 1024-1030.*(2) Ps. CYPRIANUS, *De cena Domini*; Cypriani opera ed. Coloniae Agrippinae 1617, p. 273 A.

tas pervenisset. Solus quippe Filius Patri consubstantialis est neque divisibilis est neque participabilis substantia Trinitatis. Nostra vero et ipsius coniunctio neque miscet personas neque unit substantias, sed affectus consociat et confoederat voluntates ».

Idem ⁽³⁾: « Cena itaque disposita inter sacramentales epulas obviaverunt sibi instituta antiqua et nova et consumpto agno quem antiqua traditio proponebat inconsumptibilem cibum magister apponit discipulis, neque iam ad elaborata impensis et arte convivia populi imitantur sed immortalis alimonia datur a communibus cibis differens, corporalis substantiae retinens speciem sed virtutis divinae invisibili efficientia probans adesse praesentiam ».

Ibidem ⁽⁴⁾: « Panis iste communis in carnem et sanguinem mutatus procurat vitam et incrementum corporibus; ideoque ex consuetu rerum effectu fidei nostrae adiuta infirmitas sensibili argumento edocta est visibilibus sacramentis inesse vitae aeternae effectum et non tam corporali quam spirituali transitione Christo nos uniri. Ipse enim et panis et caro et sanguis, idem cibus et substantia et vita factus est Ecclesiae suae, quam corpus suum appellat dans et participatorem » *.

f. 93^v

Origenes ⁽⁵⁾ etiam: « Panis, inquit, ille quem dat nobis Deus est Verbum Christi et hic panis est solum mysticum ».

Athanasius quoque super hoc ⁽⁶⁾: « *Quicumque dixerit verbum adversus filium hominis* »: « *Quae enim loquutus sum vobis spiritus sunt et vita: quod idem valet ac si diceret: Quod quidem ostenditur et occiditur pro mundi dabitur alimonia ut spiritualiter in unoquoque distribuatur* ». Haec Athanasii verba ita perverse transtulit Oecolampadius. Quod ex Hilario adferunt nihil certe pro illis facit et impudentia est, neglectis tot eius sententiis et solidis rationibus quibus comprobatur nos per Eucharistiam unum effici cum Christo unitate naturali, captare unum aut alterum verbum quod nonnihil suae opinioni favere videatur. Hilarius ergo hoc ait ⁽⁷⁾: « Quod sicut honorem accipit Filius a Patre et unus est honor Patris ac Filii, ita suum honorem nobis etiam Christus communicat ». Postea videbimus an per hunc honorem nobis communicatum intelligendum sit corpus Christi carni nostrae naturaliter sociari.

Cyryllum etiam adducunt dicentem Christum esse panem mysticum et duodecim apostolos esse duodecim panes propositionis figurative et secundum sensum spiritualem ⁽⁸⁾.

⁽³⁾ *Op. cit.*, p. 272 B.

⁽⁴⁾ *Op. cit.*, p. 273 A.

⁽⁵⁾ *In Mt. comm. ser.* 85; PG. 13, 1734.

⁽⁶⁾ *Ep. 4 ad Serapionem*, n. 19; PG. 26, 667.

⁽⁷⁾ *De Trinitate* l. 8, c. 12; PL. 10, 244.

⁽⁸⁾ *De adoratione in Spiritu et veritate*, l. 10; PG. 68, 679.

Ambrosius etiam de his qui mysteriis initiantur ⁽⁹⁾: « His, inquit, sacramentis pascit Ecclesiam suam Christus quibus animae substantia firmatur », ac deinde: « In illo Sacramento Christus est quia corpus est Christi. Non ergo corporalis esca sed spiritualis est. Unde et apostolus de typo eius ait: *Quia Patres nostri escam spiritualem manducaverunt et potum spiritualem biberunt*. Corpus enim Dei corpus est spirituale, corpus Christi corpus est divini Spiritus ». * Idem: « Iste panis est vitae quae animae nostrae substantiam fuleit ». Idem: « Verbo Dei et sapientia firmari animam nostram » ait. Et alibi: « Fide satiari hominem internum atque ita Christo ».

Augustinus ⁽¹⁰⁾: « Hoc est opus Dei ut credatis in eum qui misit me. Hoc est ergo manducare cibum qui non perit sed qui permanet in vitam aeternam, ut quid paras dentes et ventrem? Crede et manducasti ». Idem in quodam sermone ait ⁽¹¹⁾: « Unumquemque corporis et sanguinis Christi participem esse quando in baptisate fit membrum Christi ». Idem ⁽¹²⁾: « Dominus noster Jesus Christus novimus unde acceperit carnem de Virgine Maria, infans lactatus est, nutritus est, crevit, ad iuvenilem aetatem productus est, a Judaeis persecutionem passus est, ligno suspensus est, in ligno interfectus est, sepultus est, tertia die resurrexit, quo die voluit in coelum ascendit, illic levavit corpus suum inde est venturus ut iudicet vivos et mortuos, ibi est modo sedens ad dexteram Patris. Quomodo est panis corpus eius et calix? vel quod habet calix, quomodo est sanguis eius? Ita fratres ideo dicuntur sacramenta, quia in eis aliud videtur aliud intelligitur. Quod videtur habet speciem corporalem, quod intelligitur fructum habet spiritualem ».

Bernardus ⁽¹³⁾: « Hostia quam vides iam non est panis sed caro mea quae pependit de cruce pro mundi vita. Sane mutatio ista benedictionis opus est non originis: virtus hoc facit non usus: effectus est potentiae non usus naturae: dignatio est non oratio: misericordia est non miseria: non commune sed solum divinum est: * non humanum pietatis Sacramentum, non deitatis detrimentum. Hic pereat physicale nutrimentum, cibus iste non est ventris sed mentis. Non est enim datus ad ruinas huius vitae quae vapor est ad modicum apparens, sed ad aeternam vitae animae conferendam ».

Hugo de S. Victore ⁽¹⁴⁾: « Cibus iste animae non corporis est: noli in illo quaerere consuetudinem cibi corporalis. Venit

⁽⁹⁾ De mysteriis c. 9; PL. 16, 425-526.

⁽¹⁰⁾ Tract. 25 in Jo. n. 12; PL. 35, 1602.

⁽¹¹⁾ Ut refert FULGENTIUS RUSPENSIS, Ep. 12, Ferrando 11, 24; PL. 65, 390.

⁽¹²⁾ Sermo 272; PL. 38, 1246.

⁽¹³⁾ Sermo de excellentia SS. Sacramenti, n. 11; PL. 184, 988 (Opus spurium).

⁽¹⁴⁾ De sacramentis, l. 2, pars 8, c. 13; PL. 176, 471.

ad te ut comedatur non ut consumatur: venit ut gustetur non ut incorporetur ».

Thomae denique Aquinas cum innumeris aliis theologis de naturali hac cum Christo unitate ne meminerunt quidem.

Si ergo haeretici et nonnulli parum versati in sacris doctoribus huiusmodi rationum acervo et deductione ad multiplicia absurda et Sanctorum Patrum concilioorumque auctoritatibus non solum labefectasse naturalem hanc unitatem arbitrantur, sed ut damnatam ab universali Ecclesia prostravisse et a fundamentis subvertisse. Nos tamen invocato Christi nomine sic causam veritatis agemus ut cuius pio christianoque lectori isti paralogismorum et argumentationum fumi statim appareant.

CAPUT VI.

Responsio ad primam objectionem.

Haec obiectio ab Oecolampadio ⁽¹⁾ non est praetermissa qui cum Ambrosii locum super Psal. « *Beati immaculati* » ab se depravatam adduxisset ita inquit: « Nonne haec omnia clare testantur fide satiari hominem internum atque adeo ipso Christo? neque opus esse carnem in ipsam ingredi? Quod ne imaginaremur * satis caverat Dominus dicens: *Caro nihil prodest* ». Non minus in eo quod de carne adfert Oecolampadius fallitur, quam in eo quod inquit fide satiari hominem solam intelligens fidem. Neque illud asserere oportuit nihil opus esse ut animam ingrediatur caro carnali sensu accepta. Nemo enim orthodoxorum hactenus id asseruit. Quod vero toto coelo, quod aiunt, errat, cum ait: Quod ne imaginaremur satis caverat Dominus dicens: *Caro nihil prodest*, vel unus Augustinus nos docere poterit, cuius verba ad Christum loquentis ita habent ⁽²⁾: « O Domine magister bone, quomodo caro non prodest quidquam cum tu dixeris: *Nisi quis manducaverit carnem meam et biberit meum sanguinem non habebit in se vitam*? An vita non prodest quidquam? Et propter quid sumus id quod sumus nisi ut habeamus vitam aeternam quam tua carne promittis? Quid est ergo non prodest quidquam? Caro non prodest quidquam, sed quomodo illi intellexerunt? Carnem quippe sic intellexerunt quomodo in cadavere dilaniatur aut in macello venditur, non quomodo spiritu vegetatur. Proinde sic dictum est: *Scientia in-*

f. 95r

(1) Opus Oecolampadii *De genuina verborum Domini: "Hoc est corpus meum"* iuxta vetustissimos auctores e expositione liber, Basilae 1525, Romae non reperitur.

(2) *In Jo.*, c. 27, n. 5; PL. 35, 1617.

flat. Iam ergo debemus odisse scientiam? Absit. Et quid est: *Scientia inflat*? Sola sine caritate; ideo adiungit: *Caritas vero aedificat*. Adde ergo scientiae caritatem et utilis erit scientia non per se sed per caritatem. Sic etiam nunc: Caro non prodest quidquam, sed sola caro.

f. 95^v Accedat spiritus ad carnem quomodo accedit caritas ad scientiam * et prodest plurimum ».

Haec Augustinus qui eam carnem quae caret Spiritu non prodesse quidquam ad refectionem animae tradit. Christi vero carnem non eiusmodi esse sed spiritui semper coniunctam asserit; ac propterea spirituales eos reddit qui digne eadem vescantur. Adde si carnem nihil prodesse ita intelligamus ut *Oecolampadius* contendit, nam alibi in eodem opere inquit ⁽³⁾: « Ante omnia ne tam crassum quid de coena dominica sentiamus: Verbum Domini spiritus vivificat, caro nihil prodest? tanquam angelus igneo gladio armatus obsistit ». Haec *Oecolampadius*. At vero si ita res haberet iam et Christus frustra suscepisset carnem. Nam si non omnino frustra suscepit, profecto carne quidquam prodest.

Haec argumentatio *Roffensis* est qui similem Augustini argumentationem in eiusdem verbi interpretatione adfert dicentis ⁽⁴⁾: « Si caro nihil prodesset Verbum caro non fieret ut inhabitaret in nobis. Si per carnem nobis multum profuit Christus, quomodo caro nihil prodest? Praeterea cum caro Christi vivificatrix sit nihil prodesse dici non potest. Quam ob rem Christi verba: Caro nihil prodest, iuxta sensum quae orthodoxi intellexerunt accipienda a nobis sunt, inter quos *Chrysostomus*: Sicut Spiritum, inquit, in hoc loco pro spiritualibus posuit, ita cum carnem dicit non pro carnalibus sed pro carnaliter audire eos significans qui semper carnalia desiderabant cum spiritualia desiderare oporteat. Nam si carnaliter ea quis acciperet nihil sane lucraretur. Quid igitur caro * non prodest quidquam num de ipsa carne dicitur? Absit. Sed de his qui carnaliter accipiunt quae dicuntur: quid autem est carnaliter intelligere? Simpliciter ut res dicuntur neque aliud quippiam excogitare. Non enim ita iudicanda sunt quae videntur, sed mysteria omnia interioribus oculis consideranda, hoc est spiritualiter. Qui non manducat carnem meam et bibit sanguinem meum non habet vitam in semetipso. Quomodo nihil prodest caro sine qua nemo potest vivere? Vide quod ea particula *caro non prodest quidquam*, non de ipsa carne sed carnali auditione dicta est ». Hactenus ille.

Augustinus insuper eadem verba exponens ait ⁽⁵⁾: « *Spiri-*

⁽³⁾ Locus excipitur ex J. FISHER ROFFENSI, *De veritate corporis et sanguinis Domini adv. Oecolampadium*, Wirceburgi 1597, p. 1199.

⁽⁴⁾ *Ibidem*.

⁽⁵⁾ *In Jo*, tr. 27, n. 5; PL, 35, 1617.

tus ergo est qui vivificat; caro non prodest quidquam sicut illi intellexerunt carnem. Non sic ego do ad manducandum carnem meam ».

Cy r i l l u s in Joannem ⁽⁶⁾: « Corpus est non cuiusvis hominis cuius caro prodesse quidquam non potest. Non enim Pauli aut Petri aut ceterorum sed ipsius vitae et Salvatoris nostri Jesu Christi corpus, in quo deitatis plenitudo corporaliter habitans facere haec potest. Nam si mel cum naturaliter dulce sit ea dulcia facit quibus immiscetur, nonne stultum erit vivificam Verbi naturam putare non dedisse homini in quo habitat vivificandi virtutem? Quas ob res caro quidem ceterorum hominum quidquam vere non prodest. Caro autem Christi quia in ipsa Unigenitus Dei filius habitat sola vivificare potest. Spiritum vero seipsum appellat quoniam Deus Spiritus est, et ut ait Paulus ⁽⁷⁾: *Dominus Spiritus est. Nemo tamen arbitre* * f. 96^r
tur tolli Spiritus Sancti subsistentiam in propria persona. Nam sicut factus homo filium se hominis appellat, sic a se proprio Spiritu Spiritum appellat. Non est enim alienus ab eo Spiritus suus ». Idem ⁽⁸⁾: « Spiritum enim hic ipsam carnem nuncupavit, non quia naturam carnis amiserit et in spiritum mutata sit, sed quia summe cum eo coniuncta totam vivificandi vim hausit. Neque turbari propter haec decet: Nam qui Domino conglutinatur unus cum eo Spiritus est. Quomodo igitur caro sua una cum eo non appellabitur? Huiusmodi ergo est quod dicitur: Putatis, inquit, me dixisse vivificum natura sui terreste hoc corpus esse? Ego vero de Spiritu et de vita aeterna loquutus sum. Non enim natura carnis vivificum reddit Spiritum sed Spiritus vivificam carnem reddit ». Idem ⁽⁹⁾: « Ipsum etiam Domini corpus coniuncti virtute Verbi sanctificatur et ad benedictionem mysticam adeo activum sit ut possit sanctificationem suam immittere nobis. Unde ipse quoque Salvator, quum ad Judaeos multa de carne sua dissereret ac vivificum vere panem eam appellaret: *Panis enim, inquit, quem ego dabo caro mea est pro mundi vita.* Stupentibus illis et quomodo id fieri posse dubitantibus dicebat: *Spiritus est qui vivificat, caro nihil prodest. Verba quae ego loquutus sum vobis, Spiritus sunt et vita.* Aperte namque hic ad sanctificandum vivificandumque nihil prodesse carnem ostendit, inquantum scilicet humanae naturae * caro est. Cum igitur deitati servatio attribuitur, non debetis, inquit, f. 97^r
carnis praesentiam propter hoc desiderare ».

Satis sit horum Patrum auctoritas ad intelligendum non loquutum Christum de carne carnali sensu accepta ut Theophylac-

⁽⁶⁾ In Jo. 1. 4, c. 3; PG. 73, 602.

⁽⁷⁾ 2 Cor. 3, 17.

⁽⁸⁾ In Jo. 1. 4, c. 3; PG. 73, 603.

⁽⁹⁾ Cf. In Jo. 1. 4, c. 3; PG. 73, 602-603.

t u s ait ⁽¹⁰⁾, aut de carne quae spiritu caret aut quae in macello venditur quum dixit: Qui manducat meam carnem habet vitam aeternam. Pronomem enim, « *meam* » insinuat spiritum iunctum carni. Manducata enim caro Christi confert conservatque vitam quod ipsemet Christus asseveravit ex eo quod vivit propter Patrem et manducans vivit propter ipsum. Absit, absit a nobis quum de carnis Christi manducatione sermo est crassa illa Judaeorum cogitatio qui putabant non posse carnem Christi realiter et vere edi nisi ea dentibus eorum laniaretur sicut aliae carnes. Absit etiam nimis subtilis haereticorum manducatio qui sibi persuadent haud aliter edi posse carnem Christi praeter quam sola fide. Scimus certo in Eucharistia carnem eius vere manducari et sanguinem eius vere bibi; idque scimus vera Ecclesiae fide edocti absque tamen ulla laniatione omnino atque offensione; quae cum vere manducetur et vere hibatur inque stomachum pie manducantis et bibentis descendat, vere substantialiterque manducanti et bibenti unitur. Unde naturaliter corporaliterque Christus nobis coniungitur non solum Spiritui tamquam Deus sed et corpori tamquam homo: ac iuxta sententiam *Thomae* ante allatam ⁽¹¹⁾, quum datur in * cibus datur non ad separationem aliquam sed ad omnimodam unionem. Uniuntur enim in unitate corporis cibus et sumens. Joan. 6: *Qui manducat meam carnem in me manet* etc.

CAPUT VII.

Responsio ad secundam obiectionem.

Quod secundo loco obiiciunt illud est quod eo modo una caro Christi et nostra dicenda sit quo fratres Joseph dicebant ⁽¹⁾: « *Frater enim et caro nostra est* ». Hoc ipsum *Oecolampadius* adfert ut non alia ratione, unum corpus nos esse et membra corporis Christi ex carne eius et ex ossibus eius quam ob Christi incarnationem qua Verbum caro factum est. At per cibum dominicum quem nobis ipse largitur, hoc est per esum corporis et sanguinis sui nos reipsa, ut *Chrysostomus* ait ⁽²⁾, convertimur in carnem eius et facti sumus eius membra ex carne et ex ossibus eius sicut ex Pauli verbis docuit *Irinaeus* ⁽³⁾. Non dixerunt itaque fratres Joseph se fuisse reipsa conversos in carnem ipsius Joseph sed eum ex carne sua esse

⁽¹⁰⁾ Cf. *In Jo.* 6; PG. 123; 1310-1311.

⁽¹¹⁾ *Supra*, p. 67.

⁽¹⁾ *Gen.* 37, 27.

⁽²⁾ *Hom.* 46 in *Jo.* n. 3; PG. 59, 260.

⁽³⁾ *Adv. Haereses*, l. 5, c. 2, n. 2-3; PG. 7, 1126-1127.

eo quod ex eodem patre ex quo et ipsi carnem acceperant, accepisset et ipse carnem. Ceterum, ut inquit Roffensis (4), 'si potuisset, ipse Joseph suis carnibus pavisset fratres, quemadmodum et Christus nos quotidie pascit, tunc dicere eis licuisset se ipsos ex carne et ossibus Joseph fuisse sicut et Paulus ad Ephesios dicit Ecclesiam, quam idem affirmat nutriri foverique a Christo membra corporis eius fieri de carne eius et de ossibus eius.

CAPUT VIII.

* *Responsio ad tertiam objectionem.*f. 98^r

Tertiae huic objectioni multo antea Cardinalis Turrecremata satisfecit dicens (1): « Angelum non manducare corpus et sanguinem Domini in Eucharistia sacramentaliter aut spiritualiter, cum Christus angelis non proponatur sub sacramentali velamine sed sub nuda veritate. Praeterea cum Christus nusquam angelos apprehenderit sed semen Abrahae et in Eucharistia vere corpus Christi contineatur, iuxta quod homines et Christus in eandem speciem conveniunt. *In similitudine enim hominum factus habitu inventus est homo* (2). Idcirco Eucharistiae cibus neque ab angelis edi potuit neque diversa angelorum species corporali coniunctione annecti corpori poterat ». Ita Turrecremata.

Potest etiam haec difficultas et aliter dilui. Nam cum eo in loco David de manna loquatur, dixerat (3) enim: « *Et mandavit nubibus desuper et portas coeli aperuit et pluit eis manna ad manducandum et panem coeli dedit eis. Panem angelorum manducavit homo* » palam est non ideo hoc dictum quasi angeli manna vescantur sed quia angeli illud ministrabant: quemadmodum panis coeli appellatus est iuxta illud (4): « *Volucres coeli* » etc. Manna enim non e coelo sed ex nubibus excelsioribus descendit, quas portas coeli quasi coelo proximiores appellavit. Mandavit namque eis ut plueret manna. Hoc ipsum ex verbis Christi Joan. 6 (5) satis patet quibus Judaeos accusat qui panem hunc vere panem coelestem putabant: « *Amen amen dico*

(4) *De veritate corporis et sanguinis Domini adv. Oecolampadium*, Wirceburgi 1597, p. 1067, 1068, 1070.

(1) *Super Decreto, Tertia Pars, Dist. 2*; ed. Venetiis 1578, t. IV, p. 128.

(2) *Phillip. 2*, 7.

(3) *Ps. 77*, 26-27.

(4) *Ps. 8*, 9.

(5) *Vers. 32*.

f. 98^v *vobis non Moses dedit vobis panem de coelo, sed Pater meus de * coelis dat vobis panem de coelo verum* », hoc est de coelo vere descendentem. Quod autem illud manna non esset angelorum cibus, ibidem asserit Christus dicens ⁽⁶⁾: « *Patres vestri manducaverunt manna in deserto et mortui sunt. Hic est panis de coelo descendens ut quisquis ex eo manducet non moriatur* ». Postquam ergo hi qui manna illud manducabant mortui sunt, compertum est non proprie esse panem coelestem neque angelorum cibum dici.

CAPUT IX.

Responsio ad quartam obiectionem.

Locus ille Pauli I Cor. 10 ⁽¹⁾, sane intellectus de spirituali tantum manducatione loquitur. Et certe magnum est discrimen inter has duas manducationes: spiritualem scilicet, qua fide solum manducamus et eam, qua corporaliter in Eucharistia veram Christi carnem edimus. Illa enim antiqui Patres Christi carnem comederunt. « *Omnes enim*, teste Paulo, *eandem escam spiritualem comedebant et omnes eundem potum spiritualem bibebant* ». Hi tamen Christi carnem corporaliter non edebant, quandoquidem non erat in manna corpus Christi quod ederent. Nos vero digne Eucharistiam sumentes carnem Christi quae vere in Eucharistia continetur corporaliter manducamus. Comperta est differentia inter nostram, qui Christum in Eucharistia realiter manducamus et illorum manducationem, qui manna edentes Christum spiritualiter solum manducaverunt. Ab his non multum distant qui intuitu dumtaxat Eucharistiam sumunt, credentes ibi veram carnem adesse quam nequaquam corporaliter manducant. Hi nempe spiritualiter solum edunt sicut et qui manna * manducabant, qui eam credebant huius cibi figuram esse. Illi vero credunt in Eucharistia veram Christi carnem contineri praesentemque quam illi futuram crediderunt. Utrique spiritu Christo communicant, neutri tamen eorum corporali carni Christi participant. Quare neutri etiam Christum in se manentem corporaliter habent.

f. 99^r

⁽⁶⁾ Jo. 6, 49-50.⁽¹⁾ Vers. 3-4.

CAPUT X.

Responsio ad quintam obiectionem.

Obiectio collecta ex Christi verbis Jo an. 6 ⁽¹⁾ qua colligitur venire ad Christum et credere in Christum, esse manducare Christum diluitur, si unum tantum verbum addatur, spiritualiter scilicet. Nam nostra assertio non de spirituali solum manducatione sed etiam de corporali loquitur quam Christus ibidem commendat et sub gravi comminatione praecipit quum ait ⁽²⁾: « *Nisi manducaveritis carnem filii hominis et biberitis eius sanguinem non habebitis vitam in vobis* ». Quare frustra haec spiritualis manducatio adfertur, quandoquidem praeter eam sacramentalis corporalisque a Christo constituitur, e qua naturalis corporalisque cum Christo unitas oritur, non autem ex spirituali. Quae vero Jo an. 6 de manducatione carnis filii hominis traduntur, ad spirituales manducationem non sunt trahenda. Caeterum quoniam complures circa hanc naturalem cum Christo unionem difficultates tollentur si semel percipiatur, quare antiquis patribus necessaria haec ipsa unitas praeter spirituales sit visa, non inutile erit in memoriam revocare quae nonnulli ex graecis auctoribus, qui altius de vita quae per sacra mysteria in nobis fit tractarunt, sentiunt.

Inter quos Nicolaus Cabasila Methonensis ⁽³⁾ est cuius antea meminimus: « Vita, inquit, in Christo est * ipso f. 99^v Christo conglutinari atque in unum cum ipso coalescere. Conglutinantur autem Christo per omnia per quae incessit ille incedunt et ipsi, quique omnia patiuntur et fiunt quae ille. Christus igitur iis qui nullo peccato infecti sunt, sanguine et carne unitus est. Cumque a principio Deus natura existat id quod postea factum est humanam videlicet naturam divinam fecit. Vitam autem finiens mortuus est carnis gratia et resurrexit. Oportet itaque eum qui cum ipso velit coalescere carnis ipsius participem et divinitatis ipsius consortem fieri sepulturaeque et resurrectioni eius communicare. Porro sacro baptismo abluimur ut cum illo commoriamur atque conresuscitemur. Ungimur quoque ut regio chrysmate peruncti divinitatis ipsius participes redamur; edentes vero sacratissimum panem et hibescentes divinissimum poculum carnis et sanguinis ab ipso assumptorum participes efficiamur ». Hoc igitur modo in unum cum ipso coalescimus qui caro pro nobis factus est atque divinam ipsius carnis naturam effecit mortuusque resurrexit. « Omnis haec oeconomia quae nostrum erexit genus atque renovavit, ex qua nostra omnium salus prodit, divinae Trini-

⁽¹⁾ Vers. 35.⁽²⁾ Jo. 6, 53.⁽³⁾ De vita in Christo l. 2; PG. 150, 522.

f. 100^v tatis commune consilium fuit; quae modo quo fieret multo antea prodivit, opus autem ipsum haud commune trium Divinarum Personarum est; opifex enim ista ratione neque Pater neque Spiritus Sanctus sed Unigenitus tantum et Verbum solus existit qui carnem et sanguinem assumpsit, quique verberatus et afflictus mortuus etiam est et resurrexit » (4). His ita cognitiss addendum est quod idem auctor subdit dicens (5): « Ea de causa sacramenta celebrari a nobis partim verbis partim factis; quoniam consilio totius Trinitatis, Christi vero solius * opere salus nostra peracta est. Quapropter quum in baptismo initiamur, verbo distinctio Personam, Patris et Filii et Spiritus Sancti mentione facta, docetur, facto vero trina in aquam immersione et ex ea emersione trium dierum mors et resurrectio quae totius oeconomiae evangelicae finis est declaratur. Unde non ab re theologia illa vocatur: haec vero oeconomia in factis tacite ostenditur. Illa quidem ab initio extitit et in hominum cognitionem vocis ministerio pervenit: haec autem et oculis humanis conspecta manibusque contrectata ».

Propterea B. Joannes utraque haec de duplici Servatore cognoscens dixit (6): « *Quod fuit ab initio, quod audivimus* » mox subiicit: « *Quod vidimus oculis nostris et manus nostrae contrectaverunt de verbo vitae* ». Theologiae oportet credere, fidei enim demonstratio fit per vocem. *Quae enim credimus corde ad iustitiam, ore confitemur ad salutem* (7). Oeconomiam autem et imitari et operibus ostendere omnino necesse est. Oportet enim sequi vestigia eius qui pro nobis mortuus est et resurrexit. Hac ergo de causa in baptismo Trinitas voce exprimitur, passio autem et mors per aquam corpori infusam describitur configuratis nobis in beatam illam Christi speciem atque formam. Eadem quae in baptismo fiunt et in nostra cum Christo per corporis et sanguinis eius communicationem unitate fieri opus est, nempe et corde credere et revera factoque ipso corpus eius ore sumere visceribusque nostris immiscere ut et theologiae quae fidem exigit et oeconomiae pariter quae factum requirit satisfaciamus; atque sic Christo perfecte coalescamus, conglutinemur et eandem quam de Virgine assumpsit carnem in nobis ipsis habeamus et carni eius per hunc panem caro uniuscuiusque nostrum uniatur, quemadmodum hu * mana caro per assumptionem Verbo unita fuit: iuxta quam perfectam substantialem mutuaque carnis Christi communicationem concorpores ipsi dicimur, eademque cum ipso vita vivimus membraque ei congrua efficimur non theologiae solum fide a nobis comprehensae vi,

f. 100^v

(4) *Ibidem*, col. 534.(5) *Ibidem*, col. 534.(6) *1 Jo.* 1, 1.(7) *Cf. Rom.* 10, 10.

sed rei operisque ipsius virtute et efficacia ipsa Christi oeconomia in nobis servandis facto ipso a nobis observata ».

Hic autem dubium suboriri potest cur non eundem cum ipso Christo servamus ordinem? Sed unde is desit nos initium sumamus, et in quibus ipse coepit nos desinamus. Haec quaestio facile ab eodem Nicolao dissolvitur ⁽⁸⁾: « Quia ille, inquit, descendit ut nos ascendamus et eadem proposita via illius quidem negotium fuit descendere, nostrum vero ascendere. Nimirum tamquam in gradibus qui postremus illi ad descensum, primus nobis ad ascensum fuit. Neque enim alio pacto fieri negotia ferebant. Baptismus enim generationis, unctio vero actionis et motus in nobis rationem obtinet. Panis autem vitae et poculum gratiarum actionis verus est esus et potus. Atqui moveri aut nutriri antequam generemur non possumus. Baptismo enim chrismate atque Eucharistia in Christo sumus movemur et vivimus. Baptismus esse, Chrisma motum, Eucharistia vitam praestat. Praeterea baptismus Deo nos conciliat, unctio vero nos beneficiis quae inde proficiscuntur dignos facit, sacrae vero mensae vis carnem et sanguinem Domini baptizatis communem facit atque in nos capiti per baptismum coaptatos tamquam in ipsius membra e capite omnem gratiam profundit. Quod igitur Christi auctoritate, Patrum traditione, maiorum ritu ab ipsis Ecclesiae * initiis observatum est, arcana divinae oeconomiae evangelicae ratione fieri oportere demonstratur ». f. 101

Et quia hac de re tractandi proprius locus postea sese offeret hoc interim certe asserimus altiore quodam gradu evehi eos qui cum in fide et caritate reliquis aequales sint pie ad Eucharistiam accedentes eam corporaliter edunt. Gratia enim ex digna Christi corporis manducatione semper augetur neque credendum est eos qui numquam edunt tantundem consequi atque hi qui frequenter carnem Christi vere vivificatricem digne percipiunt ⁽⁹⁾. Nam fides in magna hominum parte informis est: et illi qui pro fide se libenti animo morituros affirmant non raro gravibus criminibus implicantur et hi parum proficiunt dum Eucharistiam contuentur et non vere comedunt. Qui vero digne manducant omni scelere carentes, participes corporis et sanguinis Christi spiritualiter et naturaliter facti, sanctificationis suae multo certiores redduntur ac multo uberiores gratiam consequuntur: quod

⁽⁸⁾ *De vita in Christo* l. 2; PG. 150, 522.

⁽⁹⁾ Commendat frequentem communionem.

et Cyrillus affirmat dicens ⁽⁹⁾: « Sciant baptizati et divinae gratiae facti participes si rarius in Ecclesiam proficiscantur et longo temporum spatio propter simulatam religionem mystice communicare Christo recusent, ab * aeterna vita se procul repellere. Cur ita? f. 101^v Nimirum quod a Christo qui vera vita est et ab eius carne quae vere vivificat cunctos eadem pie vescentes elongant sese per stultam abstinentiam ».

Bernardus quantum baptizatis sacrae Eucharistiae sacramentalis perceptio conferat satis ostendit ⁽¹⁰⁾: « Lavamur, inquit, in baptismo, quia deletur chirographum damnationis nostrae et gratia haec nobis confertur ne iam nobis concupiscentia noceat si tamen a consensu abstineamus atque ita sanies inveterati ulceris removetur dum tollitur damnatio et responsum mortis quod inde manabat. Sed quis poterit tam efferos motus frangere? Quis prurimum huius ulceris ferre queat? Confidite quia et in hoc gratia subvenit, et ut securi sitis Sacramenti dominici corporis et sanguinis pretiosi investituram habetis. Dominus enim illud Sacramentum operatur in nobis ut videlicet et sensum minuatur in minimis et in gravioribus peccatis tollat omnino consensum. Si quis vestrum non tam saepe modo, non tantum acerbos sentit iracundiae motus, invidiae, luxuriae aut caeterorum huiusmodi, gratias agat corpori et sanguini Domini quoniam virtus Sacramenti operatur in eo ». Qui ergo fidei suae certus esse cupit, spiritualisque suae in Christo incorporationis fructumque a Bernardo commemoratorum particeps esse desiderat, naturaliter corporaliterque per Eucharistiam Christi corpori coniungatur. Ita enim in veteri Ecclesia receptum erat ut simul ac baptizarentur continuo f. 102^r Christi * carne pascerentur. Propterea et Paulus ⁽¹¹⁾ dixit: « *Unus panis unum corpus multi sumus, nam omnes ex eodem pane participamus* ». Baptismus nempe nos corpori Christi mystico incorporat, sed per solum baptismum Christum in nobis corporaliter manentem non habemus.

Ipsam quoque Christi corpus in nobis manens maximum est amoris glutinum ac ceu foedus quoddam inter nos et Deum quo ipsi non tam coniungimur quam incorporamur, quodque nobis Deum benignum maxime et nos ei gratissimos reddit. Nam qua in re gratiosior nobis ostendi divina benignitas potest quam exhibendo sui Filii corpus quotidie nobis manducandum? Qua etiam in re nostra gratitudo erga Deum magis ostenditur quam si hoc corpus nostrum toto cordis affectu illi studuerimus offerre nosque tanquam ipsius corporis membra vicissim ei toto pectore tradamus? Adde quod per Eu-

⁽⁹⁾ In Jo. I. 3, c. 6; PG. 73, 522.

⁽¹⁰⁾ Sermo in cena Domini, n. 3; PL. 183, 272.

⁽¹¹⁾ I Cor. 10, 17.

charistiam Christus seipsum nobis reliquit, quem, ut munus pretiosissimum Patri gratissimum iugiter immolaremus quod ipsummet Christi corpus est quod pro nobis obtulit in cruce ipse Christus. Quare etsi per sacramenta passionis Christi participes efficiamur, ob Eucharistiam tamen digne sumptam hi qui post baptismum peccaverunt consummationis eius se participes factos compertius habent per eius oblationem ac esum virtutem illius sacrificii et mortis Christi fructum esse adeptos; hoc scire nequaquam possunt qui adulteriis * f. 102^v aut furtis aut homicidiis impliciti vita gratiae se carere sentiunt, quamvis putent se in Christum credere ac mori potius quam Christi fidem abnegare sint parati. Necesse nimirum est sacramentis Ecclesiae sanctificari relictis peccatis qui eius sacrificii participes esse cupiunt; quod etsi in cruce pro cunctis fuerit oblatum solis tamen eis prodest qui per Ecclesiae sacramenta sanctificantur, dicente Paulo ad Haebros (12): « *Unica enim oblatione consummavit sanctificatos in sempiternum* ». Non omnes, inquit, sed eos qui sanctificantur. Qui autem sanctificentur inferius declarabimus.

Ceterum inter Ecclesiae Sacramenta reliquorum omnium Sacramentorum consummatio et perfectio Eucharistia est, auctore Dionysio Areopagita, ut superius dictum est (13). Fides enim et baptismus initium salutis sunt, atque ita Iacobus (14): « *Voluntarie, inquit, genuit nos verbo veritatis ut simus initium aliquot creaturae eius* »; quod Paulus etiam ad Hebraeos testatur (15). Sed initium hoc per Eucharistiam compleri et consummari debet. Christus enim ipse non tantum apostolis praecepit ut *euntes docerent omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*, sed ut docerent *servare omnia quaecunque mandaverat eis praesentiae ipsius corporali innixi, quibuscum futurum se omnibus diebus usque ad consummationem saeculi testatur* (16). Hic quis adeo caecus est qui non videat corporalem Eucharistiae manducationem multo antea ipsis promissam in ultima sua coena exhibitam et in posterum praeceptam intulisse inchoatae in baptismo regenerationi perfectionem consummationemque non spirituali tantum unitate sed naturali etiam unum * cum Christo factis. Magna perfectio consummatioque eorum est qui per baptismum fide et caritate Christo sunt inserti sacroque dein Chrismate in fide confirmati, conscientia a mortali crimine munda Christi corpori et sanguini conglutinantur. f. 103^r

Haec a nobis ideo dicta sunt tum ut fidem baptismumque atque

(12) Cap. 10, vers. 14.

(13) Vide p. 30

(14) Cap. 1, vers. 18.

(15) Cap. 3, vers. 14.

(16) Mt. 28, 19-20.

spiritualem coniunctionem quam propter haec consequimur non obstare naturali unitati planum faciamus, imo vero per eam reliqua omnia mirum in modum perfici, tum ut aures nobis obtundere desinant qui toties inculcant non opus esse alia cum Christo coniunctione quam spiritali.

CAPUT XI.

Responsio ad sextam, septimam, octavam obiectionem.

Quum de rebus divinis agitur non sunt quaerendae novae interpretationes sed acquiescendum Sanctis Patribus, neque repugnandum receptae fidei tametsi nonnulla sese offerant quae prima facie absurdi aliquid prae se ferre videantur. Ne tamen, quae nonnullorum ingeniorum crassities est, res asserti absurda existimetur propositas rationes diluamus et in respondendo non valde laborandum nobis erit. Siquidem tot ante annos vel ab Alberto Magno ⁽¹⁾ vel a Cardinale Turrecremata ⁽²⁾ abunde fuit satisfactum. Ubi eo ordine quo a nobis praedictae tres rationes expositae sunt, explicantur. Quae quidem evincerent prorsus damnandam esse hanc naturalem unitatem si assereremus hypostatice nos cum Christo Deo et homine per hanc unum nos fieri. Nemo vero sanae mentis hoc asseruerit. Unitas enim naturalis qua Christo per Eucharistiam connectimur non efficit nos ipsius divinae humanaeque naturae consubstantiales, unit nos tamen cum eo naturaliter, quia eo quod per hoc Sacramen * tum digne a nobis sumptum manet in nobis Christus secundum utramque suam naturam, participesque nos efficit Spiritus et carnis suae, cuius vi totus homo in ipsum Christum ita transformatur ut unum cum ipso spiritum ac corpus effici Paulus ac Sancti Patres testentur; non quod amissa propria substantia in substantiam Christi transformetur aut quod ex Christi nostraque substantia tamquam ex mistis elementis tertia quaedam essentia emergat, sed quod quemadmodum qui *adhaeret Deo unus spiritus cum eo esse a Paulo dicitur* ^(2bis), qui spiritali fidei, dilectionis speique vinculo cum Deo colligatus est, eique per baptismum sic incorporatus ut elevetur supra se per habitum deiformem particeps factus de fluxu divinae bonitatis incommutabili in divina essentia permanente, sic quoque nostra caro, divina gratia in ipsam per animam nostram deiformem redditam redundante, christiformis fit per inhabitantem in nobis Dei Spiritum Chris-

⁽¹⁾ *Supra*, p. 33.⁽²⁾ *Supra*, p. 33.^(2bis) *1 Cor.* 6, 17.

tumque ipsum qui in nobis carnaliter manere haud est dedignatus, reformaturusque est corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae secundum operationem virtutis suae qua etiam posset subiacere sibi omnia. Ac quemadmodum Adae et Evae caro una caro dicta est quamvis singuli peculiare carnem haberent, ita Christum et Ecclesiam **P a u l u s** duo esse in carne una refert ⁽³⁾.

Sed isti iam nobis obiciunt improprie ob hanc quam dicimus unitatem naturalem unam carnem nostram cum carne Christi dici. Improprie etiam asserti unum corpus cum Christo nos effici, siquidem nihil amplius per Eucharistiae commistionem naturaliter assequamur quam cum per fidem et dilectionem Christo incorporati * fuerimus f. 104^r
 nisi corpus nostrum naturale Christi corpus fieri quemadmodum et illud quod de Virgine sumpsit unitumque est Verbo intelligamus, aut naturaliter nostri corporis substantiam in Christi corpus, aut ipsum Christi corpus in nostram naturam substantialiter transmutari asseramus; quod sane nemo hactenus qui non sensu communi careat dixit, sed ne somniavit quidem. Nemo pius, sat scio, ferret sine stomacho hanc insanorum hominum non tam objectionem quam blasphemiam, ni sciret debitorem se esse sapientibus et insipientibus. Ostendamus ergo quam obtuso ingenio et quam ingrati erga immensa Dei beneficia isti sint quibus haec improprie dici videntur. Non intelligunt miseri homines quo pacto unum multa fiant absque eo quod unius substantia in alterius naturam transmutetur. Obliti prorsus sunt Divini Verbi ad naturam humanam unionis, in qua nec divina essentia nec humana natura propriam amisit substantiam, fit tamen ex utraque unus Christus qui Deus et homo est non conversione divinitatis in carnem, ut ait **A t h a n a s i u s** ⁽⁴⁾, sed assumptione humanitatis in Deum. Nam sicut anima rationalis et caro, inquit ille, unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus. Addamus istis crassis unum aut alterum unionis exemplum: animae scilicet rationalis et carnis in homine quo Athanasius etiam usus est. Nam neque anima in carnem vertitur, neque caro in animam transmutatur. Ferri praeterea et ignis in ferro unio, ubi neque ferri naturam in se transmutat, neque ferrum ignem in se convertit. Desinamus in re notissima plura exempla adferre praesertim cum eadem de re paulo post plura simus dicturi. De physicis ipsis transmutationibus quae contra naturalem hanc unitatem adeo urgere videntur aliquid disseramus. Equidem percunctatos velim * ipsos philosophos quid discriminis ponant inter formalem conversionem, hoc est substantialem transmutationem et conversionem transmutationemque simpliciter dictam, quae unionem, coniunctionem ac commistionem comprehendit. Mistio, graece *μίστος* dicta, quae f. 104^v

⁽³⁾ *Eph.* 5, 30-31.

⁽⁴⁾ Potius Symbolum Athanasianum (DB. 40).

et temperamentum a *D a m a s c e n o* ⁽⁵⁾ dicitur et corporum iuxta-positio qualitatum contraincessio; et rursus *ἁπόσις* est coniunctio corporum commiscentium seu contemperantium ad invicem eas quae in ipsis sunt qualitates; et quamvis iuxta communes naturae leges vix reperiatur crasis absque substantiarum invicem alteratarum concursu, iuxta divinam in genus humanum benignitatem sacratissimum Christi corpus pretiosusque eius sanguis nostrae carni et sanguini agglutinatus vincentibus iis quae praestantiora sunt nostram naturam vitam destitutam et peccato mortuam effectam ad suae divinae carnis naturam quae vita plena et immortalis est, contemperat atque ut membra capiti congruentia coaptat. Ille in se nos a morte in vitam, ab ira in gratiam transmutat, cumque virtutem a Deo acceperimus secundum quam ad hanc transmutationem apti sumus, non secus ab ipsa natura aliena eiusmodi transmutatio videtur quam ab humana substantia interitui ob peccatum obnoxia mutabilitas et mortalitas aliena iudicatur. Christus denique nobis per Eucharistiam immistus contemperans est nos contemperati; Christus transformans nos transformati, Christus rapiens in se nos in ipsum rapti corpore et spiritu existimus. Haec immistio, haec contemperatio, haec transformatio, hic raptus haud improprie naturali etiam inter nos et Christum unitate communicationeque fieri dicendus est, ut inferius latius ostendetur. Ad haec si corporum ratio coniunctioni unionique non repugnat, corpusque naturam esse et dici

f. 105^r constat * ex ipso *Aristotile* ⁽⁶⁾, quid vetat quominus duo coniuncta in unum corpora unione naturali proprie dicantur? absque eo quod alterius aut utriusque substantialis transmutatio fiat aut ex utrisque tertia emergat natura, praesertim si ea duo integra et perfecta sint, atque id maxime genus quae coniunguntur ut non conveniant in omnibus his in quibus convenire necesse est ea quae invicem transmutantur. Nos tametsi cum Unigeniti Dei Filii humanitate maxime conveniamus quatenus tamen Deus est nequaquam cum ipso convenire possumus. In ipso enim natura humana in unitatem personae divinae tracta, efficit ut toto genere ab eo, ea parte qua Deus est, differamus, ut *S. Thomas* testatur ⁽⁷⁾. Quam ob rem neque eius caro in nostram neque nostra in ipsius carnem per essentiae mutationem converti potest.

Sed quod nos per hanc unionem quam ex cibo dominico pie sumpto assequimur, in ipsius carnem transire plerique Sancti Patres dicant, non per aliquam substantiae nostrae mutationem est intelligendum, sed potius, ut *D a m a s c e n u s* inquit ⁽⁸⁾, per divinam ir-

⁽⁵⁾ *Dialectica*, c. 66; PG. 94, 663-664.

⁽⁶⁾ *Metaph.* V, 4, 1015 a, 2.

⁽⁷⁾ *S. Th.* 3, q. 26, a. 1.

⁽⁸⁾ *Supra*, p. 36.

radiationem in nostram animam et corpus quae nobis contingit ob naturalem cum ipso unitatem ad quam sacrorum mysteriorum esus nos perducit. Ea igitur irradiatione accidentia animae nostrae spiritalia et qualitates corporis nostri accidentales, permanente absque mutatione substantiali ipsius corporis et animae substantia, ita mutantur, ut tam anima quam corpus christiforme redditum, unus spiritus et una caro cum eo dicatur, non unitate essentiae sed gratiae, ac corporis dotium communicatione et convenientia unioneque. Quare haud improprè ob hanc qualitatum mutationem in deiformia * studia et hypostaticas carnis eius proprietates quae naturales ei sunt, utpote a divina natura ei datae, converti dicimur. Siquidem hoc ipsum divinum esse participamus, ad divinae gratiae participationem ac animarum corporumque deificationem toti Christo ab omni parte uniti ac sublevati. Certe in rebus sacris versatis hominibus minime difficilis videri deberet haec accidentium mutatio. Siquidem Innocentius III meminit ⁽⁹⁾ theologorum sententiae ⁹asserentium aquam vino immistam non converti in sanguinem Christi, affici tamen naturaliter ab accidentibus vini. « Ipsa enim, inquit, accidentia vinum appositum videntur afficere; quia si aqua fuerit apposita vini saporem assumit. Contingit igitur accidentia mutare subiecta, sicut et subiectum contingit accidentia permutare ». Haec Innocentius.

f. 105^v

Vides hinc accidentium permutationem subiecto non mutato. Haud dissimili ratione, etsi corporis nostri subiectum non convertatur vere et realiter in corpus Christi ita ut desinat esse corpus nostrum et fiat corpus Christi, afficimur nihilominus ita a corpore Christi et a virtute ab eo animam nostram primum penetrante ac per eam in corpus etiam nostrum derivante ipsi Christo naturali et spiritali pariter unitate mirabili quadam ratione coniuncti ut natura cecissem miraculo ac virtus supra consuetudinem, ut Innocentii verbis utar, operari videatur. Ergo cum per hanc accidentalium proprietatum mutationem quae a naturalibus proprietatibus haud alienae sunt, spiritus noster corpusque nostrum Spiritui Christi corporique conformentur; quod animale seminatur, spirituale resurget, et quod mortale * im-

f. 106^r

(9) Ep. Iohanni quondam Arch. Lugd.; PL. 214, 1121 (DB. 416).

immerito hoc modo nos converti et transmutari in Christum Sanctis Patribus videamur qui secundum Scripturae consuetudinem converti, transmutari, transire longe diversa significatione quam philosophi accipiunt, ut in sequenti libro plenius ostendetur. Nunc ad aliorum argumentorum responsiones transeamus.

CAPUT XII.

Responsio ad novam obiectionem.

Haec obiectio alicuius profecto momenti esset nisi Eucharistiae sacramentum amplius aliquid in se contineret quam cetera Sacramenta; continet enim, ut antea diximus, ipsam Christi humanitatem et divinitatem reipsa in se, ac non tantum corpori Christi mystico spiritualiter nos incorporat, sed naturali etiam coniunctione connectit. Qua re non est par ratio ceterorum Sacramentorum ac istius, quemadmodum postea magis demonstrabitur.

CAPUT XIII.

Responsio ad decimam obiectionem.

f. 106^v Argumentum decimum duo capita continet. Alterum est ex communi doctorum consensu docentium Ecclesiam esse corpus Christi spirituale, et non naturale, atque adeo nulla coniunctione naturali indigere. Secundum est quod si secus esset, magna absurditas sequeretur. Nam in Christo aut duo capita naturalia concedenda forent, aut duo corpora naturalia sub uno capite. Primum nos fatemur Ecclesiam Christi sponsam quae ex omnibus fidelibus tamquam ex multis membris constituitur, corpus esse Christi mysticum. Cum hoc tamen asserimus unitate naturali ipsi Christo per carnem ipsius in augustissimo Eucharistiae Sacramento nobis communicatam huius corporis membra ipsi coniungi. Nam cum spirituali vinculo caritatis Christo inserti corpus eius et sanguinem sumimus quod ipsi unitum Verbo vivificativum est, spirituales nos reddit, et quia verum Christi corpus edimus qui corporibus propriis constamus, Christus ita se nobis immiscet per Eucharistiam ut una cum spirituali nexu contingat etiam unitas naturalis.

Hoc ipsum glossa in cap. « *Quia passus* » de consecrat. dist. 2 ⁽¹⁾ affirmat exponens sententiam illam Augustini, in qua traditur commendare nobis Dominum sanguinem suum et corpus suum quod etiam fecit nosmetipsos. Haec verba exponens inquit: « Haec simplex est relatio. Nam refertur ad Ecclesiam non ad corpus suum quod natum est de Virgine, de quo sermo praecessit. Non ergo nos fecit corpus suum quod natum est de Virgine et sumitur in altari sub specie panis et vini, sed fecit nos corpus suum spirituale, licet constet de corporalibus partibus, scilicet fidelibus: quia partes eius non corporali sed spirituali * vinculo caritatis in eius compositione uniuntur, licet corpora sequestrentur. In hoc Sacramento imo et per illud digne sumptum, efficimur unum cum Christo etiam in natura ». Quid clarius dici possit non video, praesertim cum Augustinus aperte scribat ⁽²⁾, Christum non solum secundum verbum quo vivunt omnia sed secundum carnem assumptam panem esse. « Christus, inquit, panis est de quo qui manducat vivit in aeternum, de quo ipsemet dixit: *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*, Humana enim caro quae erat peccato mortua carni mundaee unita, incorporata, unum cum illa effecta vivit spiritu eius sicut unum corpus de suo spiritu. Qui vero non est de corpore Christi, non vivit de spiritu Christi ».

Haec Augustini verba non sunt exponenda de Incarnatione tantum Christi. Siquidem de pane Christo qui manducatur se loqui aperte indicat inquit: Christus panis est de quo qui manducat vivit in aeternum. Praeterea cum ait: humana caro quae erat peccato mortua neque eius caro carni unita et incorporata fuit, sed a Verbo Unigenito Dei Filio in unitatem divinae personae assumpta. Sed esto non ita sit, quod certe est, an ad hoc ut de spiritu vivamus Christi satis esset eius Incarnatio coniunctioque qua ei omnes communicamus secundum communem carnis naturam? Nequaquam profecto. Quandoquidem scelerati etiam eo modo Christo participant. Quare dubitandum non est Augustinum de carne Christi a nobis in Eucharistia manducata intellexisse; cuius quidem carni mundaee caro nostra * peccati labe infecta atque adeo per peccatum mortua uniri et incorporari dicitur qua per corporis et sanguinis eius esum unum cum illa efficimur. Qui vero spiritu eius vivimus, ut Augustinus ait, non est effectus hic Incarnationis, alioquin nemo esset qui cum de corpore Christi per carnem assumptam sit non viveret de spiritu Christi. Augustinus itaque corpus Christi nos factos et, per misericordiam eius, quod accepimus, nos esse testatur. Hoc tribui nequaquam potest carni de Virgine a Christo assumptae, quam nos non accipimus nisi per Eucharistiae sacramentum.

(1) *Glossa in Decretum, pars 3, de cons., d. 2, c. 36* « *Quia passus est* ».

(2) *Supra, p. 79.*

Confirmat hoc B. Thomas inquitens ⁽³⁾: « Caro nostra carni eius unita et incorporata unum cum illo efficitur ». Neque hic opus est ad tropos confugere, quandoquidem tropus absque necessitate admittendus non est, maxime ubi non deest aptior sensus praesertim hac in re in qua agitur de Sacramento corporis et sanguinis Christi, in quo omnem tropum tam a Christi quam a Pauli verbis abesse certum est. Sit ergo dictorum summa: Ecclesiam, fidelium coetum, Christi corpus mysticum esse atque spirituale, constans tamen ex membris corporalibus; quae quidem membra non solum spirituali verum etiam naturali connexionem cum Christo per sacramentorum mysteriorum eum uniuntur. Illud vero quod absurdum valde videbatur de duplici in Christo capite aut de duplici corpore sub uno capite facile solvitur ex eo quod corpus ipsum Christi quod mysticum et spirituale esse perhibetur, atque ex partibus tamen spirituali naturalique unitate Christo copulatis constat, non unum naturae unitate cum capite est, si unitatem aut consubstantialitatem ut inter tres divinas personas aut suppositi et numeralem ut in Christo accipias, unum tamen est gratiae habitudine corporisque Christi immortalitatis et incorruptionis participatione. Vir quoque caput uxoris esse dicitur cum qua una caro per commistionem carnalem est et corpus suum proprium habet. Diversaque admodum ratio est inter corpus Christi mysticum, quod est Ecclesia, quamvis singulae eius partes naturali etiam unitate cum ipso coniungantur, * ac inter corpus Christi quod de Virgine sumpsit aut in altari consecratur. Caput Ecclesiae dicitur Christus quoniam ab ipso tanquam capite in corpus et singula corporis membra virtus, omnis profluit, cumque non ab ipsius tantum anima sed a corpore etiam non in animam solum nostram sed in corpus pariter, per ipsam tamen animata, transfundatur per gratiam, quae licet in reliquis Sacramentis a Christi divinitate per eius humanitatem profluat, quae Christi humanitas solum secundum virtutem reperitur, in hoc tamen secundum rem esse constat ⁽⁴⁾. Unde fit ut copiosior etiam esse possit si causam respicias quae ab hoc profluit quam quae ab aliis.

f. 108^r

CAPUT XIV.

Responsio ad undecimum argumentum.

Thomas in III parte suae *Summae* ⁽¹⁾ hoc argumentum solvit declarans quo pacto per baptismum corporaliter Christo incorporamur: inquit enim: « Incorporamur ei quodammodo corporaliter, sci-

⁽³⁾ Ps. THOMAS, *De sacramento altaris*; Opera omnia, Venetiis 1593, t. 17, 50.

⁽⁴⁾ Cf. S. THOMAS, *Gent.* 4, 61.

⁽¹⁾ Q. 69, a. 5, ad II.

licet per visibile sacramentum sine cuius proposito nec naturaliter incorporari potuissent ». Longe diversa ratione signum sensibile sacramenti corpus dicitur ab ea quae corpus Christi verum sub ipso sensibili signo sacramenti contentum corpus appellatur. Id enim fere interest quod inter corpus et umbram. Nam Christi corpus verum in hoc Sacramento contentum non carneam solum significat molem ab anima separatam, sed corpus animatum; utraque scilicet natura et corporali et intellectuali cum divinitate constans. Quare « corporaliter » in unione per Eucharistiam longe aliter accipiendum est quam in unione per baptismum aliudve sacramentum. Significat enim id quod naturaliter et substantialiter cum per * verum corpus pie a nobis sump- f. 108^v
tum corporaliter ei uniri asseritur. Idem enim corpus et natura et substantia dicitur. Quamquam si exactius rem considerare velimus, substantialis unio proprie dicitur cum integris panis et vini speciebus corpus Christi eiusque substantia intra nos immissa manet, a qua virtus in animam nostram influit. Quae quia a vera Christi natura et humanitate quae secundum rem est in hoc Sacramento, proficiscitur, naturaliter nos Christo uniri proprie asseritur. At quoniam haec virtus a divinitate Christi per eius humanitatem secundum rem, ac non secundum virtutem tantum inexistente emergens ex anima in corpus quoque derivatur ac redundat, corporalis unio recte appellatur, quamquam doctores plerumque substantialis, naturalis corporalisque unionis appellatione promiscue utantur. Nos etiam nonnumquam iisdem vocibus indistincte utimur. Sed de his infra latius agetur.

Nunc ad responsionem ipsam redeamus. Longe aliud est externo sacramenti elemento, quod signum sensibile est, corpus exterius tangi, aliud ipsum Christum secundum veram corporis sui naturam, quae coniunctum instrumentum appellatur, intra nos ipsos habere. Praeterea cum usitatum sit inter theologos gratiam distingui a natura et e diverso (gratia enim accidens est, natura vero substantia) unio, quae per gratiam est a vera Christi natura proficiscens, recte naturalis esse affirmabitur. Quamquam haec nobis neque contingit nisi prius per gratiam Christo spiritualiter connexis. Hanc vero unionem omnia Sacramenta conferunt, licet proprius ac peculiaris baptismi effectus sit nos * (Christo tamquam capiti spiritualiter incorporare, Eucharistia vero incorporationem per gratiam perficit ac naturaliter etiam nos Christo unit ea quam diximus ratione. Illud autem quod dicitur sequi idem ad seipsum valde alienum est a proposito tum quia, ut dictum est, corporalis unio quae per Eucharistiam efficitur non est eadem cum corporali unione quam per baptismum fieri Thomas inquit, quia per visibile sacramentum Christo baptizati incorporantur et supra videndum, tum etiam quia cum homo ita sit unum ut et pluribus partibus constet, corpore videlicet et anima; anima rursus ita est ana f. 109^v

ut plures facultates habeat (eadem enim et intellectualis et animalis, hoc est vitalis) iuxta diversas naturas et diversas animae facultates homo coniungi ac perfici poterit absque eo quod dicatur idem sequi ad seipsum, et quemadmodum altera est virtus totius tanquam unius rei absolute et per se spectata, ut hominis quatenus homo est: altera partis ut corporis vel animae quatenus corpus vel anima pars totius hominis est ac rursus altera est virtus totius animae et una res est. Et altera uniuscuiusque animae facultatis et unaquaeque facultas pars eius est, ita etiam altera est unio totius hominis iuxta utramque corporis scilicet et animae naturam, altera quae secundum alteram tantum partem hominis fit. Et quum per Eucharistiam totus Christus iuxta utramque naturam nobis uniatur et in nobis maneat et nos in ipso, non poterit dici sequi idem ad seipsum. Antea enim secundum unam tantum partem illi coniungebamur.

CAPUT XV.

f. 109^o * *Responsio ad monstra et absurda quae ex hac naturali unitate sequi nonnulli contendunt.*

Sex asserunt sequi monstra ex hac naturali unitate, quae quidem recte monstra nuncuparentur si ita, ut aiunt, ex hac naturali per Eucharistiam cum Christo coniunctione ea orirentur. Quin potius deploranda est eorum hominum ignorantia qui cum Capharnaitis Christi carnem more caeterarum carniū a nobis edi digerique et in corporis nostri substantiam converti arbitrantur, carnisque nostrae in Christi carnem conversionem absque alterutrius corruptione fieri non posse aut quin ex utriusque carnis inter se commistione tertia quaedam natura resultet quod Eutiches dicebat de natura humana et divina in una persona hypostatica unitis ⁽¹⁾. Emergere enim putabat tertiam quamdam naturam. Haec omnia id genus nimirum sunt ut responsione non egeant si unitatis significationes distincte percipiamus. Nam ex illarum ignorance haec omnia monstra oriri iis videntur qui nolunt intelligere quo pacto unum naturali unitate plura esse dicantur quae non sunt consubstantialia aut unitate suppositi quam numeralem nuncupant. Quapropter non ab re fuerit unitatis atque unius modos distinguere.

(1) De mente Eutichetis cf. M. JUGIE, *Monophysisme*, DTC; P. PARENTE, *De Verbo Incarnatio*, Romae 1946, p. 41-43.

CAPUT XVI.

Quot modis unitas et unum accipiuntur.

Ne de unitate et de uno verborum aequivocatio tenebras * nostro f. 110^r
sermoni offundat, quid unaquaeque dictio in praedictae naturalis uni-
tatis assertione posita significet declarem: praecognitio enim ter-
minorum magnam semper lucem rei demonstrandae attulit. Et cum a
rebus compositis omnis nostra cognitio accipiatur, facilius unitatis
accepciones percipiemus unius significatione intellecta. Non ergo mo-
lestum fore lectori arbitramur si aliquanto latius hanc rem distinxerim.
Unum igitur multis modis dicitur: nam et principium numeri
unum dicitur, et id etiam quod convertitur cum ente.

Est praeterea unum quod est ente superior de quo hic non lo-
quimur. Porro de uno illo quod Zeno Eleates sensibilibus ait
inesse rebus, et de illo quod in intelligibilibus Socrates, atque
de illo alio quod super intelligibilia de quo Parmenides (om-
nes enim hi de uno non minus erudite quam obscure sibi invicem
consentientes tractarunt) supersedemus quidquam dicere. Primum il-
lud unum arithmeticum considerat de quo in praesentiarum nihil di-
cendum nobis est. Aliud est quod enti additum ut dividi non possit
efficit, de quo methaphysicus et logicus disserentes unum esse aiunt
quod unionem habet: hoc Aristoteles (1) dixit esse quorum
genus unum est differens appositis differentiis vel quarum una est
ratio aut quorum una est materia aut quaecumque unum sunt pro-
portione.

Praeter hos quatuor modos quibus unum methaphysicus et dia-
lecticus investigant, philosophus unum praecipue appellat quod con-
stat ex pluribus quae constituunt integritatem rei substantialem ut ho-
mo constans ex corpore et anima: et aliqua plura unum effici ait ut
ex perfectis sed transmutatis, sicut mistum quod * fit ex elementis; f. 110^v
vel ex aliquibus non permistis neque permutatis sed imperfectis, que-
madmodum ex anima et corpore fit homo aut corpus unum quod ex
diversis membris constituitur. De uno praeterea disserit quod ex sub-
iecto et accidente constat, quod licet non dicatur unum ratione unius
essentiae, unius tamen subiecti respectu unum appellatur. Emanant
enim propria accidentia a subiecto non per aliquam transmutatio-
nem sed per naturalem quamdam emanationem, quemadmodum natu-
raliter ex luce calor emergit (2).

(1) *Metaph.* V, 6, 1016 a, 24.(2) Cf. L. BILLOT, *De sacramentis*, Romae 1931, I, p. 517, qui eadem ratione interpretatur mentem S. Thomae.

Theologus autem divina sublimius perscrutans praeter dictos modos quibus unum aliqua dicuntur Patrem, Filium et Spiritum Sanctum tres distinctas personas unum essentia naturaque per circummissionem fatetur, differentes tamen supposito. Duas itidem distinctas naturas, humanam scilicet et divinam quae ex tribus substantiis constant, unum unitate personali agnoscent, in quo corporis et animae et deitatis una tantum est hypostasis, e diverso haec unitas cum superiori illa se habere videtur. In illa enim quod est unum essentia multiplex est persona, in hac vero quod unum est supposito multiplex est essentia ut sic Deus omnia in omnibus sit; unitati consubstantiali trium personarum, et personali duarum in Christo naturarum ineffabili vinculo sibi unitarum summi viri duas naturales unitates addunt⁽³⁾. Una qua Christus unum nobiscum est, altera qua nos cum Christo unum. Ad hanc triplicem hominis cum Deo coniunctionem ex triplice gratia, unionis, scilicet, adoptionis, et gloriae diligenter in *dagant. Speculantur etiam una cum Philosopho⁽⁴⁾ quo pacto intellectus cum re intellecta ac voluntas cum re volita sensusque cum re sensibili unum esse dicantur.

Ex his igitur omnibus constat « unum » creatis in rebus dici quod aut genere, aut ratione, aut materia, aut proportionem unitur, natura se compositione, sive immistione, sive animae quacumque operatione, sive praepotente Dei potentia unionem habet. De unitatis modis Joannes Damascenus⁽⁵⁾ et Demetrius totius Bulgariae Archiepiscopus⁽⁶⁾ appositis praesenti speculatione tractasse videntur. Hi ergo unitatem variis, inquit dici modis: aut enim secundum conspersionem ut in diversis farinis subactis et commistis, vel secundum conglutinationem ut in aere et argento, vel secundum confusionem ut in iis quae liqueferi possunt et in metallis, puta in cera et pice et auro et argento, vel secundum temperaturam ut in humidis, puta in vino et aqua, vel vino et melle, vel secundum habitum ut in sententiis et amicis quum duo aut tres homines in unam sententiam et in unam conveniunt voluntatem, vel secundum acervationem ut in siccis, frumento videlicet et hordeo et similibus, vel secundum concretionem quam synaloefam vocant ut in avulsis et rursus apposis, puta in lampade ex igne procedente et in ignem rursus apposita.

Dionysius Areopagita⁽⁷⁾ et S. Maximus⁽⁸⁾

(3) Nempe Hilarius, Albertus Magnus, Turrecremata, de quibus supra, p. 33.

(4) Cf. *De anima* II, 1, 412 b, 6-10.

(5) *Dialectica*, c. 66; PG. 94, 662.

(6) Vide quae infra p. 164 dicimus de hoc Demetrio cognomento Chomitiano.

(7) Cf. *De Divinis Nominibus*, c. 13, c. 2; PG. 3, 978-979.

(8) Cf. *In lib. de Divinis Nominibus*, c. 13 § 2; PG. 4, 406-410.

eius interpres unitatem et unionem unitaque ea dicunt quae mutuo seipsis participant. Athanasius in *libro definitionum* ⁽⁹⁾ quid sit unitas et unio et quot modis intelligatur his verbis indicat: « Unio est rerum inter se * distantium communis convenientia quaedam. Dic- f. 111' ta autem est unio propterea quod unum fiant, hoc est quod res coeant et commisceantur. Porro quinque modis unio dicitur: commistiva, divisiva, habitualis, positiva et unio sancta Christi quae praeterea secundum hypostasim dicta est. Atque unio quidem commistiva dicitur qualis est vini et aquae, divisiva qualis est hominis ad hominem. Habitualis qualis est auri ad aurum. Unio autem Christi super illas secundum hypostasim dicitur. Secundum hypostasim vero unio est per se subsistens convenientia duarum naturarum in utero Deiparae Virginis. Non enim ante Verbum quod Deus est substantialiter ibi fuit corpus vel anima sed simul caro et Deus qui Verbum est simul, caro animata et rationalis simul in eo fuere. Quemadmodum de nostra quoque conceptione videtur quod anima per se subsistens simul concurrat cum corpore. Nam corpus per se subsistere non potest neque anima subsistit ante corpus. Quae unio unionis Domini fuit imago quaedam ». Haec Athanasius.

Satis sit haec de unitatis et unius significationibus dixisse ex quibus constat unitatem sive unionem non significare identitatem solum consubstantialiam qualis est per circumincessionem inter Patrem et Filium, neque hypostaticam ut est divinae et humanae in Christo naturae sed etiam convenientiam communicationemque quamdam rerum inter se distantium quae unum fieri dicuntur quum communione inter se coeunt et commisceantur. Convenientiae autem et communicationis unitatem nihil absurdum sequitur. Porro communicatio, ut Theophylactus ⁽¹⁰⁾ post Chrysostomum est auctor, summam significat unionem. Unde non dixisse Paulum participationem ut * superius allatum f. 112' est sed communicationem ut aliquid excellentius indicaret, summam scilicet unionem ab eo observatum est ac paulo post: communicavimus, exponit, hoc est unimur Christo.

Quenam haec convenientia et communicatio sit qua Christi caro et nostra unum fiunt eo quod etsi distent suppositis, inter se coeant et commisceantur, Chrysostomus nos docet quum inquit ⁽¹¹⁾: « Sed quum prius carnis natura a terra formata per peccatum mortalis effecta et a vita deserta esset, aliam, ut ita dicam, massam et fermentum induxit, hoc est carnem suam natura quidem eandem sed a peccato liberam et vitae plenam quam omnibus tribuit ut participes fierent ut ea nutriti et priore abiecta quae mortua erat per hanc

⁽⁹⁾ Ps. ATHANASIUS, *Liber definitionum*, n. 5; PG. 28, 543-546.

⁽¹⁰⁾ *In 1 Cor.* 10, 16; PG. 124, 685.

⁽¹¹⁾ Cf. *Hom.* 82 in *Mt.* n. 5; FG. 58, 744.

massam in vitam immortalem commisceremur ». Eadem quae Chrysostomus, Gregorius Nyssenus praeclare scribit, cuius verba superius allata sunt ⁽¹²⁾. Ergo concedi doctores omnes oportet unum fieri hac ratione posse ea quae inter se distant absque unius essentiae in alteram formali conversione.

Sed tamen non satis adhuc ab ipsis percipi video quo pacto naturaliter uniri proprie dicuntur ea quae neque identitati consubstantiali neque personali, hoc est hypostatica, unita sunt. Naturalis enim vox unitati adiuncta distinctionem omnem tollere ipsis videtur. Quare nonnulli vel improprie ac per hyperbolem unitatem naturalem a Sanctis Patribus hanc dici asserunt, vel naturalem ea accipi significationem volunt quae verbum naturae secundum Ecclesiae sensum et consuetudinem Scripturae Sanctae nonnunquam accipitur, ut adnotavit Anastasius Antiochenus ⁽¹³⁾, in explanationibus nonnullarum vocum quas ex Clemente Romano se ait collegisse, in quibus naturam pro veritate sumi testatur. Itaque unione naturali * uniri idem esse asseverant quod vera. Haec quorundam expositio confirmari videtur Cyrilli auctoritate in interpretatione anathematis ut extat in concilio Ephesino graeco in libro cui titulus: « Antidotum adversus omnes haereses » ⁽¹⁴⁾ quo in loco naturam pro veritate sumi scribit quemadmodum et illud Pauli ⁽¹⁵⁾: « *Et eram us natura filii irae sicut et caeteri* ».

Praeterea fieri non posse, aiunt, ut proprie naturalis unitas ea dicatur quae participationem et communicationem accidentalium Christi carnis proprietatum nostrae carni tantum praestat. Nam unitas naturalis ea dicenda censetur, qua distantia inter se in natura substantiali invicem conveniunt, unumque naturaliter, multa esse propter substantialem unitatem, qualis inter nos et Christum, quatenus homo est, reperitur. Hanc autem unitatem inter nos et ipsum existere antequam eius corpus in Eucharistia sumamus perspicuum est. Eam vero quae per Eucharistiam accedit, accidentalem proprie magis vocandam esse censent utpote quae convenientiam cum Christi carnis qualitatibus efficiat, ac, ut Cyprianus inquit ⁽¹⁶⁾, « non miscet personas neque unit substantias sed affectus consociat et confoederat voluntates ». His omnibus, ut abunde satisfiat, haud ab re erit « naturalis » et « naturae » vocum significationes diligentius indagare.

⁽¹²⁾ *Oratio catechetica*, c. 37; PG. 45, 94. Redi ad p. 77.

⁽¹³⁾ Seu SINAITA, *Viae dux*, c. 2; PG. 89, 55-56.

⁽¹⁴⁾ Cf. *Apologeticus pro XII capitibus adversus Orientales episcopos*; PG. 76, 374.

⁽¹⁵⁾ *Eph.* 2, 3.

⁽¹⁶⁾ Ps. CYPRIANUS, *De cena Domini*; Cypriani opera ed. Coloniae Agrippinae 1617, p. 273 A.

CAPUT XVII.

De « naturae » et « naturalis » vocum significatione.

Natura, ut a metaphysicis traditur, pluribus accipitur modis (1). Primo dicitur generatio viventium quasi nascitura vel a nativitate. Secundo accipitur, pro eo quod est intrinsecum principium motus primo et per se in re naturali. Et quoniam duplex consideratur f. 113^r principium motus, alterum primum, alterum secundarium quod se habet ut instrumentum agens in virtute primarii principii, illud est forma substantialis; hoc ipsius formae qualitas naturalis ut in igne est forma ignis et levitas naturalis qualitas per quam ignis sursum fertur, hoc tamen a forma substantiali praecipue habet. Tertio sumitur pro essentia ut scholae loquuntur, ut quum dicimus aliam esse naturam substantiae, aliam quantitatis, aliam qualitatis. Quarto pro quacumque differentia specifica. Quinto pro quacumque proprietate consequente rem inseparabilem. Sexto pro causis motivis universalibus ipsius universi, tam intellectualibus quam corporalibus. Sic dicimus conservationem speciei esse per se intentam a natura, corruptionem autem et mortem a natura universali non autem a particulari. Septimo pro essentiali rerum ordine concurrentium per se et principaliter ad perfectionem universi absque mutatione aliqua. Praeter has naturae significationes quibus physici utuntur, medici insitam atque innatam rebus qualitatem et quattuor elementorum mixturem et temperiem naturam vocant. Philosophi morales consuetudinem nonnumquam naturam appellant atque alteram naturam esse asserunt. Plerique pro Deo naturam sumunt qui Deum non in se considerant sed ut dirigentem omnes causas secundas quoad actiones naturales vel ut est omnium motuum primum principium iuxta ordinem rebus firmum et stabilem * ab eo praefixum. Qui proprius naturam ipsam designant f. 113^v aiunt esse divinorum operum ordinem et seriem quae Dei potentiae illiusque verbis ac iussis obsequitur, ab eoque vires mutuatur. Harum omnium descriptionum praecipua causa et origo ab aeterna illa mente tamquam ab uberrimo fonte promanat. Mens enim seu divina ratio opera naturalia efficit atque existentes res conservat in quibus elucet atque expresse se proferunt divinitatis vestigia. Ceterum quoniam apud philosophos, ut *Damasceus* adnotavit (2), natura a substantia distinguitur, (vocant enim substantiam quod simpliciter est, naturam vero substantiam signatam et specificam substantialibus differentiis, idest species specialissimas ut angelum, hominem, equum, canem) veteres

(1) Cf. S. THOMAS, *S. Th.* 3, q. 2, a. 1.

(2) *Dialectica*, c. 30; PG. 591.

Patres, vocant inutiles et difficiles contentiones omittentes, communiter quidem, et de multis dictum, idest, speciem specialissimam, substantiam, et naturam et formam vocarunt ut angelum, hominem, equum, canem.

f. 114^r Ex supradictis constat sub naturae appellatione genus et formam atque ex genere et forma constantem substantiam cuiusmodi est corpus comprehendi, virtutem quoque ex divino praecepto unicuique datam, secundum quam agere et pati nata est. Consideratis igitur « naturae » acceptionibus, vocis « naturalis » significationes perspiciamus. Naturalis a natura denominatur; atque id naturale appellatur quod natura constat quodque substantialiter natum est moveri * et quiescere et non secundum accidens naturaliter esse dicitur. Ad haec, naturale amplius significat quam natura: ea enim, quae rei naturali, praeter essentiam vel naturam quam habet, accidere possunt, comprehendit, quemadmodum homini praeter humanitatem qua homo est multa accidunt quae sub humanitate ipsa tamquam speciei essentia non comprehenduntur. Concordi enim omnium doctorum sententia concretum amplius complectitur quam abstractum. Inter alias itaque istius vocis « naturalis » acceptiones nostro proposito maxime convenit cum « naturale » dicitur quod ex natura vel naturali principio tale est. Id quod recte « naturale » appellatur ut opponitur contra actionem quae dependet a libertate voluntatis. Item ut opponitur contra violentum.

f. 114^v His ita traditis facile est ostendere « naturalis » ad unitatem adiectionem, significationem unitatis, qua convenientia et communicatio atque omnimoda assimilatio inter Christi naturam et nostram significatur, haud ita restringere, ut improprie naturalis ea unitas appellari censenda sit quia accidentalium tantum proprietatum unionem et communicationem praebet. Ex supra dictis enim patet naturale dici quidquid accidere potest rei naturali. Unde naturalis proprietas ea dicitur quae naturam constitutam ex genere et differentia consequitur et ab ipsa profluit et dicitur essentialis eo quod a tota essentia emanat, atque absque ea natura non existit et quaecumque homines habent a conditore data secundum * Sanctos Patres, et verum sermonem, ut Joannes Damascenus tradit ⁽³⁾, naturales sunt proprietates et quae plasmationis et quae corruptionis. Ecce naturale non solum essentiam sed et essentiae accidentia vel ea sine quibus natura constitui non potest, vel ea quae a Conditore sunt data comprehendit. Hinc inter qualitatis species potentia vel impotentia naturalis connumeratur, quae quamvis substantiae ipsi accidat naturalis dicitur, pronitatem in virtutem vel in vitium quis naturalem esse negabit? Mortem quoque per peccatum a Deo primo homini praecepto divino inflata fuit et per eum deinde in omnes transmissa naturalem dicimus;

(3) Cf. *De duabus voluntatibus*, n. 5; PG. 95, 134.

et ut inter naturales proprietates ea quae generationis et corruptionis sunt *Damasenus* (4) computat, non video cur ea quoque quae regenerationis et gratiae divina voluntate naturae hominis Christo uniti accidunt, a naturali proprietate aliena censenda sunt praesertim cum eiusmodi qualitates post hanc vitam sint inseparabiles a substantia; et ut ignem caliditas et mel dulcedo inseparabiliter consequens naturales proprietates ab *Aristotele* dicuntur, et a *Joanne Damasceno* (5) secundum substantiam inesse dicuntur, sic omnimoda spiritus et carnis ad Christum assimilatio atque per carnem suam cum carne nostra arctissima coniunctio, naturalis unitas recte et proprie vocatur. Assimilamur enim, et non tantum per gratiam voluntatis ipsius, secundum communes humanae naturae * qualitates secundum quas ipse nobis similis factus est, sed etiam per eius corporis dignam assumptionem secundum hypostaticas vivificatrices eius carnis et spiritus in gratuitis et naturalibus proprietates et perfectiones. Quapropter et unitatis et naturalis nomine proprie admodum Sancti Patres usi esse videntur. Neque tropice eos loquutos opinandum est cum «naturalis» voce utantur in solvendis haeticorum argumentis a quo omnis improprietas et methaphora aliena est. f. 115

Et licet ea quae nobis accidunt voluntate et gratia divina non dicantur «naturalis» proprietates quia non profluunt a natura sed a principio extrinseco, habent tamen esse naturale et specificum ac si eadem producerentur ab agente naturali. Neque agentis diversitas nec diversus productionis modus speciem diversam efficiunt. Qui enim cum caecus natus est et per miraculum visum recipit naturaliter postea cernere dicitur quemadmodum et qui semper videt. Animal etiam quod per putrefactionem gignitur naturaliter etiam vivit ac genitum per generationem. Cum itaque ab hoc divinissimo Sacramento ex divinitate Christi per eius humanitatem donum illud et gratia profiscatur per quam naturaliter corporaliterque Christo unimur donumque et gratia haec habeat suum esse specificum, quisquis eo dono participat naturali unione duplici ratione participat tum quia communicat in eadem doni natura, tum quia donum ipsum, ut saepius dictum est, non a sola Christi humanitate secundum virtutem sed secundum rem in Eucharistia existentem profluit.

Confirmat hoc ipsum *Athanasius* inquitens (6): «Homines qui similes inter se sunt * cum sint eadem natura coniuncti eiusdemque naturae esse censentur». Eadem hominis naturae accidentia identitatem quoque naturae inter homines indicant. Ergo cum cognatus et eiusdem naturae nobiscum nobisque naturaliter consubstantialis per f. 115

(4) Cf. *De duabus voluntatibus*, n. 5; PG. 95, 134.

(5) *Ibidem*.

(6) Ps. *ATHANASIUS, De definitionibus*, c. 1; PG. 28, 538.

carnem assumptam factus sit Christus humanaeque naturae accidentia induerit, eo quod a nobis humanam naturam sumpsit, pari ratione cum rursus unitur nobis per carnem ipsius digne a nobis comestam nosque et per eandem carnem copulamur, naturaliter uniri dicimur atque eadem eius naturae accidentia identitatem quamdam Christi carnis proprietatum inter Christum et nos ostendunt. Unitati igitur primae naturali quo Christo eo quod homo factus est unimur et in Christo secundum communem naturam sumus quam «divisivam» Athanasius appellat (7), accedit haec secunda unitas naturalis per Eucharistiam et hanc unionem omnimoda accidentium assimilatio ad ipsius carnem immortalem et incorruptibilem comitatur; ac ut primam illam naturalem unitatem per carnem a Christo assumptionem eadem mutabilitas et mortalitas quae in nobis ex peccato in Christo vero absque peccato sequuta est, ita hanc secundam quae inter nos et Christum per eius carnem et sanguinem a nobis digne sumptam reperitur, eadem immutabilitas et immortalitas quae in divina Christi carne est, in nobis eius divina voluntate consequitur, in quam per mysticam benedictionem Christo communicantes commiscemur. Haec igitur communicatio, unitas naturalis summa cum ratione a Sanctis Patribus nuncupata est, licet sit supra communem ipsius carnis, vita destitutae per peccatum, proprietatem. Proprie nempe naturalis unio f. 116^r dicitur quae ex Christi natura proficiscitur, quae etiam * non per operationem voluntatis et intellectus solum emergit, item quae violenta non est.

Redeamus nunc ad respondendum iis qui naturalem hanc unionem non aliud significare quam veram affirmant, innitentes significationi qua secundum Ecclesiae sensum natura pro veritate accipitur. Hi certe longe falluntur nisi una cum vera realem et substantialem unionem esse intelligant. Fatemur namque naturam secundum Scripturae consuetudinem nonnunquam pro veritate accipi ut Anastasius et Cyrillus observarunt, Athanasius quoque in lib. definit. (8): «Naturale, ait, est quo naturaliter inhaeret vel veritas vere cognita». Negamus tamen cum de hac naturali unionem sermo est Sanctos Patres a veritate naturam ipsam et essentiam seiunxisse, quod vel abunde docent Sanctorum Patrum testimonia in quibus, ut ex superiori libro satis constat, non naturaliter solum sed et corporaliter et carnaliter per sacram Eucharistiam Christum in nobis et nos in Christo manere, hoc est invicem uniri, spiritui carnisque eius communicare saepius dicitur. Ad haec cum Anastasius de ea naturae vocis significatione loquitur, essentiae et substantiae veritatem ipsam per natu-

(7) Ps. ATHANASIUS, *De definitionibus*, c. 5; PG. 28, 543.

(8) Ps. ATHANASIUS, *Liber definitionum*; PG. 28, 333.

ram significatam inniti asserit. Anastasii verba sunt (9): « Καὶ φύσις μὲν ἐστὶ, κατὰ τὸ φρόνημα τῆς Ἐκκλησίας, ἀληθῆς πράγματος ὑπαρξίς » Hoc est: Natura quidem est secundum Ecclesiae sensum vera rei substantia. Rursus: « Φύσις ἐστὶ κατὰ τὸν θεῖον Ἀπόστολον, πᾶν τὸ ἐν ἀληθείᾳ ὄν, ἀλλ' οὐκ ἐν φαντασίᾳ λεγόμενον »: Natura est secundum divinum Apostolum omne quod vere est, non autem quod imaginatione dicitur. Et iterum: « Φύσιν λέγει ἡ Ἐκκλησία τὴν τῶν ὑπαρχόντων ἀληθειαν, ἧγουν τὸ τοῦτων ἐνούσιον » Hoc est: Na * turam vocat Ecclesia rerum subsistentium veritatem, harum videlicet substantiam ». Praeterea si naturaliter nihil aliud quam vere nos Christo uniri significat, isto pacto spiritualis itidem unio naturalis dicitur, quando veram illam unionem esse a nemine dubitatur, vereque Spiritus Deo adhaerens unus cum eo fit. Ergo hac ratione frustra Sancti Patres spiritualem a naturali unitate distinxerunt.

Satis declaratum esse existimo absque improprietas aut hyperbole aliqua naturalem unitatem appellari quae inter nos et Christum asseritur per dignam corporis et sanguinis eius sumptionem. Siquidem qui eadem natura communicantes, quatenus homo est, cum ipso unum eramus, per hanc unionem tamquam per instrumentum ipsi coniunctum nostraeque carni cognatum, hypostaticas eius, quae propria Verbi est, carnis proprietates communicamus; ac quemadmodum communi humanitatis essentia consubstantiales ipsi coniuncti homines facti sumus, sic singulari eius humanitatis proprietatum communicatione unum naturali cum ipso coniunctione singuli efficimur: neque obstat quod haec assimilatio supra naturales corruptae humanae naturae proprietates nos supernaturaliter evehat. Nam ob aptitudinem a Deo nobis ab initio praestitam, imaginemque suam nobis impressam ad divinum consortium consequendum deificationemque spiritus et corporis obtinendam, qua natura nostra perficitur, naturaliter ipsi uniri et incorporari naturali hac virtute atque aptitudine ad ipsam supernaturalem perfectionem adipiscendam a Deo apti conditi fuimus cum ad imaginem eius facti sumus, similitudinem quoque per divinarum * virtutum imitationem adepturi. Profecto haud caret mysterio quod cum in *Genesi* (10) legatur statuisse Deum *creare hominem ad imaginem et similitudinem suam*, quum ab eo creatus narratur, similitudinis nulla fit mentio, sed ad imaginem tantum conditus esse dicitur iuxta hebraicam veritatem; eam videlicet ob causam, ut *Isidorus Pelusiotus* (11) inquit, (quanquam Hebraei haud divinum mysterium penetrantes idem esse imaginem cum similitudine tradunt), quoniam similitudo in innocentia et iustitia reliquisque animi vir-

f. 116^vf. 117^r(9) ANASTASIUS SINAITA, *Viae dux*, c. 2; PG. 89, 55-56.(10) *Cap. 1, vers. 27.*(11) *Epistolarum* l. 3; ep. 95 *Isidoro Diacono*; PG. 78, 803-804.

tutibus atque, Unigenito Dei Filio homine facto in corporis etiam immortalitate et beatitudine consistit, quam homo divinae naturae participatione et perfecta similitudine unioneque cum ipso Christo acquisiturus erat, sine qua neque bonus neque perfectus neque Deus quodammodo fieri potuit. Unde cum omnia a Deo creata valde esse bona divino testimonio Scriptura comprobet, quum creatum fuisse hominem refert nihil de eius bonitate perfectioneque addit; nimirum quia perfecta Dei similitudo probitate sanctitateque vitae nobis ad eam aptis natis Deoque gratis comparanda erat.

f. 117^v Postquam autem fraude diaboli peccato inobedientiaque nostra a gratia excidimus vitamque ipsam expulimus, natura filii irae remansimus ablato a nobis spiritu qui substantiam nostram a terra creatam et corruptioni interituque obnoxiam ad divinae naturae participationem evehit; divinae tamen bonitatis immensa humanitas, ut inquit Dionysius ⁽¹²⁾, providentiam curamque nostri quae per se curat omnia pro sua erga nos benignitate non abiecit, sed nostrorum vere facta particeps sine peccato atque cum humilitate nostra * unita, cum suorum, nec confuso nec imminuto ulla ex parte statu, et secum communionem nobis, ut eiusdem generis, deinceps concessit et participes sociosque declaravit suorum honorum. Hanc societatem communionemque et perfectionem per sacra mysteria quae nos unum cum Christo spiritu corporeque omnimoda similitudine efficiunt, ut antea dictum est, praecipue nanciscimur. In ipso enim verius vita nostra consistit quam in nobis. Unde illud ⁽¹³⁾: « *In ipso vita erat* ». Et rursus ⁽¹⁴⁾: « *Qui manducat me et ipse vivet propter me* ». Hinc sacris mysteriis initiatos Paulus, ut S. Maximus in Dionysium testatur ⁽¹⁵⁾, perfectos vocat tamquam Christi imagini configuratos et omnino consimiles. Satis iam ostensum est nihil absurdi unitatem hanc continere, non item omnem substantiam ac omne corpus substantiale hypostatice solum uniri.

Ceterum ut iam philosophicis rationibus argumentosis istis omnibus satisfiat, meminisse oportet naturam substantiamque, teste Aristoteles ⁽¹⁶⁾, aliam materia, aliam forma, aliam compositum ex iis dici. Naturaliter quoque aliquid sic agi dicitur ut aptum natum est agi, et e contrario sic aptum natum est agi, ut fit, nisi impediatur. His itaque cognitis cum Christi corpus naturale corpus sit, et nostrum itidem naturale corpus esse constet, atque apte natum per sacra mysteria consors fieri corporis Christi proprietatum, idque perficitur

⁽¹²⁾ *De Ecclesiastica Hierarchia*, c. 3, § 11-12; PG. 3, 439-442.

⁽¹³⁾ *Jo.* 1, 4.

⁽¹⁴⁾ *Jo.* 6, 58.

⁽¹⁵⁾ *In Caelestem Hierarchiam*, c. 1, § 3; PG. 4, 34.

⁽¹⁶⁾ *Metaph.* V, 4, 1014 b; 16-1015 a, 19.

cum per ea ipsi naturaliter unimur; non est, cur duo corpora perfecta uniri nequeant absque illis monstrosis * illationibus vel unionibus hypostaticis quas sibi fingunt qui corpus Christi non aliter cogitatione percipere videntur, quam qua corpus hoc nostrum, vel arietis carnes. f. 118^r
Unde id omne de eo asseri posse negant quod de carnea corporis mole asseri non posset. At si nobis ex eodem Aristotele obiicias, naturalia omnia determinatam habere quantitatem per quam duo corpora naturaliter uniantur, corpus vero Christi in hoc sacramento quantitatem habere quae substantiam consequitur, carere autem quantitate extensiva in ordine ad species, atque ideo nequaquam coniunctionem ipsius corporis cum nostro corpore naturalem dicendam esse. Huius obiectionis facilis est solutio cum christiano notum sit id quod corporis sensibus in hoc Sacramento secundum nudae naturae proprietatem insensibile est, sub extranea specie, visibilis scilicet creaturae assumpta, sensibile esse. Eodemque pacto verum Christi corpus quod in Eucharistia spirituali modo est atque ideo sensibile sub aliena specie corporaliter tangi, manducari et videri vere creditur, eo etiam modo quo corporaliter tangitur, manducatur et videtur, corporaliter etiam coniungitur et unitur. Sed de his infra plenius quum de qualitate huius coniunctionis disseretur agemus. Ex his vero quae dicta sunt satis constat eorum error et imperitia qui naturalem unionem absque suppositorum confusione hypostatica coniunctione fieri non posse clamitant.

CAPUT XVIII.

* *Responsio ad Innocentii conciliique generalis decretum* f. 118^v

Si concilii generalis Innocentii decreto praedicta naturalis corporalisque unitas damnata foret, non opinor tot doctissimos gravissimosque viros, qui post Innocentium eam docuerunt, errorem universalis Ecclesiae iudicio damnatum probaturos fuisse. Atqui Albertus Magnus, B. Thomas, Waldensis et Cardinalis Turrecremata (1) quos verisimile est Innocentii scripta legisse diligenterque observasse hanc de naturali unionem doctrinam ut ipsius Innocentii atque adeo priscorum Patrum sententiae consentaneam omnes uno, quod aiat, ore professi sunt. Neque arbitrandum est priscos Patres in exponendis Scripturis afflatos falli potuisse quin eo ipse totius Ecclesiae et conciliorum universalium auctoritas in dubium vocetur quae tanta semper fuit ut in sopiendis

(1) Quorum testimonia supra relata sunt, p. 33.

olim acerrimis haeresibus Theodosius Imperator ⁽²⁾ nullam, aut breviorē aut certiorē viam invenerit quam ut eorum Patrum testimoniis qui haereticorum tempora praecesserant fidei dogmata confirmarentur, atque eo modo finis immortalibus haereticorum cavillationibus imponeretur. Caeterum ad ipsius epistolae partem quam adversus nos adferunt elucidandam veniamus, eaque est in qua continentur verba Christi dicentis: « *Volo Patēr ut unum sint in nobis sicut et nos unum sumus* » ⁽³⁾. His verbis motus Abbas Joachim adversus Petrum * Lombardum magistrum sententiarum veram essentiae unitatem in divinis personis tolli contendebat, collectiveque seu similitudinarie unum tantum esse Patrem et Filium et Spiritum Sanctum asserebat. Sed hanc haeresim Concilium illud Lateranense Innocentiusque damnant. De naturali vero unitate qua fideles in Eucharistia in unum corpus cum Christo coniunguntur, Innocentius ac Patres in illo concilio congregati ne loquuti quidem sunt. Quod Innocentius statuit tantum est Christum non orasse pro fidelibus ut essent unum ita ut attenderetur identitatis unitas in natura, sed ut unio caritatis in gratia intelligeretur ⁽⁴⁾. (Haec enim naturam perficit et immortalē ex mortali reddit.

Neque vero nos cum de naturali cum Christo unitate loquimur unitatem deitatis statuimus, quam Hilarius etiam excludit, inquit ⁽⁵⁾: « Omnis comparatio ad intelligentiae formam praesumitur ut id de quo agitur secundum propositum exemplum assequamur ». Et paulo post se ipse declarans non esse omnimodam similitudinem ait: « Sed talem quae congruat naturae nostrae »; nimirum in istis eorum objectionibus occurrens qui ex conclusione Hilarii naturali unitate unum nos cum Christo statuentis inferre poterant esse nos unum Patri eadem ratione qua Christus est unum Patri, quod quidem falsum est. Nam unitas nostra cum Christo est iuxta naturam carnis quae quidem naturae congruere potest. Unitas autem Christi cum Patre est iuxta naturam divinitatis quae est inter Patrem et Filium de qua loquitur Innocentius. Hoc ipsum quod Hilarius, Cyrilus

f. 119^v septua * ginta annis Hilario iunior docet de coniunctione per dilectionem loquens, non effici posse ut incommutabiliter in identitate substantiae ita uniamur ut modum unitatis divinae assecuti videamur. « Illa enim, inquit ⁽⁶⁾, cum naturalis et vera sit, in substantiae ratione inspicitur, haec vero unitatis habitum imitatur. Quomodo enim veritati primitivae per imitationem nos adaequabimur? Non enim

⁽²⁾ *Cod. Theod.* XVI, 5; 1-66; cf. *Cod. Iust.* I, 1; 2-3.

⁽³⁾ *Jo.* 17, 22.

⁽⁴⁾ *DB.* 431.

⁽⁵⁾ *De Trinitate*, I, 8, c. 13; *PL.* 10, 245.

⁽⁶⁾ *De SS. Trinitate dialogus* 1; *PG.* 75, 695.

idem est veritas et veritatis imitatio, sed quamvis proportione atque similitudine aequalitatem habere videantur, distant tamen ingentibus differentiis ». Quantum itaque Innocentius eo quod in caritatis unione nos Deo coniungi asserat, ab hac naturali unitate carnis cum Christo improbanda alienus sit, nemo est qui non videat.

CAPUT XIX.

Responsio ad Clementis constitutionem.

Clementis V sive Urbani IV ⁽¹⁾ constitutio piissima est et tot encomia Eucharistiae continet ut digna sit quae, ab omnibus memoria teneatur, Naturali vero de qua agimus unitati nihil derogat. Nam quod ait hunc cibum esse qui vere reficit, vere nutrit summeque impinguat, non corpus sed cor, non carnem sed animam, non ventrem sed mentem, quid quaeso aliud concludit quod corpus Christi non permutari in corpus nostrum, neque esse cibum corporalem ut more aliarum carniū nutriat corporaliter carnem nostram eamque impinguet? Hoc ipsum et nos antea frequenter testati sumus et nunc denuo testamur. Non tamen repugnat naturali unitati qua per esum carnis Christi cum ipso corporaliter unimur et nostram carnem sibi adiungit et nos anima simul et corpore spirituales reddit. Sic enim vere reficit, vere nutrit summeque impinguat corpus et animam, mentemque nostram ac nos * quodammodo in ipsius Christi naturam transformatur quum vivendi animalitatis nostrae modum fugientes, ut inquit Cyrillus ⁽²⁾, conformationem habitantis in nobis Christi mirabilem susceperimus. Nam quemadmodum ipse Clementis ait ⁽³⁾, hic panis sumitur sed vere non consumitur, manducatur sed non transmutatur quia in edentem minime transformatur sed digne recipientem sibi conformatur et incorporatur. f. 120^r

Quod quo pacto fiat Joannes Roffensis optime declarat, cuius verba adscribenda censui ut ex iis discant inepti isti et crassi homines carnem Christi in Eucharistia contentam quae a nobis in cibum sumitur, ab aliis carnibus cibisque distinguere. Roffensis verba sic habent ⁽⁴⁾: « Neque enim asserimus quod caro Christi vel in animam vel in corpus nostrum permutetur, sed quod ipsa ma-

(1) *Clement.* l. 3, tit. 16 (Bulla « Transitorius »).

(2) *In Jo.* l. 11, c. 11; PG. 74, 562.

(3) Melius: Urbanus IV in Bulla « Transitorius » a. 1264 promulgata et postea inserta *Clement.* l. 3, tit. 16.

(4) *De veritate corporis et sanguinis Domini adv. Oecolampadium*, Wirceburgi 1597, p. 964.

gis permutet et animam et corpus nostrum in unitatem substantiae suae. Ingredi quidem eam et commisceri nostrae carni fatemur, cuius assertionis auctores habemus Irinaeum, Cyrillum, Chrysostomum, Hilarium atque alios orthodoxos Patres qui istud plane testantur. Commiscetur, inquam, nobis, sed citra quamvis immutationem substantiae suae, quia potius totum hominem nostrum ad se rapit atque transformat, et, diximus, incorporat sibi Christo nimirum ut ita certi reddamur nos esse factos vera Christi membra quando nostra caro carni eius conglutinatur. Quare nihil haec tua disputatio (Oecolampadium alloquitur) quae sequitur, adversus nos facit. Neque enim partes corporis Christi transverti dicimus in partes nostri corporis quemadmodum et caeteris cibus fieri solet, neque ipsa carnea moles corporis illius cibus fieri solet, neque ipsa carnea moles corporis illius animam penetrat ut crassities ingenii tui * cogitat sed gratia quaedam et virtus ex hoc cibo promanans, et corpus et animam imo totum ipsum hominem reficit atque recreat mirifice plus aut minus iuxta suscipientis devotionem ». Hactenus Roffensis qui pereleganter modum quo corpus nostrum et anima Christi carne reficiatur atque recreetur exposuit.

f. 120^v

Quantopere vero recreetur ex Cyrillo optime intelligi potest, qui non solum mentem nostram reficere sed corporum etiam infirmitatibus mederi ⁽⁵⁾ ait: « Nos, inquit, si vitam aeternam consequi volumus, si largiorem immortalitatis habere in nobis desideramus ad recipiendam benedictionem mysticam libenter concurramus, caveamusque ne loco laquei damnosam religionem diabolus nobis praetendat. Recte, inquit, dicis scriptum esse non ignoramus iudicium sibi comedere atque bibere cum qui de pane comedit et de calice bibit indigne. Ego igitur probo meipsum et indignum invenio. Quando igitur quicumque tu es qui ista dicis, dignus eris? quando Christo teipsum offeres? Nam si peccando indignus es et peccare non desinis, quis enim delicta intelligit secundum Psalmistam?, expers omnino eris vivificae huius sanctificationis. Quare pias, quaeso, cogitationes suscipias studiose sancteque agas et benedictione participes, quae, mihi crede, non mortem solum verum etiam morbos omnes depellit. Sedat enim cum in nobis maneat Christus, saevientem membrorum nostrorum legem, pietatem corroborat, perturbationes animi extinguit, neque in quibus sumus peccatis considerat, sed aegrotos curat, collisos redintegrat, et sicut pastor bonus qui animam suam * pro ovibus posuit ab omni nos erigit casu ». Haec Cyrillus.

f. 121^r

Iamvero discrimen hoc inter panem communem reliquosque cibos quos edimus et panem hunc supersubstantialem manifestum est. Nam

(5) In Jo. I. 4, c. 2; PG. 73, 583-586.

reliqui cibi, quamvis ad breve tempus vitam nostram a morte tueri videantur, omnes tamen quicumque his vescimur moriemur, cibus vere dominicus, etsi eum edentes ab hac corporea morte haud liberat; animae tamen corporique vitam aeternam comparat dicente ipso Christo (6): « *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem habet vitam aeternam et ego resuscitabo eum in novissimo die. Caro enim mea vere est cibus et sanguis meus vere est potus* », quasi dicat: Reliqui non sunt veri cibi quando non liberant a morte neque corporea neque spirituali. Ego autem vere sum cibus, qui manducanti me vitam aeternam incorruptionem et immortalitatem suscitato etiam corpori confero. Dominicium denique cibum tam animis alimentum quam auxilium corporibus praestare in illa praecatione quae dominica tertia post Pascha dicitur, aperte continetur. Inquit enim: « *Sacramenta quae sumpsimus, quaesumus Domine et spiritualibus nos instruant alimentis et corporalibus tueantur auxiliis* ». Hoc ipsum plurimae aliae praecationes testantur quas alibi attulimus.

CAPUT XX.

Responsio ad decretum Concilii Tridentini.

Quid colligant ex hoc concilii Tridentini decreto adversus naturalem unitatem, non video. Testatur decretum (1): « *Salvatorem in hoc Sacramento divitias divini sui erga * homines amoris velut effudisse* ». Certe praecipuum huius amoris symbolum ac velut tessera quaedam est naturalis cum Christo coniunctio. Statuit praeterea in illius sumptione nos Christi memoriam colere suamque annuntiare mortem iuxta Domini praeceptum. Quid hoc derogat naturali unioni quae ex ipsius manducatione consequitur, nescio. Addit insuper sumi hoc Sacramentum tamquam spirituales animarum cibum quo alantur et confortentur viventes; nemo hoc negat; nam et doctores omnes Sacramentum hoc vivorum appellant, quod quemadmodum communis cibus vitam exigit in manducante corporalem ut eum nutriat, sic et hic dominicus cibus spirituales requirit vitam ut spiritualiter edentem alat. Num spiritualis alimonia naturali cum Christo unitati adversatur? Num corpus nostrum ab hac spiritali alimonia expertum erit? Nonne huic sententiae ipsiusmet concilii verba repugnant? Sumi enim ait tanquam spirituales animarum cibum quo alantur et con-

f. 121'

(6) Jo. 6, 54-55.

(1) Sess. XIII, cap. 2 (DB. 875).

f. 122^r fortentur viventes. Num viventes tantum animae a corpore separatae sunt? an animae potius coniunctae corporibus? Num Christum sumimus separatam a corpore? Num ipsum integre quoad utramque naturam non manducamus? Num manducatus corporibus nostris naturaliter non coniungitur? Num naturalis commistio prohibet ne spiritualiter ipsis corporibus prodesse possint? Quod vero subditur per hoc Sacramentum liberari nos a culpis quotidianis et a peccatis mortalibus praeservari non repugnat naturali unioni, quin * imo per ipsam uberiores sunt hi effectus. Iam quod nos arctissima fidei, spei et caritatis connexionem astringi asserit, non continuo negat naturali connexionem nos constringi. Nam qui dialectices prorsus non erit ignarus plane perspiciet nullam vim eorum argumento inesse quod ita deducunt: Concilium spiritualis tantum connexionis meminit, ergo naturalem damnavit, quasi spiritualis naturali opponatur aut homo ipse ex corporali spiritualique pariter natura non constet, aut Christus Unigenitus Dei Filius non utriusque naturae, spiritualis scilicet et corporalis substantiam assumpserit, aut utraque haec in nobis pars reparatione non egeat. Si quis vero acrius contendat de rebus divinis ac maxime de divinissimo hoc Sacramento nihil asserendum esse quod aut in Sacris Litteris aut in sacrorum conciliorum decretis non inveniat et vereri se dicat plagas scriptas in Apocalypseo libro in eos qui aliquid a mente sua addiderint, illum nos ad Hilarium, Irinaeum, Chrysostomum aliosque orthodoxos Patres remitemus, qui omnes uno aiunt ore verba illa Christi (?): « *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem in me manet* », multaque alia tam in Evangelio quam in Paulo loca de hac naturali unitate interpretati sunt, ut et alii sacri doctores multo post tempore subsecuti qui Sacram Scripturam iuxta Spiritus Sancti sensum explicarunt, quorum interpretatio a catholicis * pie complectenda est nisi cum haereticis huius temporis nihil quod non aut in Sacris Litteris aut in selectis aliquot conciliis expresse contineatur admittendum censemus. At vero Ecclesia Dei a Spiritu Sancto numquam destituta fuit, neque piorum mentes hodie eius donis suscipiendis incapaces esse iudicandae sunt.

f. 122^v

CAPUT XXI.

Responsio ad Irinaeum.

Nonnullorum Patrum auctoritates afferuntur quibus omnis alia praeter spiritualem cum Christo unio tolli videtur. Inter quos primus est Irinaeus qui carnem nostram corpore et sanguine Christi qui vita

(?) Jo. 6, 56.

ipsa est, ali spiritualiter in vitam aeternam testatur ⁽¹⁾. Atqui si nos carnem aut animam nostram per Eucharistiam carnaliter visibilique modo Christi carne aut more aliorum communium ciborum ali assereremus, fateremur contra Irinaei sententiam id a nobis asseverari. Sed cum nostra assertio tantum contineat naturalem cum Christo unitatem ex pia corporis eius manducatione, nihil efficit si naturalem coniunctionem carnalis isto modo nutritio consequatur. Fructus enim quem corporis Christi manducatio tam animae quam corpori praestat, spiritualis dicitur quoniam Christi caro spiritus est et nostram spiritualem reddit sine ipsius tamen carnis naturae interitu aut substantiali transmutatione. Eucharistia quoque spiritualis alimonia a nonnullis Patribus ⁽²⁾ appellatur. Carnaliter * igitur nos uniri Christo et carne eius pasci verum est si intelligatur secundum ipsius carnis veritatem et praesentiam corporalem, vera eius substantia ibidem praesente eo modo quo carnem suam secundum veritatem substantiae a nobis manducari praecipit, quae cum caro deifica sit digne a nobis manducata, animam et corpus nostrum deificum efficit spiritualiterque hoc modo pascit in vitam aeternam, unde et carnaliter et spiritualiter nos pascere recte dici potest. Nihil ergo Irinaeus inquit quod nostrae naturali unitati cum Christo adversetur. Siquidem ex nutritione spirituali non bene consequitur unionem non esse carnalem et naturalem, neque etiam sequitur quod spiritualis ipsa nutritio carnalis dici non possit si eo quo supra diximus modo accipiatur, scilicet quod fit per veram carnis Christi substantiam. « Neque enim, ut Augustinus ait ⁽³⁾, panis solum Verbum quo vivunt omnia sed secundum carnem assumptam pro mundi vita cibus est ». Intellexisse autem Augustinum carnem in Eucharistia manducatum in hoc ipso libro antea ostendimus.

Nunc ad Irinaeum redeamus. Quod si obieceris adhuc quod Oecolampadius obiicit dicens ⁽⁴⁾: « Compertum id habetur experimento hominem sumpta Eucharistia corporaliter ea nutriri, quod certe fieri non potest nisi substantia corporis Christi si ponatur ibi praesens transeat in naturam hominis manducantis more alimenti communis, aut ibidem ponatur esse solus panis frumentarius qui virtute caloris * naturalis transmutetur in substantiam corporis nutriti ». Respondebo quod plerique alii pii doctique viri responderunt verum esse hominem sumpta Eucharistia nutriri corporaliter, falsum tamen esse aut substantiam corporis Christi transire in naturam hominis manducantis more

f. 123^rf. 123^v

⁽¹⁾ *Adv. Haereses*, l. 5, c. 2, n. 2-3; PG. 7, 1126-1127.

⁽²⁾ Cf. I. B. FRANZELIN, *De Eucharistia*, ed. 5, cura J. Filograssi, Romae 1932, p. 158.

⁽³⁾ *Supra*, p. 79.

⁽⁴⁾ Recole quae p. 109, n. 1 diximus.

alimenti communis aut ponendum esse solum panem frumentarium. Ea enim nutritio quae manducato Christi corpore potoque eius sanguine fit, non per ipsam panis sanguinisque substantiam fit, quoniam post consecrationem nihil ipsius superest, sed neque per ipsum Christi corpus fit quippe quod in alimentum corporale cuiuspiam transire non potest, nec ea nutritio fit per species sacramentales, ut *Clictoveus* sentit ⁽⁵⁾, quamquam maiori doctorum parti placeat per species illas fieri ⁽⁶⁾. Sunt alii qui negent accidentia in substantiam converti. Effici tamen asserunt eiusmodi corporalem nutritionem quadam substantia ad nutriendum apta et de novo producta. Ob transmutationes enim specierum sacramentalium a sua naturali dispositione corpus Christi sub illis esse desinit eaque substantia recenter producta eodem prorsus modo reficit Eucharistiam sumentem, ac si panis, qui fuerat ante consecrationem in tale nutrimentum naturali actione conversus fuisset. Confirmant hoc physica ratione, qua compertum habetur non perfici nutritionem nisi alteratio alimenti virtute caloris naturalis praecedat. Cum igitur per eiusmodi alterationem ubi caloris naturalis species sacramentales a sua naturali qualitate * mutatae fuerint ita ut sub illis amplius non subsisteret forma substantialis panis, si adesset, tunc desinit sub eis subsistere Christi corpus et nova producitur substantia per quam fit hominis nutritio ⁽⁷⁾.

f. 123^{bis}

Quare desinat, obsecro, amplius insanire quisquis hanc divinam escam communibus corporum cibis aequiparat dum quas in his comperit qualitates et conditiones illi supercoelesti cibo attribuit. Desinat etiam naturalem unitatem quam per cibum dominicum cum Christo assequimur convellere eo quod caro Christi corpus nostrum alat alimonia spirituali et non corporali. Est enim ipsa Christi caro, ut paulo ante dictum est, in Eucharistia spiritualis quemadmodum et corpora nostra quae animalia seminantur spiritualia resurgent, neque ideo corpora nostra corporis naturam amittunt, neque caro Christi caro esse desinit. Alitur itaque corpus nostrum Christi corpore spiritualiter in vitam aeternam, ut inquit *Irinaeus* ⁽⁸⁾, dum irrationales carnis cupiditates, ira, gula, libido ita reprimuntur et mitigantur in nobis, ut non amplius vivat lex membrorum ex lege peccati orta, neque in nostro mortali corpore regnet peccatum, sed lex spiritus legi Dei conformis imperium obtineat. Hoc enim est in Christi carnem converti substantiaque carnis nostrae carne Christi consistere,

⁽⁵⁾ *De sacramento Eucharistiae contra Oecolampadium* I, 2, c. 19; Parisiis 1526, p. 150 B.

⁽⁶⁾ Una cum S. THOMA, *S. Th.* 3, q. 77, a. 6.

⁽⁷⁾ De hac intricata quaestione cf. *BILLOT, De sacramentis*, Romae 1931, I, p. 528-529; A. PIOLANTI, *De sacramentis*, Romae 1945, t. 1, p. 116-118.

⁽⁸⁾ *Adv. Haereses*, c. 5, c. 2, n. 2-3; PG. 7, 1126-1127.

ali, augeri, ac ad incorruptionem, immortalitatem et gloriam divino illo cibo praeparari.

Hoc ipsum saepe in orationibus ecclesiasticis suppliciter Deum praecamur, desiderantes perceptione Eucharistiae mentes nostra corporaque sanctificari, vegetari et expurgari. Sanctificata * enim anima f. 123^{bis} v per Christi corpus et sanguinem, corporis quoque nostri sanctificatio protinus consequitur, atque ita praecantes dicimus ⁽⁹⁾: « Sit nobis Domine reparatio mentis et corporis coeleste mysterium ut cuius exequimur rationem, sentiamus effectum ». Illud etiam ⁽¹⁰⁾: « Haec hostia, quaesumus, Domine emundet delicta nostra et ad sacrificium celebrandum subditorum tibi corpora mentesque sanctificet ». Praeterea ⁽¹¹⁾: « Purifica Domine, quaesumus, mentes nostras et renova coelestibus sacramentis ut consequenter corporum praesens pariter et futurum capiamus auxilium ». Et illud ⁽¹²⁾: « Ex altari tuo Domine Christum sumimus in quem cor et caro nostra exultant ». Longe itaque abest haec reparatio mentis et corporis et sanctificatio, atque ad vitam aeternam praeparatio ab illa carnali carnis Christi manducatione quam Capharnaitae imaginati sunt.

CAPUT XXII.

Responsio ad Cypriani verba.

Adfertur deinde Cyprianus qui ad Cornelium Papam scribens ait ⁽¹⁾: « Nostram et Christi coniunctionem nec miscere personas nec unire substantias sed affectus consociare et confoederare voluntates ». Haec Cypriani verba non negant naturalem unionem cum Christo sed illam negant unionem et misionem nostri cum Christo ex qua nostra et Christi substantia una prorsus fieret numero substantia unde ea consubstantialitas aut essentiae aut personae inter nos et Christum consequeretur qualis inter Patrem et Filium, aut in Christo duabus naturis in unitatem personae unitis; sed huiusmodi consubstantialitas nullo modo infertur ex naturali nostri unione cum Christo: * Naturalis etiam est carnis inter virum et uxorem unio per quam una caro dicuntur; neque ideo tamen una est quia eadem est utriusque sine suppositorum differentia substantia. Habet enim unusquisque suum f. 124^v

⁽⁹⁾ *Postcommunio Dominicae VIII post Pentecosten.*

⁽¹⁰⁾ *Secreta Dominicae in Quinquagesima.*

⁽¹¹⁾ *Postcommunio Dominicae XVI post Pentecosten.*

⁽¹²⁾ *Antiphona ad Ps. III (23) in III Nocturno festi SS. Corporis Christi.*

⁽¹⁾ Ps. CYPRIANUS, *De cena Domini*; Cypriani opera ed. Coloniae Agrippinae 1617, p. 273 A.

peculiare corpus et animam. Hominis quoque spiritus qui Deo adhaeret unus spiritus est cum eo, non tamen idecirco propriam humanae animae naturam amittit. Hoc ipsum Cyprianus alibi satis explicat inquitens ⁽²⁾: « Non quod usque ad consubstantialitatem Christi, sed usque ad societatem germanissimam eius haec unitas pervenisset ». Hic namque consubstantialitas cum Christo, quatenus Christus Deus et homo simul est, negatur. Societatis vero et communicationis germanissima unitas asseritur. Quatenus enim homo cum omnibus hominibus eiusdem cum ipso naturae unum est, singulis per corpus et sanguinem suum miscetur atque naturaliter unitur; neque aliud germanissima unitas significat quam summam germanitatem, idest humanae naturae essentiae summam unitatem quae inter ea quae natura differunt reperiri non potest. Reperitur autem haec perfecta ac vera inter Christum caput et eius membra quemadmodum postea ostendetur. Haec germanissima unitas, mansio et incorporatio quaedam a Cypriano appellatur; inquit enim ⁽³⁾: « Dixerat sane huius traditionis magister quod nisi manducaremus et biberemus eius sanguinem non haberemus vitam in nobis, spirituali nos instruens documento et aperiens rem adeo abditam intellectu ut sciremus quod mansio nostra in ipso sit manducatio et potus quasi quaedam incorporatio subiectis obsequiis, voluntatibus iunctis, affectibus unitis ». Incorporatio vero haec non solum ad animae sed etiam corporis communionem refertur, quod ipsa Cypriani verba satis indicant. Vox enim incorporationis et mansionis, corporis unionem, obsequiorum subiectio, voluntatum coniunctio, affectuum unio, spiritus copulationem * atque unitatem significant. Ex nostra itaque in Christo incorporatione in cibo dominico facta, affectus consociari confoederarique voluntates fatemur, naturalem vero unionem tolli plane negamus. Quin imo ita corporale in hac naturali unione accipimus ut spiritualement tam quoad spiritum quam quoad carnem effectum praecipue consideremus, neque Cyprianus ipse corporalem a spirituali abhorrere censet quum eum, inquit, visibilibus sacramentis esse vitae aeternae effectum. Nam quum asserit non tam corporali quam spirituali transitione Christo nos uniri, utrumque corporale scilicet et spirituale asseverat, licet praecipuum spirituale tradat. Per animam enim in corpus effectus ipse transmittitur, nam anima Dei gratiae sedes est. Cyprianus in eodem loco sic ait ⁽⁴⁾: « Ipse est panis et caro et sanguis; idem cibus et substantia et vita factus est Ecclesiae suae quam corpus suum appellat dans ei participationem ». Participatio autem haec non tantum spiritus sed et corporis est intelligenda ut ex sequentibus patet:

(2) *Ibidem.*

(3) *Op. cit.*, p. 273 B.

(4) *Op. cit.*, p. 273 A.

inquit enim ⁽⁵⁾: « Et nos quidem cum caro essemus et sanguis, corrupta et infirma corporis, animaeque natura reformari non poteramus nec ad similitudinem Dei reverti nisi morbo inveterato imponeretur malagma conveniens et in curatione desperatae infirmitatis contraria removerentur contrariis et similia similibus convenirent ».

CAPUT XXIII.

Responsio ad Origenis auctoritatem.

Additur deinde Origenis auctoritas quae non tantum naturalem unitatem iudicio Oecolampadii tollit, sed ipsum Christi corpus in Eucharistia vere esse negat. Sed quoniam huic obiectioni satisfactum abunde est a Roffense ⁽¹⁾, unum hoc nobis dicendum est, non unum esse tantum * animae spiritualem cibum. Sunt enim varii cibi f. 125^r qui animam nutriant quemadmodum sunt varia alimentorum genera corpus alentia. Verbum nempe Dei Sapientia, fides, dilectio et caetera consimilia cibi sunt animae spirituales. Est tamen excellentior his omnibus quidam cibus spiritualis et corporalis, corpus videlicet Christi. Sed neque quia Origenis dicit panem nobis a Deo datum verbum Christi, excludit panem illum cunctis praestantiorem, verum scilicet corpus suum et sanguinem de quo inquit ⁽²⁾: « *Patres vestri manducaverunt Manna in deserto et mortui sunt. Hic est panis de coelo descendens ut si quis ex ipso manducaverit non moriatur. Ego sum panis vivus qui de coelo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane vivet in aeternum et panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita* ». De triplici pane Christus loquitur. Primus est manna quod coriandio simile erat. Hunc panem Judaei gloriabantur sibi fuisse datum a Mose. De hoc dicit Christus: « *Patres vestri manducaverunt manna in deserto et mortui sunt* ». Secundus panis erat qui similitudine carnis peccatricis obtegebatur de quo inibi dicitur dixisse Christus: « *Amen amen dico vobis, non Moses dedit vobis panem illum de coelo sed Pater meus dat vobis panem de coelo verum* ». Panis enim Dei est ipsa Christi caro sed similitudine panis velata de quo rursus ait: « *Et panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita* ». Tertius hic panis Eucharistia est. Nam de primo pane loquens dixit: « *dedit* » quod verbum est praeteriti temporis. De secundo: « *dat* » praesens tempus intelligens. De tertio: « *dabo* » quoniam futurum erat ut daret nobis

⁽⁵⁾ *Ibidem.*⁽¹⁾ *De veritate corporis et sanguinis Domini adv. Oecolampadium, Wirceburgi 1597, p. 1006.*⁽²⁾ *Jo. 6, 49-51.*

f. 125^v Christus Eucharistiae panem. Et ne de carne tantum quam patibulo crucis affigendam daturus erat eius * verba interpretaremur, bis dixit: « *dabo* » ut Roffensis ex Graecis codicibus annotavit ⁽³⁾, qui alterum de Sacramento, alterum de morte sua dictum affirmat. Promisit itaque Christus his verbis duo: nimirum panem se daturum qui caro sua foret manducandum, et carnem rursus eandem se daturum pro mundi vita. Utrumque implevit. Nam panis carnis suae pridie quam eandem carnem pro mundi vita daret edendum apostolis dedit. Recipimus itaque quod Origenis dixit ⁽⁴⁾: « Verbum Christi esse panem eumque mysticum ». Fatemur etiam mystice eo pane Christo incorporari, negamus autem non alium esse panem qui non sit mysticus solum sed verum et naturale Christi corpus quo digne manducato vere et naturaliter Christo incorporamur, idest corporis et sanguinis eius naturali unione cum ipso participes efficiamur.

CAPUT XXIV.

Responsio ad Athanasii verba.

Superest ut ad Athanasii ⁽¹⁾ verba respondeamus quibus traditur dari pro mundi alimonia ut spiritualiter in unoquoque distribuatur. Cuius verba, quoniam Oecolampadius latine vertens depravavit, adscribamus ita ut graece habent ⁽²⁾: « Ἄ γὰρ λελάληκα, ὑμῖν πνεῦμά ἐστὶ καὶ ζωὴ, ἴσον τῷ εἶκεῖν. Τὸ μὲν δεικνύμενον καὶ διδόμενον ὑπὲρ τοῦ κόσμου δοθήσεται τροφή, ὡς πνευματικῶς ἐν ἑκάστῳ ταύτην ἀναδίδοσθαι ».

f. 126^r Ea sic Oecolampadius latine vertit: « Nam quae locutus sum vobis spiritus sunt et vita, quod perinde est ac si dicat: Quod quidem ostenditur, occiditur, * pro mundi dabitur alimonia ut spiritualiter in unoquoque distribuatur ». Qua versione Oecolampadius quaedam addit, quaedam subtrahit, omnia vero de industria perverse vertendo corrumpit ut in suum sensum solito suo more trahat etiam huius sancti viri sententiam, quae cum Nicaeni Concilii sententia cui ipse Athanasius interfuit, per omnia consentit. Athanasii verba fideliter versa ita sonant: « Quae enim loquutus sum vobis, spiritus sunt et vita: quod quidem valet ac si diceret: quod quidem ostenditur ac datur

⁽³⁾ De veritate corporis et sanguinis Christi adv. Oecolampadium, Wirceburgi 1597, p. 1128.

⁽⁴⁾ In Mt. comm. ser. 85; PG. 13, 1734.

⁽¹⁾ Ep. 4 ad Serapionem, n. 19; PG. 26, 667.

⁽²⁾ Hoc caput ex integro exscribitur ex C. TUNSTALLO, De veritate corporis et sanguinis Domini, Lutetiae 1554, p. 62 A-43 B.

pro mundo, dabitur alimonia ut spiritualiter haec in unoquoque concoquatur et digeratur ». Verus autem horum verborum sensus hic est: Quod quidem ostenditur et datur pro mundo est corpus meum quod in Sacramento dabitur alimonia ut spiritualiter haec alimonia in unoquoque sumente concoquatur digeraturque in spiritu. At ubi Oecolampadius addit, « *occiditur* » hoc non est in graeco. Quod vero in graeco est διδόμενον, id est, « *datum est* » vel « *datur* » hoc subtrahit et subdistinctionem quae poni debuit post illa verba « *datur pro mundo* » tollit. Et verbum « *dabitur alimonia* » ad totam sententiam refert sublato verbo « *datur* »; at infinitum verbum ἐναδίδοσθαι quod concoqui et digeri significat, accipit pro διαδίδοσθαι quod latine dicitur distribui, et vertit « *pro mundo dabitur alimonia* » ut distributionem spirituales sacramenti, ponat loco concoctionis et digestionis spiritualis. Quasi vero ascensio in coelum et corporalis in coena manducatio simul stare non possint, id quod stupido suo Nathanaëli persuadere conatur cum tamen corpus * Christi, quod ostenditur et datur pro mundo, utpote iunctum divinitati spiritualis corpus fuerit deturque in mysterio et sacramento ut spiritualiter in unoquoque digeratur, et sit conservatorium in resurrectionem vitae aeternae. Ex his igitur satis constat Athanasii auctoritatem, si recte interpretetur, naturali huic unitati nihil officere. f. 126^v

CAPUT XXV.

Responsio ad Ambrosium.

Assertit Ambrosius (1) his Sacramentis firmari substantiam animae et Christi corpus escam esse spirituales non autem corporalem fideque sociari hominem internum, et unumquemque participem corporis et sanguinis Domini fieri quando in baptismo fit eius membrum. Ex hoc nullo modo tolli corporalem et naturalem unitatem quivis facile iudicabit ex iis quae de diversitate ciborum animae superior dicta sunt. Fatemur enim recte dictum ab Ambrosio Sacramentis animae nostrae substantiam fulciri hominemque per baptismum spirituali unione Christo incorporari membraque ipsius fieri fideque satiari interne. Sed tamen haec omnia secundum Ambrosii mentem declaranda sunt, nimirum hoc sensu: mysticum fieri Christi membrum, mystice etiam corporis et sanguinis Christi participem esse qui sumptione tantum corporis Christi spirituali contentus est, atque necessariam adhuc esse sacramentalem eiusdem sumptionem ad hoc ut

(1) *De mysteriis*, c. 9; PL. 16, 425-426.

f. 127^r non mystica solum coniunctione Christo uniamur sed naturali ac corporali unione: quod ex ipsis Christi verbis constat qui * vitam aeternam, resurrectionem et Christi in nobis mansionem et incorporationem ex naturali corporis eius manducatione promittit. Hilarius de hoc cibo ita inquit ⁽²⁾: « Habemus et cibum praeparatum ». Et quis hic cibus est? Ille scilicet a quo ad Dei consortium praeparamur, in communionem deinceps sancti corporis collocandi. Quod si cibum hunc esse contenderis fidem nisi fides pro re credita accipiatur, non autem pro ea fide quae virtus theologica est a nemine absolute dictum memini. Christus enim et verbum Christi cibus est, non autem fides. Fides igitur non est id quod editur sed quo edimus, ut erudite Joannes Roffensis ⁽³⁾ ex Augustino annotavit dicente ⁽⁴⁾: « Crede et manducasti, non enim fides sed Christus fide manducatur ». Verum haec manducatio tenuis admodum est si cum fidei manducatione corporis et sanguinis Christi in Eucharistia conferatur. Incorporatioque quam sola fides efficit teste Roffense ⁽⁵⁾ non diu durat sine esu sacramenti.

CAPUT XXVI.

Responsio ad Hilarium.

Tam solide Hilarius naturalem nostram unitatem cum Christo comprobat ut non multa dicenda sint ad ostendendum quam perverse Hilarium interpretantur. Ostenderit Roffensis ⁽¹⁾ Hilarium dixisse nos proprietatem naturalis unitatis assecutos esse non per honorem illum solum nobis a Christo communicatum, sed adiunxisse f. 127^v etiam per Filium carnaliter in nobis manentem. * Nam per utrumque naturalem istam unitatem adepti sumus. Dixit nempe Hilarius impie negare haereticos nullam per Sacramenta carnis et sanguinis proprietatem carnalis nobis communionis indulgeri cum et per honorem nobis datum Dei Filii et permanentem in nobis carnaliter Filium et in eo nobis carnaliter et inseparabiliter mysterium verae et naturalis unitatis sit praedicandum. Ex quibus Hilarii verbis duo colliguntur:

⁽²⁾ *Tract. in Ps. 64, n. 14; PL. 9, 321.*

⁽³⁾ *De veritate corporis et sanguinis Domini adv. Oecolampadium, Wirceburgi 1597, p. 1110.*

⁽⁴⁾ *In Jo. tr. 25, n. 12; PL. 35, 1602.*

⁽⁵⁾ *De veritate corporis et sanguinis Domini adv. Oecolampadium, Wirceburgi 1597, p. 1041.*

⁽¹⁾ *De veritate corporis et sanguinis Domini adv. Oecolampadium, Wirceburgi 1597, p. 1103.*

alterum datum nobis honorem Filii, alterum permanentiam carnalem eiusdem Filii in nobis. Ut illud baptismo consequimur, ita posterius istud absque sacramento Eucharistiae nequaquam adipiscimur. Nam per baptismum proprietatem Verbi nobis praesentem et intra nos manentem habemus, non tamen proprietatem carnis. Hanc enim unitatem ex solo esu carnis corporali in Eucharistia consequimur.

CAPUT XXVII.

Responsio ad Cyrillum.

Cyrillus, inquit, ait Christum esse panem mysticum et duodecim apostolos duodecim panes propositionis ⁽¹⁾. Sicut ergo pane mystico non efficitur naturalis unitas, ita nec Christus qui panis mysticus est. Quasi vero eo quod Cyrillus Christum panem mysticum appellavit non ideo veriori praestantiorique modo quo se ipse panem verum nominavit vocari possit. Cum sub panis speciebus suum verum corpus nobis reliquerit in cibum animae salutarem. Origenes etiam ⁽²⁾: « Verbum Dei panis propositionis mystice interpretatur quod ab anima sumi debet in loco sancto reponendum ».

CAPUT XXVIII.

Responsio ad Augustinum et Bernardum.

Augustini auctoritas ⁽¹⁾ nihil aliud concludit quam diversam esse carnis Christi in Eucharistia manducationem ab esu aliarum carniarum; manducatur enim et non consumitur; distribuitur et non f. 128^r divisus manet; frangitur et non conteritur; sive de spirituali manducatione loqui censendum est quae est per fidem caritate formatam, ad quam neque venter neque dentes parandi sunt, eaque spiritualiter tantum Christo coniungimur. Iam vero illud Augustini ⁽²⁾: « Quod videtur speciem habet corporalem, quod intelligitur fructum habet spiritualem ». Et illud Bernardi ⁽³⁾: « Cibis iste non est ventris sed

(1) *De adoratione in spiritu et veritate* l. 10; PG. 68, 679.

(2) *In Mt. comm. ser.* 85; PG. 13, 1734.

(1) *Supra*, p. 108.

(2) *Sermo* 272, PL. 38, 1246.

(3) *Supra*, p. 108.

mentis. Non est enim datus ad ruinam huius vitae quae vapor est ad modicum parens, sed ad aeternam vitam animae conferendam » non labefaciat naturalem ac corporalem secundum carnis proprietatem coniunctionem: fatemur enim fructum qui ex ea sequitur spirituales esse et non carnales si caro a spiritu sejungatur, neque quisquam doctorum est qui non asserat ex hoc cibo in corpus digne sumentis plura commoda profluere; quae quidem omnia corpus nostrum ex animali prout praesentis vitae status patitur, spirituales reddunt. Nam et corpora carnalia Paulus appellat spiritualia; neque de corpore nostro naturaliter corpori Christi unito spirituque nostro per dilectionem in eum transformato spirituali sensu cogitandum est. Bernardus vero quantum corporis Christi esus salutem nostram promoveat et baptismatis conferat satis ea quae supra ⁽⁴⁾ attulimus auctoritate declarat.

CAPUT XXIX.

Responsio ad Hugonem ⁽¹⁾.

Fatemur sacram Eucharistiam cibum esse animae non corporis, comedi et non consumi, gustari et non incorporari, si aliorum ciborum modo comedi et incorporari carnali sensu accipiamus. Si autem f. 128^v spirituali in *telligentia percipiatur non animae solum sed corporis etiam in quod tot et tanta commoda ex ipsa anima Christi carne saginata promanant, alimentum est. Nam vere a nobis comeditur etsi non consumatur, vere etiam incorporatur et naturali coniunctione adglutinatur, etiamsi non transmutetur in naturam carnis nostrae, quod communium ciborum est, in curationem autem animae et corporis sumitur.

CAPUT XXX.

Responsio ad id quod de Thoma Aquinate aliisque doctoribus adfertur.

Scholasticorum et recentiorum scriptorum, ipsius etiam Thomae auctoritates quae naturalem hanc unitatem confirmant, non paucae su-

⁽⁴⁾ *Supra*, p. 118.

⁽¹⁾ *Supra*, p. 108.

perius allatae facile eos mendacii convincunt qui mirum apud omnes auctores de ea silentium esse asserunt, ac quamvis haud ita expressis verbis de ea locuti sunt, certe sub voce spiritualis utramque unionem complexi sunt. Sentiant enim per hoc Sacramentum dignè sumptum totum hominem Christo incorporari per virtutem et gratiam quae profluit ab ipsa Christi humanitate in Eucharistia reipsa contenta.

Causam vero cur de ea non adeo disseruerint duplicem esse puto. Primam quia cum anima mortis corruptionisque exors sit, caro vero morti corruptionique obnoxia non tam in naturalem hanc cum Christo per eius corpus coniunctionem quam spiritualementem a qua vita aeterna dependet oculos coniecerunt. Alteram quia tametsi Christus, ut inquit *Damascenus* (*), ut reparatio generis humani congruenter fieret totum hominem assumpsit, animam scilicet et corpus partes hominis substantiales. Tamen quia Deus homo potissimum factus est ut renovaret in homine id quod secundum suam * imaginem erat, mentem scilicet quae per praevocationem corrupta fuerat, mentem praecipue humanam assumpsit, ideo spirituali huic unitati potissimum intendunt. Ceterum cum totum hominem curari oportuerit, cuius caro pars est, atque ideo Christus carnem etiam assumpsit cui, utpote de limo terrae factae, non congruebat uniri nisi rationali substantia animaque intellectuali veluti nexu supremi spiritus et infirmi corporis, duo autem extrema conglutinante distantia. Convenit enim differtque vicissim anima cum utroque extremo. Quare recte vinculum atque nexus utriusque esse potuit. Cum Deo enim convenit eo quod anima creata est ad imaginem Dei a quo differt eo quod creatura est. Cum carne autem convenit per naturalem colligationem et nexum a Deo institutum, quo nexu corpus inhabitat et unum cum eo totum constituit hominem; differt vero a carne quia incorporea est et materiae experta morteque libera. Cum igitur corporis humani ad Verbum unionis veluti vinculum quoddam et nexus anima fuerit, unionis quoque nostrae cum Deo naturalis per piam Eucharistiae sumptionem anima nostra veluti quidam nexus est. Quare tametsi iuniores doctores naturalis unitatis non ita frequenter meminerint nisi quando vel cum haereticis congregandum fuit aut ipsa Scripturae loca ut eius meminisse cogebant, tametsi carnis nostrae ratio opisque quam ad promerendam divinam gratiam spiritui adfert, attentius animadvertatur divinitatisque plenitudinem in Christo corporaliter inhabitare haud indignum videretur, naturali quoque corporis sui participatione, fide dilectioneque coniunctos sibi in * incorporare, ut ab omni parte nobis Christus coniungatur unaturque, praesertim cum salutem nostram ipse Christus in carne tamquam instrumento humanae redemptionis co-

f. 129^rf. 129^v

(*) *De duabus voluntatibus*, n. 44; PG. 95, 183-186.


niuncto operatus sit, nosque itidem carne abluimur ut anima emaculetur, carne Domini vescimur ut anima saginetur ⁽³⁾.

Satis iam adversariorum argumentis responsum arbitror. Si quae vero alia sunt quae opponi contra naturalem hanc unitatem possent, ex his quae hactenus dicta sunt facile eruditi ingeniosique viri diluent. Quae quidem unitas neque Divinae Scripturae auctoritatibus neque Summorum Pontificum decretis, neque Sanctorum Patrum testimoniis, neque theologorum argumentis, neque sophistarum argutiis connecti potest. Nodi vero qui in hoc libro non satis decisi sunt in sequentibus dissolventur divino adjuvante numine, cui honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.

⁽³⁾ Haec postrema verba redolent mentem TERTULLIANI, *De resurrectione carnis*, 8; PL. 1, 1206.

LIBER TERTIUS

de vera et naturali quadam cum Christo unitate, quam
per dignam Eucharistiæ sumptionem fideles consequuntur



CAPUT I.

Quid libro tertio tractetur, proponitur, ac duo notanda ex contentis in secundo libro apponuntur.

Ostensum est duobus superioribus libris praefatam naturalem unitatem inter nos et Christum revera esse et a nullo orthodoxo scriptore hucusque negatam. Satisfactum etiam bona ex parte fuit plerisque argumentis et obiectionibus quae obiici poterant adversus praedictam assertionem atque aliquot difficultates inter respondendum sublatae sunt, quae forsitan nonnullis nec indoctis quidem viris haud parvae videbantur. Caeterum ut dilucidior de ea re cognitio habeatur investigare oportet quanam eiusmodi unitatis ratio vel descriptio perhiberi possit qualisve ea sit. Haec enim duo hoc libro declarare pro virili conabimur. Ante tamen quam de ipsius descriptione disseramus, duo in primis repetenda videntur circa quae omnes fere solutiones argumentorum et rationum quae in secundo libro discussae sunt, versantur. Nam tres assertiones initio ipsius libri contentae, magnopere his ipsis explicabuntur * ac difficultates fere omnes quae adhuc adversus eas obiici possent auferentur. f. 130^v

Primum: Caro Christi per sacrosanctam Eucharistiam neque in animam neque in corpus nostrum permutatur: ipsa vero magis permutat animam et corpus nostrum in se, dum nostrae carni in immortalitatem, quae divinae naturae propria est, commiscetur atque coadunatur. Sed hoc fit citra quamvis mutationem substantiae suae ipsa potius totum hominem ad se rapit atque transformat et incorporat ipsi Christo, animae nostrae corporisque substantia sine mutatione substantiali permanente.

Secundum: Carnea corporis Christi moles animam non penetrat, sed gratia quaedam ex hoc cibo promanans, quae sacramentalis recte dici potest, animam et corpus, hoc est totum ipsum hominem reficit atque recreat mirifice. Verbum enim carni coniunctum ac vivificatrix eius caro intra viscera nostra immittitur atque ita totus homo rapitur et transformatur in Christum et illius caro animam carnemque adunat sibi et incorporat Christo, atque ita per Christum totus homo coadunatur Patri.

CAPUT II.

Ratio seu descriptio potius naturalis cum Christo unitatis per dignam Eucharistiae sumptionem.

f. 131^r Non esse opus arbitror lectorem admonere semper habendam * rationem naturae conditionisque ipsius rei de qua agitur, neque parem exigendam demonstrationem in re abdita humanoque captu superiore, ac in re quae sensui intellectuique pervia est. Diversa enim rerum conditio diversam cognitionem exigit. Philosophus enim aliter de naturalibus quam de moralibus ratiocinatur, et aliter de divinis aliter de humanis disserit. Declaraturus ergo quid sit naturalis unitas cum Christo satis egisse quis existimandus est, si eam ita definiarit aut descriperit potius, quatenus divinum illud arcanum explicari patitur. Nam cum vix intelligi possit quo pacto anima nostra corpori uniatur quamvis de eius cum corpore unione nemo ambigat, vitaeque quam corpori praestat, minus mirum esse debet si minus exacte haec arcana unio explicetur, quamvis extra omnem controversiam sit illam inter nos et Christum esse. Ego certe multo libentius in ea definienda aliorum sententias audirem quam meam interponerem. Caeterum iuvandi studio in re praesertim adeo animarum saluti necessaria atque admodum difficili adscribam quod sentio dum alii de hoc argumento cognitu dignissimo accuratius disserent.

Ante tamen intelligere oportet nos hic de ea naturali unitate loqui quam digne sumentes Eucharistiam cum Christo consequuntur, per quam membra fiunt corporis eius, de carne ac de ossibus eius, capiti ipso Christo coaptata, qui non secundum verbum solum sed secundum humanitatem Verbo per animam unitam in totum hominem tam quoad animam * quam quoad corpus vim suam divinam ac vivificatricem influit et Christus ita in eum sumente manet atque sumens in Christo, quod unionis maxime est. Veniamus ergo ad ipsam naturalis unitatis rationem aut descriptionem.

f. 131^v

Naturalis cum Christo unitas est arcana arctissimaque Christi cum fidelibus coniunctio per sacram Eucharistiam digne sumptam, per quam, qui carnis eius proprietate manentem Christum intra seipsos susceperunt, geminæ eius naturæ proprietatum consortes efficiuntur.

Arbitror assignatam descriptionem ex his quae in superioribus libris dicta sunt perspicuam esse quando omnem coniunctionem in unionem tendere ex *D a m a s c e n o* ⁽¹⁾ constat. Manere etiam, coniungi, uniri que significat, et sub naturae appellatione genus et forma, atque ex genere et forma constans substantia, cuiusmodi est corpus,

⁽¹⁾ *Fragmenta*; PG. 95, 231.

comprehenditur. Porro sub Christi corporis appellatione in hoc Sacramento utraque Christi natura continetur. Compertum etiam est per haec sacra mysteria non solum mente spirituque nos Christo incorporari, sed naturaliter cum eo uniri. Non enim tantum, ut Urbani (2) verbis utar, ad virtutum et gratiarum incrementa proficimus sed corporali quoque praesentia Salvatoris, cuius virtute ac efficacia, quia caro propria Verbi facta est vivificatrix (3), spiritu corporeque toti nos reficimur atque recreamur, eiusque immortalitatis participes efficimur et beatitudinis, permanente tamen tum Christi tum summentis essentia sine ulla substantiali mutatione, ut supra diximus.

Haec quidem unio arcana ideo dicitur quia Christus etsi vere et substantialiter in hoc Sacramento continetur est tamen sub alia specie obiectus, sensuique nostro invisibilis ideoque arcana manducatio dicitur. Est etiam dictus * Christus κρύπιος, idest arcaneus et occultus ut Dionysius (4): « Quod neque mens neque ratio consequi potest, quae vel secundum humanam vel secundum divinam naturam facit. Huius sententiae S. Maximus (5), Dionysii interpres, Gregorium theologum auctorem citat quod humana divinitus faceret et divina humane. Unde eius actio theandrica dicta est. Arcissima vero additur quia dum utraque Christi natura, humana scilicet et divina in nobis anima et corpore, velut duabus quoque naturis constantibus, per hoc Sacramentum vere et substantialiter manet, et nos in eo realiter et substantialiter manemus ac non tam ipsius naturae participationem quam unitatem, ut Chrysostomus (6) ait, adipiscimur. Unde spiritus noster ad novam vitam et divinae naturae participationem redintegratur, ac corporis nostri corruptioni subiecta natura ad incorruptionem et immortalitatem communiōne atque adeo unione vivificatricis Dei carnis praeparatur atque renovatur, quemadmodum postea latius explanabimus. Verum enimvero ut quam arcte quam intime Christus nos sibi uniat intelligatur, silentio praetereundum non est maiorem nonnullis eximiis viris hanc unionem visam quam corporis uniuscuiusque cum capite suo coniunctionem aut filiorum cum parentibus; neque desunt qui maiorem etiam asserant esse unionem quam formae cum materia, neque absurdum hoc iis videtur qui intelligunt magis uniri speciem intelligibilem intellectui quam formam materiae. Porro arcissimae nostrae cum Christo unionis causa est ineffabilis erga humanum genus Dei benignitas quae humanam omnem rationem excedit. Ipsa enim est *pax quae superat omnem mentem* (7). Cumque unitas

f. 132

(2) *Clementin.* 1. 3, tit. 16 (de reliquiis et veneratione Sanctorum).(3) Cf. *Conc. Eph.* (DB. 123).(4) *Ep.* 4; PG. 3, 1072.(5) *In Ep. 4 Cajo Monacho*; PG. 4, 534.(6) *In 1 Cor.* 10, 16; PG. 61, 200.(7) *Phillip.* 4, 7.

- f. 132^v atque coniunctio dilectioni respondere debeat, consentaneum rationi est ut quemadmodum dilectio, qua * a Christo diligimur omnem aliam superat dilectionem, immensa enim est, sic unitas qua nos sibi conglutinat omnem quae mente concipi potest in rebus creatis superet unitatem. Quapropter nulla apta similitudine exprimi potest; unde fit ut multis similitudinibus ad eam explicandam Sancta Scriptura utatur, ut habitatoris et habitationis, vitis et palmitum, membrorum et capitis. Hinc etiam nuptiarum similitudo inducitur. Harum tamen omnium nulla nostrae cum Christo unitati ex aequo respondet: fieri enim non potest ut aretissimae eius unionis proprietates ac vis quae ab immensa in nos dilectione oritur humana ratione exacte et aequè exprimat. Inter eas vero quarum meminimus similitudines, viri et uxoris et membrorum cum capite coniunctio proprius nostram cum Christo unionem referunt quamquam longe minor unaquaeque earum sit quam nostra cum ipso conglutinatio ⁽⁶⁾. Coniuges enim etsi una caro esse dicantur non vivunt invicem in seipsis, quod de Christo et Ecclesia eiusque membris secus esse intelligitur. Membra quoque capiti copulata quamvis eadem vita cum capite vivant, haud tamen adeo arcta connexionione capiti coalescunt ut ii qui Christo per sacra mysteria uniantur. Multa enim sunt quibus indigent membra ut operari iuxta facultates ipsis innatas possint. Membrum praeterea unum reliquorum membrorum officia non praestat; nam oculus tantum videt ac manus tangit, neque oculo neque manu odorem aut sonum percipimus. Christus autem iis qui in ipso vivunt ita omnino est ut omnem visum praebet, omnia ipsis sit neque sinit aliorum respicere aut aliunde quidquam quaerere. Nullo enim indigent ii
- f. 133^r in quibus Christus est quod ipse non * sit. Gignit enim et auget ac nutrit. Lux est et spiritus; fingit in ipsis oculum seipsum, et seipso rursus illuminat atque seipsum videre praestat; nutritor et alimentum est: ipse vitae panem praebet, ac quod praebet ipse est; ipso possumus ambulare et ipse est via, refectio quoque et viae terminus: membra nos sumus et ille caput. Certare oportet, ille se socium in pugna exhibet. Ille certaminis praeses et iudex. Vinco ego, coronat protinus ille. Nulla porro coniunctio atque unio cum hac nostra cum Christo unitate conferri potest. Siquidem Christo vere uniti magis cum ipso connectentur quam ipsimet sibi ipsis, modo unio alicuius ad seipsum esse posset quod sancti martyres manifestum nobis reddunt, qui quidem neque ore tenus a Christo dividi potuerunt, multo amplius ipsum quam semetipsos diligentes. Testatur hoc et

(6) Videas ergo quam longe a Card. Mendozae mente aberrat VASQUEZ, *De Venerabili Eucharistiae Sacramento*, disp. 204, c. 4, qui putat per similitudinem nuptiarum unionem eucharisticam recte posse explicari.

Paulus ⁽⁹⁾ precatus nonnumquam separari a Christo modo Judaei salutem consequantur ut Christi gloria augeatur. Si ergo tantus amor, tanta amoris vis, tantum philtrum in homine reperitur, divinum quale erit? Satis ostensum esse existimo quare arctissimam coniunctionem, naturalem cum Christo unitatem esse dixerimus.

CAPUT III.

AccuratioŖ declaratio naturalis nostrae cum Christo unionis.

Ut maiorem nostrae cum Christo unionis cognitionem habeamus animadvertendum est quod et Dionysius *de divinis nominibus* disserens scribit ⁽¹⁾: « In Deo divinam quamdam et superessentialem unitatem esse mira naturae simplicitate, actionis immobilitate, voluntatis quiete in seipsum velut fine virtutum omnium pro * cuiusque modo conciliatrice. Unde dicitur esse Deus totus toti sibimet unitus; quia quid in eo cogitari potest, est ipse totus, quod neque Angelis competit ». Nam quidquid praeter Deum est unitum, non est unitas ipsa sed unitatem quamdam a summa atque ideo ipsa simpliciter unitate quae Deus est, mutuatur; cui in rebus primum propositum esse, Dionysius asserit, temperare invicem, et commiscere unione quadam eorum invicem confusa, per quam absque divisione, distantiaeque coniuncta, simul integra, tamen in sua quaeque specie permanent. f. 133^v

Unio autem haec, ut antea diximus et ex ipso Dionysio ⁽²⁾ constat eiusque interprete Maximo ⁽³⁾, communicationem participationemque significat, quod et Joannes Damascenus ⁽⁴⁾ apertis verbis testatur. Participationem hanc nobis praestari per Eucharistiae dignam perceptionem ex Concilio Toletano XII ⁽⁵⁾ liquet, inquit enim: « Ergo modis omnibus tenendum est ut quotiescumque sacrificans corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi in altari immolat, toties perceptionis corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi participem se praebeat ». Communicationem corporis et sanguinis dominici participationem appellat.

⁽⁹⁾ Rom. 9, 3.

⁽¹⁾ *De Divinis Nominibus*, c. 2, § 11; PG. 3, 650.

⁽²⁾ *De Ecclesiastica Hierarchia*, c. 3, § 1; PG. 3, 423-426.

⁽³⁾ *In Ecclesiastica Hierarchiam*, c. 3, 1; PG. 4, 135.

⁽⁴⁾ *De fide orthodoxa* l. 4, c. 13; PG. 94, 1154.

⁽⁵⁾ Anno 681 celebratum: D. MANSI, *Conciliorum amplissima collectio*, Florentiae 1764, t. II, col. 1023-1024.

f. 134^f Ambrosius ⁽⁶⁾: « *Ego sum panis vivus qui de coelo descendi* »: sed caro non descendit de coelo, quomodo ergo descendit de coelo panis vivus? Quia idem Dominus consors est divinitatis et corporis, et tu qui accipis carnem divinae eius substantiae in illo participas alimento ». Ambrosius et orthodoxi * omnes Patres carnem Christi haud a divina substantia separant. Corpus enim Dei, corpus spirituale; corpus Christi, corpus divini spiritus est. Unde Hieronymus ⁽⁷⁾: « Dupliciter intelligitur caro Christi et sanguis vel spiritualis illa ac divina de qua ipse ait: *Caro mea vere est cibus et sanguis meus vere est potus*, vel caro mea, ea quae crucifixae est et sanguis qui militis effusus est lancea ».

Sed ad unionem hanc de qua agimus declarandam redeamus. Ea omnia quae distantia sunt inter se, unum fieri nequeunt nisi per medium aliquod connectantur quemadmodum vir et mulier qui cum duo sit distincta supposita tam genealogia quam differentiis singularibus et individuis, ad hoc ut unum fiant medio aliquo indigent, quo unitas inter ipsos perficiatur, quam unitatem matrimonium vocamus; medium autem est mutuus consensus, quo duarum in differentibus suppositis voluntatum consensus et unitas efficitur. Atque si carnalis copula accedat, mutuus amplexus carnalisque commistio medium est, per quod diversa utriusque caro una dicitur. Duplici itaque medio duplex unitas inter coniuges fit, altera voluntatum, altera vero carnis. Sed ut apertiori exemplo hoc ipsum ostendatur, adferamus quod Demetrius Chomatianus totius Bulgariae Archiepiscopus adfert ⁽⁸⁾: « Diversas, inquit, materias consideremus quae in medium adductae, interveniente velut medio excogitandi vi et manu, domus formam absolvunt, et postquam commissae sunt iam non nominantur singulae per se id quod sunt, sed * unica forma domus quam si oportuerit absolvi unumquodque eorum quae convenerunt salvum post solutionem invenitur et in alteram constructionem aedificii utile esse potest ». Cum igitur manifestum sit unumquemque hominem et Christum duo distincta supposita esse distareque inter se differentiis singularibus, medio aliquo opus est per quod homo Christo Deo et Homini naturaliter uniatur; id non aliud a Sanctis Patribus traditur quam ipsa Christi caro et divinus eius sanguis digne sumpta quocum ipso spiritualiter naturaliterque coniungatur. Cumque iuxta substantiam carnis omnes homines per Incarnationem Verbi unum sunt,

⁽⁶⁾ *De sacramentis*, I, 6, c. 1; PL. 16, 1765.

⁽⁷⁾ *In Eph.* I, 7; PL. 26, 451.

⁽⁸⁾ Rectius: DEMETRIUS CHOMATIANS, Archiepiscopus Achridanus (+ 1240 circa), de quo cf. L. PETIT, *Démétrius Chomatianus*, DTC; in PG. 119, 947-960 editum est opusculum de controversia eucharistica Graecis inter et Latinos a nostro auctore exaratum, at locus hic allegatus ibi non reperitur.

primum illud, secundum habitum est, quo in unam sententiam et in unam voluntatem duo aut plures conveniunt. Hoc sic esse ex Cyrilli verbis docemur, qui de coniunctione quae fit per dilectionem loquens, ait non effici posse ut incommutabiliter in identitate substantiae ita uniamur ut medium unitatis divinae assequuti videamur ⁽⁹⁾: « Illa enim, inquit, cum naturalis et vera sit in substantiae ratione inspicitur, haec vero unitas in habitum imitatur. Quomodo enim veritati primitivae per imitationem nos adaequabimur? non enim idem est veritas et veritatis imitatio, sed quamvis proportione quadam atque similitudine aequabilitatem habere videantur, distant tamen ingentibus differentiis ». Dionysius etiam de similitudine quam cum Christo habemus per eius sinceram * ac divinae vitae imitationem quae necessaria nobis est ut membra corpori congrua simus, sic ait ⁽¹⁰⁾: « Nobis enim si eius communionis cupiditate ducimur, divinam vitam quam ut homo accepit proponere debemus et eius in non peccando similitudine ad divinum integrumque statum currere. Hoc enim nobis pro captu nostro communionem cum simili concedet ».

f. 135^v

Alterum vero medium secundum coniunctionem aut conglutinationem aut commistionem (commistio enim coadunationem significat si Chrysostomi, Cyrilli ⁽¹¹⁾, et aliorum veteribus vocabulis uti volumus) appellari potest, secundum quam quae distincta sunt in unum coeunt, quemadmodum de corporali viri et uxoris unitate diximus. Medium ergo per quod homo unum spiritu cum Christo efficitur fides et dilectio est, quae eiusdem cum Christo sententiae ac voluntatis nos efficit, quaeque in baptismo infunditur, per quam etiam divinus Spiritus in nobis inhabitare incipit nosque sua gratia in ipsum Deum rapit atque transformat. Haec nostrae sententiae voluntatisque cum divina voluntate unitas unum nos cum ipso per gratiae participationem efficit, et quia fides et dilectio nexus et medium spirituale est huius unitatis per quam Deo mente spirituque unimur, spiritualis unitas, hoc est divini spiritus participatio nuncupatur, quamquam qui proprius loqui volunt principium dilectionis caritatem magis velint dicere quam medium, eo quod actus dilectionis immediate transit in Deum ut in amatum, non autem in habitum caritatis. Sed hoc parum interest. Nam quum inter * amantem et Deum amatum non designetur unitas substantiae, principium medii locum obtinet. Medium vero per quod naturaliter corporaliterque Christo unimur ipsummet in Eucharistia Christi corpus est quod digne a nobis sumptum id quod sumimus nos efficit, corpus scilicet Christi; corpus, inquam, spirituale; naturali tamen necessitudine ipsi capiti

f. 135^v

⁽⁹⁾ De SS. Trinitate, dialogus 1; PG. 75, 695.

⁽¹⁰⁾ De Ecclesiastica Hierarchia, c. 3, § 12; PG. 3, 443.

⁽¹¹⁾ Supra, p. 41, 51, 77, 91.

Christo coaptatum. Unde naturalis corporalisque inter nos et Christum unitas consurgit, non quidem hypostatica sed quae perfecta carnis eius communione constat. Eadem ratione qua spirituali unitate unum cum ipso non naturae identitate sed gratiae spiritusque communione efficitur. Ipsa enim Christi caro spiritus dicitur; quare non ei repugnat corpus spirituale effici quod per eius carnem ipsi naturaliter connectitur. Participatio itaque gratiae Christi cum hac corporis Christi dotium communicatione coniuncta, omnem nostram deificationem ab omni parte perficit unusque spiritus et unum corpus cum illo effecti de spiritu eius vivimus, de cuius corpore sumus (12). Hoc ipsum paucis verbis Cyrillus explicat inquitens (13): « Qui Domino conglutinatur, unus cum Deo spiritus est. Quomodo igitur caro una cum eo non appellabitur? ». Quasi velit dicere: quemadmodum spiritus noster in unitatem gratiae Christi euectus unus spiritus est cum Deo, hoc est divini spiritus consors et particeps existit, ita caro nostra in unitatem et similitudinem qualitatum Christi carnis sublevata una caro cum Christi carne sit, quae vivifica et sua vi ac virtute carnem nostram per omnimodam similitudinem ad renovationem et gloriam, quam post resurrectionem in coelo habitura est, praeparat, ubi spiritus noster cum ipsius spiritu * per mentis voluntatisque concordiam unio, carnisque nostrae cum ipsius carne per Eucharistiae sumptionem naturalis quaedam unitas in hac vita inchoata, summam perfectionem consequetur. Atqui corporalis istius coniunctionis effectum in nobis Gregorius Theologus, referente Iobio monacho apud Photium (14), optime declarat: « Σάρκα γὰρ φορεῖ, φησὶ, διὰ τὴν ἐμὴν σάρκα, καὶ ψυχῇ νοσεῖ διὰ τὴν ἐμὴν ψυχὴν μίγνυται, τῷ ὁμοίῳ τὸ ὁμοιον ἀνακαθαίρων. Καὶ ἔτι, ἵνα τὸ λογικὸν ὑπὸ τοῦ ἀλόγου καταδουλωθῆν αὐτὸς Λόγος ἂν ἐλευθέρωσῃ ἀνακαλεσάμενος. Ἐπὶ τούτοις δὲ καὶ ἐπει δ' Ἀδάμ νικηθεὶς τὸ ἐν αὐτῷ Θεοειδὲς τοῖς τῆς σαρκὸς μυρίοις κατέχωσε πάθει καὶ τοῖς ἐξ αὐτοῦ βλάβην διέδωκε, διὰ τοῦτο σαρκούται ὁ Κύριος, καὶ τῷ πέλγει τῆς ἰδίας θεότητος τὴν τῆς ἡμετέρας φύσεως ὑποδέχεται σταγόνα, ὡς ἂν τὸ θνητὸν ὑπὸ τῆς ζωῆς καταποθῆ καὶ εἰς τὸ γένος ἕλον παραπέμψῃ τὸ δῶρον, καὶ ἵνα τὸ ἄφατον πέλαγος τῆς αὐτοῦ πρὸς ἡμᾶς φιλανθρωπίας ἐνδελεξῆται » Hoc est: « Carnem enim gestat propter meam carnem et animae intellectuali copulatur propter meam animam; simile simili repurgans, atque ut rationale ab irrationali oppressum ipse Verbum existens in libertatem revocare. Praeterea cum Adam illam divinitatis portionem quam in se habebat innumeris vitiis obruisset damnique in posteros transmisisset, ideo Deus carnem assumpsit ut im-

(12) Allusio ad AUGUSTINUM, *In Jo.* tr. 26, n. 13; PL. 35, 1612-1613.

(13) *In Jo.* l. 4, c. 3; PG. 73, 604.

(14) *Photii Bibliotheca, Codex 222*; PG. 103, 753.

menso divinitatis suae pelago naturae nostrae guttam exceperit * ut mortalitas a vita absorberetur ac donum in universum genus humanum derivaretur, ac denique ut ineffabile ipsius erga nos benignitatis pelagus declararet ». Porro donum hoc per carnem et sanguinem suum omnibus digne sumentibus mirum in modum communicatur. Huic Gregorii sententiae, praeter plerosque vetustos Patres Dionysium, Theophylactum, Euthimium, eruditissimi viri Lincolnensis Dionysii interpres, et Albertus Magnus super Matthaeum, et Thomas Waldensis adstipulantur ⁽¹⁵⁾. f. 136^r

Hi enim omnes Sanctorum Patrum scriptis edocti ut antea docuimus, animadverterunt, maximum inter Domini nostri Jesu Christi facta extitisse, quod carnem suam manducandam et sanguinem suum bibendum suis dederit, ut hac via, qui solius unius hominis naturam assumpserat, cunctos homines digne illius corpori et sanguini per Eucharistiam communicantes sibi uniat ac singulariter in unoquoque eorum per corporalem suam praesentiam naturaliter maneret, quo singulorum quodammodo hominum naturam in se sumere videretur ut suae singulos participes efficeret. Atque quum ipse in unoquoque suorum ita maneret, singuli quoque ipsius naturae participarent. Unde Anselmus ⁽¹⁶⁾: « Anima, ait, nostra et corpus tandem conformatur animae et corpori Christi secundum receptionem eiusdem beatitudinis ». Haec participatio et unitas et mansio in Christo est. Pater quoque et Spiritus Sanctus quibuscum ipse unum natura existit, ineffabili etiam quodam modo in eodem manent, nobisque digne communicantibus * uniuntur. Differt tamen ea unio qua natura humana f. 137^r
Verbo unita est ab hac unione qua nos singulos sibi unit; quia per illam humana natura a Verbo assumpta in unitatem personae tracta fuit, duarumque naturarum, divinae scilicet et humanae, Unigenitus Dei Filius unum tantum suppositum est. Nos vero cum sibi per dignam Eucharistiae sumptionem unit, non in unitatem divinae ipsius personae trahit sed in unitatem spiritus sui et omnimodam suae carnis similitudinem qua per haec sacra mysteria tamquam per humanum instrumentum nobisque connaturale participamus per illa tamquam instrumenta et media quaedam nostrae naturae consentanea et conformia, virtus et efficacia beatae eius passionis ad nos pervenit, et vim virtutemque Christi naturae haurimus. Ac quemadmodum de Spiritu Mosis septuaginta illos seniores plenos fuisse in Exodo ^(16bis) legimus qui quidem spiritus unus et idem tum in Mose tum in senioribus fuit, ita quoque unus spiritus et in Christo qui verus est Moses et

⁽¹⁵⁾ Loci supra passim allegati sunt.

⁽¹⁶⁾ In 1 Cor. 10, 16; ed. Coloniae Agrippinae 1533, p. 159 B.

^(16bis) Ex. 24, 9.

omnibus ei per gratiam unitis est, qui in unitate Christi carnis per eandem carnem communicamus. « *De plenitudine enim eius nos omnes accepimus et gratiam pro gratia; quia lex per Moisen data est, gratia et veritas per Christum facta est* » (17).

- Unum tamen nos hic admonere oportet ne existimemus hanc spiritus accidentaliumque Christi carnis proprietatum participationem per unitatem tam spiritualem quam naturalem nobis contingentem absque substantiali naturae humanae transmutatione, unionem nostram cum Deo aut ipsam nostram deificationem quidquam imminuere. Nihil enim ex eo deificationi tum corporis tum animae detrahatur, quia eadem animae et corporis nostri substantia quoad essentiam manet. Nam utraque a Deo ita creata sunt ut ad aeternam felicitatem divinumque * consortium consequendum non indigeant naturali aliqua sui immutatione modo veteris ac terreni illius Adae imago quae tam superiores quam inferiores animae vires evertit carnemque ipsam infecti deponatur, ac novae caelestisque Adae forma induatur per quam gratia primi parentis inobedientia amissa recuperetur. Est ergo haec ipsa participatio Christi spiritus accidentaliumque Christi corporis dotium communicatio ac participatio et ipsius nostrae substantiae tam quoad corpus quam quoad animam perfecta reparatio ac reformatio atque adeo deificatio nostra vera. Quod si nostra vel corporis vel animae natura substantialiter converteretur transmutareturque, modo nullam felicitatem consequeremur sed ne essemus quidem diversi nimirum a nobis opus fuerat ad perfectam felicitatem ac beatam aeternamque vitam divino consilio summaeque Dei bonitati, maiestati, sapientiae, iustitiae congruenti nobis datum est. Quam haec vera, quam sublimia, quam salutaria, quam divina, quam denique necessaria sint ut ab omnibus intelligantur, illi recte iudicabunt qui spiritu pariter ac corpore Christo conglutinati, ea qua oportet pietate ac devotione creberrime sacramentorum mysteriorum esu animas corpora et spiritus suos integros in Christi spirituali corporalique unitate conservarint atque sanctificaverint. Recte etiam hi iudicabunt qui Spiritus Sancti lumine illustrati percipient quantum haec naturalis unitas cum Christo animis corporibusque conferat cum nihil sublimius Ecclesia habere videatur quam quod per corpus et sanguinem dominicum etiam iuxta corporis substantiam ac naturam unum cum Christo sit eiusque corpus efficiatur
- f. 138* * spiritus, carnisque ipsius per divinissimum hoc Sacramentum digne sumptum virtute vivificatrice a fidelibus hausta.

(17) Jo. 1, 18.

CAPUT IV.

De spiritualis cum Deo unitatis causa et appellatione.

Ut haec ipsa magis innotescant iuvabit de utraque hac cum Deo coniunctione accuratius considerare. Primum ergo de spiritali disse- ramus per quam unum nos cum Deo effici diximus, non unius naturae constitutione sed gratiae habitudine participationeque divinae Christi naturae. Nam cum Deus solus secunda suam naturam propriam formam habeat in qua nihil creatum cum ipso communicat a solo ipso humanus intellectus per lumen gloriae disponi potest ut ab eo per essentialiter Deus cognoscatur; qui tunc demum cognoscitur cum ipse Deus sit forma intellectus ipsum cognoscentis eique coniungitur ut humanae naturae conditio fert. Ita quoque pro praesenti vita dispositio et medium supra naturam consequitur ut ipse Deus fiat quodammodo forma humani intellectus ipsum cognoscentis quamvis velut in speculo ac in aenigmate: et est lumen fidei quam dilectio erga Deum perficit hominemque cum Deo connectit, *divinaeque naturae*, ut inquit Petrus (1), *consortem efficit*. Deus nempe cum spiritus sit, spiritu tantum attingi potest. Per gratiam enim quam per fidem et baptismum assequimur, Christo incorporamur iuxta Pauli sententiam (2): « *Et quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis* ». * Et alibi (3): « *Habitare* f. 138' *Christum per fidem in cordibus* », ait. Haec Christi habitatio in nobis per fidem nostram cum Christo unionem spirituales significat. Fides enim est scientia quae demonstrari nequit; quod si est scientia demonstrationis expers procul dubio, ut in *Maximi capitibus* habeatur (4), fides est habitus supra naturam per quam modo incognito et non demonstrabili unimur Deo, unione intellectum superante.

Cum igitur fides sit Dei cognitio atque divina scientia, consequitur unio cognitionem. Siquidem omnis cognitio cognitum intellectui unit. Adde, ut B. Augustinus (5) ait, Christum habitare in nobis per fidem; quia Christus in fide, fides in mente, mens in corde, cor in pectore. Christo itaque uniti incorporatique filiationem Dei adoptivam ea consequimur participatione quam in Christo per fidem dilectionemque in eum habemus, per quam non mutata remanente animae nostrae substantia, fide caritateque Deo adhaerentes, non amplius secundum carnem vivimus, sed veluti divinae naturae participes deiformesque effecti secundum spiritum Deo coniungimur eique in omnibus

(1) 2 Petr. 1, 4.

(2) Gal. 3, 27.

(3) Eph. 3, 17.

(4) *Capita theologica, centuria II, n. 8; PG. 90, 1223.*(5) Cf. *Decretum Gratiani c. 75, D. II, de cons.; PL. 187, 1760, 1766, 1772.*

placere studemus, atque ita unum cum ipso fieri spirituali connexione eiusque spiritum in nobis habitantem habere dicimur. Et quemadmodum viri et uxoris mutuo consensu matrimonium contrahitur et unum quodammodo coniuges efficiuntur vinculumque et unio^o quae ex illo consensu oritur spiritualis est; ita quo anima nostra, per gratiam quae spiritualis res est, sponsa fit immortalis sponsi unumque cum eo corpus spiritualiter efficitur. Atque nexus ille cum immortali * sponso sponsam in unum constringens spiritualis unio nuncupatur, hoc est participatio Christi spiritus ut Dionysius (*) saepe ait, et Maximus (†) eius interpres plurimis locis testatur.

CAPUT V.

De naturalis unitatis causa appellationeque per quam caro Christi et naturaliter ei uniti caro, una caro dicitur.

Haud igitur dissimili ratione unitas naturalis dicitur esse nexus ille quo Christo incorporamur atque unimur, cum non solum per fidem et dilectionem spiritu mentisque ipsum complectimur, sed etiam per realem ipsius in Eucharistia praesentiam manentem in nobis habemus ut iam saepius dictum est. Non enim est maior ratio cur potius illa quae per fidem et dilectionem incorporatio est, spiritualis unio dicatur, quam haec naturalis appelletur. Haec enim spirituali superaddita efficit ut ipse Christus totus in nobis totis per sacrorum mysteriorum esum in propria substantia quamvis sub alia forma maneat, et ut nos quoque vicissim spiritu simul ac corpore illi coniungamur, utque fidei lumen et caritatis vinculum perfectius in nobis sit.

Adde his quod Dionysius, Innocentius III, Thomas caeterique doctores (‡) sacramento Eucharistiae ipsam unitatem perfici tradunt, eiusque proprium effectum esse hominis transmutationem in Deum et perfectionem illius incorporationis participationisque quam baptismus operatur. Cum itaque Christo non tantum unione spirituali uniamur, spiritualique eius naturae participemus, qua ut Deus per spiritus sui gratiam spiritualiter nos sibi * connectit, sed naturali etiam corporali-
 que unitate qua ut homo per benedictionem mysticam nobis unitur; nosque unificatricis suae carnis immortalitatis et gloriae participes ef-

(*) *De Ecclesiastica Hierarchia*, c. 3, passim; PG. 3, 423-446.

(†) *In Ecclesiastica Hierarchiam*, c. 3, passim; PG. 4, 135-151.

(‡) Ut videre est supra, in libro primo.

ficat, non video quo pacto nexus hic non sit dicendus naturalis unitas quemadmodum ille alter spiritualis unio dicitur. Nam et coniuges qui unum spiritali vinculo per consensum voluntatum tantum erant carnali postea copula una caro dicuntur, quia carnali vinculo colligati sunt, ut *Thomas* (2) ipse illud Pauli: «*Erunt duo in carne una*» per carnalem exponit coniunctionem, idest in carnali opere. Neque aliena ab hac re cuiquam videatur haec carnalis copulae similitudo quandoquidem ea usum Paulum constat. *Chrysostomus* (3) sacramentum hoc nuptias appellat. *Sanctus quoque Ephrem* (4) copulam nuptiarum sacramentum hoc divinisimum appellavit. Siquidem quemadmodum per copulam carnalem matrimonium quod contractum tantum per consensum voluntatum dicitur, per carnalem coniunctionem consummatur, ita etiam coniunctio, quae per fidem et dilectionem nos Christo spiritualiter unierat participesque eius spiritus effecerat per corporis et sanguinis eius dignam perceptionem perficitur, dum, ut paulo ante dicebamus, fides ipsa ac dilectio quae primum nos Deo spiritualiter in baptismo incorporat mirum in modum augetur atque perfectissime per hoc Sacramentum consummatur. Nam in hoc fides non tantum habitu habetur sed actu etiam exercetur. Perfectionem vero maiorem in actibus quam in habitibus consistere praeter philosophorum * traditionem, theologorum omnium sententia est.

f. 140^r

Ad haec in hoc sacramento non modo humana ratio divinae veritati contra omnes naturae leges cedit, sed sensui ipsi in obsequium fidei vis quaedam inferri videtur, dum unum videt aliud reddi, unum tangit aliud fatetur, unum gustat aliud asserit. Iam ipsa hominis voluntas nulla alia re magis in amorem Creatoris sui accenditur quam cum cernit ita ab ipso Unigenito Filio Dei hominem amari, ut non satis habuerit dedisse seipsum homini in pretium redemptionis sed dedisse quoque se ei in cibum agnoscit, ut unitate corporis quemadmodum cibus et sumens, ut *Thomas* inquit (5), unirentur atque ut una caro nostra immunda carni Filii Dei mundissimae unita unumque cum ipsa effecta de spiritu eius qui vere vivit viveret, quemadmodum corpus de suo spiritu vivit, ut *Augustinus* ait (6). Si igitur lumen fidei dispositio est qua Deus fit forma intellectus ipsum cognoscentis eique coniungitur non ad unam naturam constituendam, fidei ac dilectionis perfectio erit ipsius coniunctionis consummatio eo quo dictum est modo. Quid ergo iam per ipsam corporalem cum Christo coniunctionem intelligere debeamus non parum nobis exposuit spiritualis unitatis

(2) *In Eph. lect.* 10.(3) *Supra*, p. 25.(4) *Supra*, p. 80.(5) *Ps. THOMAS, De sacramento altaris*; Opera omnia, Venetiis 1593, t. 17, p. 50.(6) *In Jo. tr.* 26, n. 13; *PH.* 35, 1612.

declaratio nuptiarumque immortalium similitudo; est enim communicatio spiritus et vivificae Christi carnis quae summe nos cum ipso unit consortesque incorruptibilis et gloriosae ipsius naturae reddit, auctore Dionysio (7) et eius interprete Maximo (8).

CAPUT VI.

Quare naturalis unitas a Patribus nuncupata sit et quanam illa sit diligentius indagatur.

Ut magis et magis explicetur quare Sancti Patres naturalem hanc unitatem inter nos et Christum vocarint, ex iis quae supra dicta sunt f. 140* nonnulla summarie repetenda erunt, nimirum ita ab eis vocatam ob realem et veram Christi praesentiam quam ipsius corpus et sanguinem sumentes intra nos corpore et anima constantes habemus atque ob divinam pariter illam operationem quae virtute et efficacia vivificatricis eius carnis pie a nobis manducatae divini spiritus immortalisque carnis suae et proprietatum eius consortes nos facit. Quamquam haud ignoro non defuturos qui hanc naturalem unionem haud facile comprobent dicentes: theologos summos solam unionem amoris, similitudinis et imitationis inter nos et Christum agnoscere et praedicare, sed hoc non obest naturalis istius unitatis veritati quominus naturalis unitas dicatur, quae non voluntatum modo sed etiam naturae nostrae convenientiam et similitudinem cum Christi naturae proprietatibus efficit. Ob hanc namque omnimodam similitudinem quae per gratiam a vero Christi corpore promanantem et animam corpusque digne sumentium reficientem sit, naturalis unitas a Patribus haec nostra cum Christo coniunctio est appellata. Quaecumque enim omnimodam similitudinem inter se naturaliter habent, auctore Cyrillo (9), nulla ratione a naturali proprietate separari possunt, ipsaque spiritus et carnis nostrae ad Christi carnem et spiritum perfecta similitudo ac convenientia a vera propriaque Christi carnis natura arctissime nostris visceribus inhaerente perfecta, naturalis unionis communionisque nomen merito consequitur, nec tam nomine quam re ipsa haec communicio naturalisque unio dicenda est. Non enim tam corpori illius secundum communem naturam corpus simile adipiscimur (tale enim antea habebamus congeneres et consubstantiales quoad humanitatem ei facti)

(7) Cf. *De Ecclesiastica Hierarchia*, c. 3, § 12-13; PG. 3, 443.

(8) Cf. *In Ecclesiasticam Hierarchiam*, c. 3, § 12-13; PG. 4, 150.

(9) *In Jo. l. 11*, c. 11; PG. 74, 559.

quam ipsius Christi corpus efficitur ab illo generationem et vitam
tamquam a * capite et corde trahentes non spirituali tantum per di- f. 141^r
lectionem coniunctione, sed naturali etiam connexionem vere ei uniti
ob spiritus et carnis proprietatem cum ea quae propria Christi facta
est carne, per sacra dona similitudinem atque unitatem quodammodo.
Unde plerique ex Patribus Graecis quos communi omnium hominum
natura congeneres et cognatos norunt συσσωμους, (2) hoc est concorpo-
res hac corporali unitate per Eucharistiam coniunctos, ut antea patuit,
nuncuparunt: quo vocabulo Paulus quoque usus fuit (3) et
Athanasius inquit (4): « Ut nos concorporales coaptati et colligati
Christo per carnis similitudinem in virum perfectum occurrentes,
immortales et incorruptibiles permaneamus. Hanc carnis et spiritus
similitudinem qua in virum perfectum occurremus, immortales et in-
corruptibiles tunc adipiscimur cum eius corporis et sanguinis participes
efficitur ».

Cum itaque adeo omnimoda sit nostra cum Christo similitudo ut
secundum ipsam humanam substantiam et secundum carnis eius pro-
prietates ipsi perfecte assimilemur, non tam participatio quam unitas
vocanda Chrysostomo (5) videtur. « Est enim unitas, ut
Athanasius ait (6), rerum inter se distantium communis conve-
nientia quaedam », dictaque est unio propterea quod unum fiant hoc
est quod res coeant commisceanturque. Si vero res quae ita coeant eam-
dem naturam et substantiam habent licet differentibus suppositis sub-
sistant naturaliter uniri et commisceri dicentur ob naturae eiusdem in-
vicem communionem vimque ac proprietatem eandem inter ipsas coe-
lescentem. Haec nostra cum Christo communicatio atque adeo unitas ad-
scribi debet * vivificatrici ipsius Christi assumptae carni, nobis in f. 141^v
cibum dein ab ipso datae qui apti nati divina benignitate ab ipsa
creatione fuimus divinitatis ipsius participes fieri per sanctorum eius
virtutum imitationem et gratiarum similitudinem atque eius pariter
humanitatis per incorruptionis et immortalitatis reliquiarumque ipsius
quae Verbi propria facta est carnis proprietatum communicationem
et omnimodam similitudinem. Unde illud Joannis (7): « Scimus quia
cum apparuerit similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est ».

Divus quoque Athanasius etiam ait (8): « Simul ac Deus

(2) *Supra*, p. 66.

(3) *Eph.* 3, 6.

(4) *Oratio 2 contra Arianos*, n. 74; PG. 26, 306.

(5) *In 1 Cor.* 10, 16; PG. 61, 200.

(6) *Ps. ATHANASIUS, De definitionibus*, c. 5; PG. 28, 543.

(7) *1 Jo.* 3, 2.

(8) *Oratio 3 contra Arianos*, n. 34; PG. 26, 397; cf. J. GROSS, *La divinisation du chrétien d'après les Pères Grecs*, Paris 1938, p. 206-210.

homo factus est, homo quoque Deus esse coepit ». At haec unio et participatio quae fit per Christum naturaliter nobis unitum, quia per corpus eius naturale efficitur quod ipsius instrumentum proprium et coniunctum est, naturalis et corporalis recte dicitur, quando naturam corpus significare antea ⁽⁹⁾ ostensum est. Reliqua omnia Sacramenta instrumenta separata a theologis hodie dicuntur, corpus vero Domini coniunctum instrumentum, nonnumquam ab eisdem appellatur; quod ab Athanasio ⁽¹⁰⁾ nonnumquam humanum instrumentum, nonnumquam etiam corporeum vocatur, quidam quoque hac aetate theologus haud ignobilis ⁽¹¹⁾ naturale instrumentum nuncupavit utpote veram corporis et sanguinis Christi naturam continens quod nobis realiter substantialiterque ineffabili modo communicatum per ipsammet Christi substantiam virtutemque ab ipsa in animam et corpus nostrum transfusam totos nos in se rapit divinae gratiae replet, eoque modo Christus in nobis manet et nos in Christo, veraque communitio inter ipsum et nos perficitur. Unde perspicuum est * praeter illam realem Christi praesentiam qua nobis in hoc sacramento Christus mediantibus speciebus sacramentalibus conglutinatur naturali unitate nobiscum coniungi recte asseri: quando cum vivificatrice eius carne et spiritus communionem similitudinem ac immortalitatem consequimur. Homo enim qui secundum ipsius suam ortum mortalis est ut qui ex non entibus creatus ob eius cum Deo similitudinem suam naturalem corruptionem retudit, ut Athanasius inquit ⁽¹²⁾, incorruptibilisque permansurus erat si eam similitudinem Dei cognitione integram incolumemque servasset; ad amissam recuperandam immortalitatem, ad perditam quoque similitudinem per spiritualem naturalemque cum Christo unionem maxime restituitur: cui, nisi Unigenito Dei Filio, homine eiusdem nobiscum similitudine facti, uniri coniungique minime poterat, cuius, quaeso, opera ad recuperandam istam gratiam requirebatur nisi solius Verbi quod ab initio ex nihilo omnia condiderat? Eius enim fuit id quod corruptibile remansit, iterum ad incorruptibilem reducere. « Neque vero existimare oportet Unigenitum Dei Filium, ut Cyrillus ait ⁽¹³⁾, descendere voluisse ut caro sua facta et ad proprietatem suam transformata labi peccareque non posset; neque id templo suo solummodo facturus humanam naturam assumpsit. Quae namque tanta beneficiorum magnitudo esset si unius hominis naturam quam tantum assumpsit servasset? Factus ergo homo est ut uni-

f. 141^{bis} r

⁽⁹⁾ *Supra*, pp. 138-139.

⁽¹⁰⁾ *Adversus Arianos oratio* 3, 31; PG. 26, 389. *Oratio de Incarnatione Verbi*, n. 9; PG. 25, 112.

⁽¹¹⁾ Cuiam alludat invenire non potui.

⁽¹²⁾ *Adversus Arianos oratio* 3, 33; PG. 26, 394-395.

⁽¹³⁾ *In Jo.* 1, 9, c. 1; PG. 74, 275.

verso generi nostro in suo corpore tamquam in primitiis summum bonum adquiret cunctosque sibi connecteret atque * confirmaret cuncti etiam ipsum sequantur ac imitentur ob salvantem in seipso carnis naturam atque sanctificantem. *Et sicut portavimus imaginem terreni portemus et coelestis* » (14). Haec Cyrillus. Quid, obsecro, aliud Deo unumquemque nostrum sic perfecte connectit? Quid ipsum magis sequi et verius imitari nos efficit quam naturalis haec per carnis et sanguinis eius participationem unitas? Hac enim non tam filii parentibus quam fideles Christo uniuntur. Hac imaginem coelestis Adae portamus, siquidem per eam impossibilitatem et incorruptibilitatem perfecte assequimur. Imago enim coelestis hominis, idest Christi impassibilitas et incorruptio, ab eodem Cyrillo esse asseritur, quemadmodum passiones et interitus imago terreni, idest Adae fuerunt.

At vero si quisquam hic obiicere velit per dilectionem humanum quoque spiritum unum cum Deo fieri divinaeque ipsius naturae participare Christoque incorporari et membrum eius effici, id etiam nos fatemur. Ceterum quia is qui spiritu tantum Christo copulatur, una tantum parte ei connectitur et natura Divini Spiritus longissime distat ab humani spiritus essentia, neque ulla inter ipsius et nostrum spiritum naturae communio naturalis est (ille enim seipso sine alterius spiritus consortio beatus est, noster vero non nisi cum divino coniunctus, ille quoque increatus, noster creatus, hominisque pars altera existit) spiritusque corporis natura caret iuxta quam corporaliter cum nostro spiritu coniungatur, neque id etiam corporaliter potest; haud ea naturae similitudo neque communio * et convenientia omnimoda spiritu copulatae reperitur quam inter Christi carnem et nostram esse constat. Essentiae enim diversitas inter extrema naturali communioni, de qua loquimur, et similitudini repugnat ut Dionysius testatur (15): contra vero, ut inquit Athanasius (16), similia cum similibus naturalem quamdam coniunctionem et coadunationem habere solent. Siquidem omnis caro secundum suum genus in unum conciliatur. Quare haec carnis copulatio unio naturalis ob communem omnium hominum carnis proprietatem primo, dein ob propriae Christi carnis naturam ipsiusque proprietatum absolutam nobiscum communionem et omnimodam similitudinem esse asseritur; illa vero per dilectionem vitaeque ipsius Christi divinae similitudinem spiritualis appellatur, quae spiritali coniunctione nos Christo et mystico eius corpori absque corporali commistione unit, quamquam sine illa nec haec quidem subsistere umquam possit. Per animam enim corpus Christi Verbo

(14) I Cor. 15, 49.

(15) Cf. *De Ecclesiastica Hierarchia*, c. 3, § 8; PG, 3, 438.

(16) Cf. Ps. ATHANASIUS, *De definitionibus*, c. 5; PG, 28, 543.

unitum fuit, per animam etiam, quae sedes est gratiae, virtus vivificatricis Christi carnis in corpus nostrum naturaliter Christo per Eucharistiam copulatum transfunditur; per quam, ut Leo Magnus inquit ⁽¹⁷⁾, «in carnem Christi transimus», hoc est carnis Christi proprietatibus per dignam corporis sumptionem communicamus, delictis iis quae carnis nostrae propriae sunt passionibus. Leoni Dionysius, Iustinus martyr, Irinaeus, Hilarius, Cyrillus, Chrysostomus, Isidorus Pelusiotes, D. Thomas innumerique Patres ⁽¹⁸⁾ consentiunt qui naturali hac per cibum dominicum cum Christo unitate effici tradunt ut nostrae carnis substantia, quae immunda et mortalis ex seipsa est, munda et

f. 142^v immortali * carni unita omnimoda cum Christo similitudine immortalitati et incorruptioni carnis Christi conformetur; atque ea ratione in Christi carnem converti dicatur ut latius paulo post explicabitur.

Concludamus ergo hanc nostram cum Christo per dignam corporis eius sumptionem coniunctionem naturalem et substantialem maxime appellari, quia est naturae ad naturam et substantiae ad substantiam et corporis ad corpus et carnis ad carnem et naturae intra naturam et substantiae intra substantiam et corporis intra corpus carnisque intra nos per sumptionem sanctissimi Christi corporis. Secundo quia manentis in manente scilicet corporis, carnis, naturae, substantiae in nobis imo et nos in ipso et ipse in nobis manere dicimur post dignam sumptionem Eucharistiae. Item quia inexistentis cum inexistente, scilicet corporis, carnis, naturae, substantiae in nobis. Item quia unio haec facta est non solum per actionem voluntatis et intellectus Christi Salvatoris volentis eam fieri tantum, sed per influxum divini sui corporis in animam et corpus nostrum eo quo dictum est modo: non, inquam, per actionem moralem eam tantum efficiens sed per vim corporis et virtutem influentem quam ex divinitate participat. Influentem, inquam, in nostram animam et inde in nostrum corpus; quia non est unio solum fidei et caritatis neque actio aut habitus aliquis intellectus nostri aut voluntatis solum quo cum illo naturaliter coniungimur, sed donum quoddam divinum datum in essentia ipsius, quod donum exprimi satis non potest; quia sicut gratia per fidem et dilectionem est in animae essentia secundum S. Thomam, ⁽¹⁹⁾

f. 143^r quae quidem * gratia participatio divinitatis est et esse divinum animae et vita eius elevans animam ad altiores operationes et diviniore et ex ipsa perficiens eius potentias variis infusis virtutibus et per hanc ipsa anima et eius essentia deificatur et fit deiformis et Deus

⁽¹⁷⁾ Sermo 63, 7; PL. 54, 357.

⁽¹⁸⁾ Supra allegati.

⁽¹⁹⁾ Summa Theologica, I, II, q. 110, a. 3; III, q. 62, a. 2.

manet in tali anima et est in ea per gratiam et ita essentia animae unitur Deo mediante gratia: deinde per fidem et caritatem aliasque virtutes unitur secundum potentias et operationes ut ipsae etiam deficientur sicut animae essentia, ita et potentiae et operationes per haec dona. Ita etiam per Christi corpus intra viscera nostra immissum communicatur nobis peculiari divini eius corporis et sanguinis ratione donum quoddam, quod scilicet est vita nostra christifica seu divina et esse quoddam christificum et divinum, quod cum ab ipso gratiae fonte, Christo scilicet divinoque eius corpore proficiscitur atque ex vita et esse corporis Christi derivatur in animam et corpus nostrum, quo quidem nullis verbis satis exprimi potest ad quantam dignitatem caro nostra immunda carni Christi mundissimae connexa evēhatur. Nam sicut per gratiam anima elevatur ad altiores operationes et perfectiones ac qualitates, ita etiam per hoc donum omnis nostra essentia fit cristifica et christiformis; quod quidem donum dicitur vere et est participatio quaedam corporis Christi; et per hoc donum, quod per ipsam veram Christi naturam in Eucharistia communicatam fideles consequuntur, Christus eiusque corpus substantialiter naturaliterque unitur nobis et manet in * nobis sicut Deus etiam manet in anima per fidem et dilectionem; ac demum ex hoc dono rursus in ipso corpore et eius potentiis ea omnia quae antea dicta sunt pariter ex ipsa anima derivantur dona. Sicut enim ex gratia in anima et sicut ex vita naturali nascitur sensus et motus, videlicet ii aut similes effectus concupiscibilem et irascibilem reprimere. Sequitur etiam castigatio corporis et fomitis quasi extinctio, subiectio eius spiritui et obedientia et incorruptio; imo et interim sanitas corporalis et lux seu splendor ac lumen. Interim quoque quod in sanctis et eorum facie solet aliquando splendere et agilitas, imo denique divinum quoddam ius ad illa futurae resurrectionis dona imperfecte et inferiore in praesenti vita gradu, habituris postea perfecte ea in gloria. Nam fit hoc corpus spirituale imperfecte, et fiet postea perfecte ut gratia et caritas et Dei cognitio hic sunt imperfecta postea vero in gloria erunt perfecta et omnia ex Christo ad nos derivata seu a Deo per Christum. Per hanc vero unionem similes omnino effici videmur et transformamur et transmutamur in Christum; quae transformatio et transmutatio talis unionis eiusmodi similitudinibus a Sanctis Patribus declarata sit hoc ipso libro dicetur. Quibusdam enim visum est comparari posse ferro ignito aut vitro quod splendet et fit lucidum soli expositum, sive fermento et massae ceraeque ali cerae infusae.

Sufficiant haec ad intelligendum dilucidius quare haec per * sacerorum mysteriorum dignam perceptionem cum Christo communicatio a Sanctis Patribus naturalis unitas sit nuncupata. Quid etiam sit, quid quoque ipsa comprehendat.

f. 143^vf. 144^r

CAPUT VII.

Eadem naturalis spiritualisque unitas amplius declaratur.

Quoniam ea ipsa quae hactenus tractata sunt maiorem lectoribus lucem devotionemque allatura speramus si amplius adhuc indagentur haud opinamur quemquam taedio affectum iri si dictis nonnulla scitu digna addiderimus ac subinde eadem de eisdem repetierimus. Ubi enim de arcanis difficillimisque divi numinis rebus disseritur melius est iteratae sententiae crimen sustinere quam aliquid eorum praetermittere quae omissa rem obscuram reddunt. Obscura nempe ac difficilis admodum huius unitatis cognitio est, teste doctore gentium Paulo, qui pacem Dei quae eadem cum hac unitate est, *omnem sensum exuperare dicit* ⁽¹⁾. Et magnus illè Dionysius de Christo pacem et unitatem profundente ita ait ⁽²⁾: « Qui omnia in omnibus operatur, pacemque, inquit, conficit ineffabilem ab aevo praedestinatam nosque sibi in spiritu reconciliat ac per se et in seipso Patri quoque reconciliat ». Ac paulo superius ⁽³⁾ de ea coniunctione qua angelicas mentes sibi unit scribens, incognitam coniunctionem appellat per quam animae multiformes rationes suas cogentes ad unamque paritatem intellectualem congregantes procedunt proprio sibi ordine et via f. 144^r per immaterialem * impartibilemque intelligentiam ad superiorem intelligentia unionem. Quaecumque enim sensu percipi nequeunt intellectum humanum superant et difficilia admodum sunt. Hinc divina illa caligo ac divinum illud silentium. Sed quia sicut tenebrae eius ita et lumen eius luxque ex tenebris orta est, conabor de hac ipsa re nonnihil altius explorare. Ergo hanc coniunctionem unionemque de qua agimus quam Christus per *manendi* verbum testatus est ⁽⁴⁾, Paulus ⁽⁵⁾ unitatem unius corporis et unius spiritus cum Christo plerisque in locis appellavit, Hilarius, Cyrillus, aliique vetusti Patres ⁽⁶⁾ Ecclesiam unum esse cum Christo iuxta naturae ac substantiae proprietatem scriptum reliquerunt. Nam quae eodem corpore vesceretur et per eundem spiritum in unum corpus redacta esset necessario capiti viventi vivens ipsa connexa est. Paulus vero Ecclesiam ipsam cum suo capite Christum uno verbo appellavit ⁽⁷⁾: « *Sicut unum corpus est et membra habet multa, ita et Chri-*

(1) *Philip.* 4, 7.

(2) *De Divinis Nominibus*, c. 11, § 5; PG. 3, 954.

(3) *De Divinis Nominibus*, c. 11, § 2; PG. 3, 950.

(4) *Jo.* 6, 56.

(5) *I Cor.* 12, 13.

(6) *Ut supra*, *passim*.

(7) *I Cor.* 12, 12.

stus. « Non dixit, ait Augustinus de Pauli verbis disserens in libro *De Trinitate* ⁽⁸⁾, ita et Christum sed ita et Christus: ostendens Christum recte appellari etiam universum, hoc est caput cum corpore suo quod est Ecclesia. Christus namque cum Ecclesia vir ille perfectus est de quo Apostolus: « *Donec occurramus omnes in unitatem fidei et cognitionis Filii Dei in virum perfectum* ». Vir enim perfectus dicitur quum partibus omnibus integer est, capite corpori coniuncto.

* Si corpus rursus Christus dicitur et Christus non solo verbo f. 145^r neque humanitate sola constat, corpus itidem quod Christus dicitur, spiritu et carne constabit. Athanasius virum perfectum esse ait ⁽⁹⁾, quum unum corpus et unus spiritus omnes in Christo sumus omnesque ex eo participamus et unum corpus efficimur. Unde et itidem Augustinus ⁽¹⁰⁾: « In corpore esto Christi: non potest vivere corpus Christi nisi de spiritu Christi. Inde est quod exponens nobis hunc panem Apostolus: *Unus panis, inquit, unum corpus multi sumus*. Et alibi loquens de membris Christi non ait: *Sic et membra Christi*, sed totum hoc quod dixit Christum appellavit, multa membra unum corpus Christi. Ergo simul omnes cum capite nostro Christo sine capite nostro nihil valentes. Et alibi: *Omnia autem membra quum sint multa unum est corpus ita et Christus*: non ait ita et Christi, sed corpus unum multa membra, ita et Christus. Et quia totum Christus ideo caput de coelo: *Saule, Saule, quid me persequeris?* Idem in eodem: *Tenetis hoc et fixum omnino mandate memoriae ut agnoscatis Christum caput et corpus*, et inde videatis quanta gratia ad Deum pertineatis, ut ipse voluerit nobiscum esse unus qui est cum Patre unum. *Ego et Pater unum sumus*, quomodo nobiscum unus? Non dicit: *Et seminibus, quasi in multis, sed tamquam in uno et semini tuo qui est Christus*. Sed dicit aliquis: Si Christus semen Abrahae * non quidem nos. Memento quia semen Abrahae, ac per hoc si et f. 145^v nos semen Abrahae, ergo et nos Christus. Et post pauca: *Erunt duo in carne una*. Haec autem unitas capitis Christi et corporis Ecclesiae quomodo in sacramento corporis et sanguinis Christi communicando per geminam dilectionem Dei et proximi solidetur et confirmetur ait ipse: *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem in me manet et ego in eo* ». Idem Augustinus ⁽¹¹⁾: « Signum, inquit, quia manducavit et bibit, hoc est si manet et manetur, si habitat et inhabitatur, si haeret et non deseritur ». Theodoretus Cy-

(8) Cf. *De Trinitate* 3, 10; 4, 9; 6, 5. PL. 42, 880, 896, 928. Locus Pauli: Eph. 4, 13.

(9) *Oratio 2 contra Arianos*, n. 74; PG. 26, 306.

(10) *In Jo. tr.* 26, n. 12; PL. 35, 1632.

(11) Cf. *Decretum Gratiani* c. 57 et 75 D. II, de cons., PL. 187, 1760, 1772.

renensis Episcopus Paulum exponens ⁽¹²⁾: « Christum hic, ait, commune corpus Ecclesiae appellavit quoniam huius corporis caput est Christus Dominus ». Anselmus Paulum interpretans scribit ⁽¹³⁾: « De membris Christi idest fidelibus non ait, ita et membra Christi sed totum hoc Christum appellavit. Ergo simul omnes fideles cum capite suo sunt Christus ». Paulo post: « Et inde videmus quanta gratia pertineamus ad Deum ut ipse voluerit esse nobiscum unus qui est cum Patre unum ». Hinc Cardinalis Caietanus ⁽¹⁴⁾: « Cum debuisset dicere ita et corpus Christi dixit: Ita et Christus, quia Christus est velut hypostasis sui corporis mystici ». Dixerat idem Paulus Burgensis Episcopus ⁽¹⁵⁾ disserens de verbis illis: *Erunt duo in carne una*: « Nam corpus, ait, Christi mysticum, licet multa obtineat supposita, unum tamen est quodammodo * individualiter ».

f. 146^r

Hi omnes, quod Christus uno manendi verbo complexus est, per unitatem unius corporis et unius spiritus, animae cum Deo, sponsae cum sponso declarant. Non tamen per hanc unionem aut cum divina essentia aut cum Christi persona substantiae aut personae identitatem intellexerunt. Satis illi compertum habuerunt ipsam divinam unitatem omnia sibi coniungere sine ulla sui confusione, ut Dionysius tradit, quum ait ⁽¹⁶⁾: « Unam igitur quamdam simplicitatem naturamque unionis pacificae contemplerur, cunctaque sibi ipsi et sibi ipsis invicem copulantem et interim conservantem in complexu omnium inconfuso, temperata pariter et imminuta ». Hoc ipsum comprehendit verbum manere in alio. Dicit enim quamdam unionem seu convenientiam duorum in aliquo quasi tertio. Convenientia autem haec consistit in habitu vel actu vel utroque simul gratiae gratum facientis vel consummatae, quam beati possident in coelo, vel inchoata, cuius, dum vivimus, participes esse possumus. Quantum autem convenientiam hanc esus corporis et sanguinis Domini perficiat satis ostendit quod per illam nos Christus esse quodammodo sumus, cum secundum id quod ut caput nostrum esset, homo factus est, corpus eius sumus. « Nam misericordia ipsius, ut inquit Augustinus ⁽¹⁷⁾, quod accipimus nos sumus ».

Radix et origo naturalis nostrae cum Christo unitatis ipsa gratia est, quae secundum habitudinem in anima habetur; ab hac enim vir-

⁽¹²⁾ *In I Cor.* 12, 12; PG. 82, 326.

⁽¹³⁾ *Homilia* 6; PL. 158, 621.

⁽¹⁴⁾ *Epistolae Pauli iuxta sensum litteralem enarratae*, Parisiis 1542, in *I Cor.* 12, 12.

⁽¹⁵⁾ Cuius opera in Urbe non inveni.

⁽¹⁶⁾ *De Divinis Nominibus*, c. 11 § 2; PG. 3, 990.

⁽¹⁷⁾ *Sermo* 6, n. 1; PL. 46, 835.

tus omnis in corpus promanat atque profluit, cuius participatio non acquiritur nisi, ut inquit Dionysius ⁽¹⁸⁾, similitudine sinceræ et divinæ Christi vitæ ad deiformem et incontaminatum habitum redeamus ut * convenienter nobis communionem iuxta quod simile ipsi f. 146^r est largitus. Haec divina coniunctio digna corporis Christi communicatione, ut saepius diximus, naturalis et corporalis dicitur. Virtutem autem eius aut dignitatem non imminuit, radix et origo eius gratia, quæ in animam primum defluens in totum dein corpus nostrum dimanat. Nam bonum omne ab anima corpus accipit, quodque corpori confert participatio nominis et naturæ quam habet, anima est; ab anima corpus animatum vivit et sentit quod ex se non habebat. Corpus etiam ipsius Christi mediante animæ ad Verbum unione vivificum deificumque factum est. Cum ergo anima animet sicut ignis penetrans ferrum ignitum reddit et ipsum flammescere et urere contra suam naturam facit, non dubitandum est ex participatione divinæ gratiæ in anima corpus nostrum divinæ etiam gloriæ participationem esseque præsertim vivificatrici Christi carnis particeps effectum unitumque ipsi Christo, præter vim contactivam spirituales, secundum vim illam, qua vere corpus Christi in hoc Sacramento tangitur et gustatur. Hoc certe Christi corpus carni nostræ cognatum a nobis pie manducatum instrumentumque coniunctum atque corporeum nostræ salutis existens quomodo non magnopere carnem etiam nostram præparat ac per animam ipsam virtus carnis vivificatrici uberius defluat in corpus adeo intime sibi conglutinatum? Præterea nihil divino in homines beneficio detrudere debet quod non per essentiæ unitatem aut per identitatem personalem divina unitas in nobis maneat. Deus enim qui est ipsamet unitas neque sibi quidem proprie unitas dicitur. Satis nobis esse debet ipsum in nobis manere ut eximîs * theologis videtur, sicut forma manet in f. 147^r materia quæ ab ea et influxum formalem recipit et ei suam aptitudinem vel, ut ipsi loquuntur, potentiam subiectivam communicat ut subsistat in ea tamquam in materia quæ quamvis solum dicatur passioni obnoxia, nihilominus appetens simul est accipiendi formam ut ab eo perficiatur. Habet enim se Christus in nobis manens tamquam Deus sua immensa benignitate in nobis per Eucharistiam manere dignatur ut nos ab animali vita, virtute sua divina quæ ab ipsius etiam humanitate tamquam a capite transfunditur, in spiritualem vitam per Dei lumen evehat; a qua in æternam vitam gloriæ lumine transferat; in qua translati ac consummati in unum corpus perfectam et manifestam secundum substantiam unionem cum capite Christo membra eius facti consequemur. Ibi quod in hac vita sub nube et aenigmate

(18) De Ecclesiastica Hierarchia, c. 3, § 12; PG. 3, 443.

obtinere balbutientes vix loquimur, facie ad faciem conspicientes perfecte possidebimus. Ibi perfecte agnoscemus quo pacto Christus Unigenitus Dei Filius unum est cum Patre, unum sit nobiscum, non spiritu modo sed et corpore ipso; et quo pacto etiam membris omnibus corporis eius unum ineffabili quodam vinculo uniti sumus. Novit nempe immensa Dei potentia ea quae distincta sunt unum efficere quamvis humanus intellectus id percipere non possit. Sunt porro quaedam in creatis vestigia quae unionem in distinctione et distinctionem in unione esse nos doceant. Ex differentibus enim vocibus et sonis concors quaedam harmonia conficitur quae ob eam concordiam

- f. 147^r * una vocatur. Unde illud ⁽¹⁹⁾: « *Una est vox laetationis et unus ardor cordium* ». Et illud ⁽²⁰⁾: « *In voce exultationis et salutis sonus epulantis* ». Non dixit in vocibus et sonis in plurali, sed in voce et sono. Epulae suavissimae Eucharistiae unius vocis et soni causa sunt, etsi multi sint qui canant. In coelo quamplurima sunt astra quorum omnium una est lux. In circulo complures lineae unius centri contacti unionis participes sunt. Multos lapides in unius parietis constitutionem aut diversas materias in unius domus formam coactas unum esse ob unam et individuam domus formam antea diximus. Haec vero parietis vel domus similitudo ne parum apta huic nostrae cum Christo unitati aut alioqui a me conficta existimetur meminisse oportet Apostoli Pauli dicentis ⁽²¹⁾ « *nos templum Dei viventis esse* ». Alibi etiam ⁽²²⁾: « *Fundamentum aliud nemo potest ponere praeter id quod positum est Jesus Christus* ». Haec verba expones Athanasius ⁽²³⁾: « Verbum, ait, existens quatenus Verbum est non habet tales qui connecti coaptarique cum ipso possint, Unigenitus enim est; homo autem factus habet similes quorum similem induit carnem. Igitur iuxta humanitatem fundatur ut nos super ipsum tamquam lapides pretiosi superaedificari possimus et fiamus templum inhabitantis in nobis Spiritus Sancti. Ut enim ipse fundamentum nos vero lapides aedificati super ipsum, sic ipse rursus vitis est nos autem palmites connexi et conserti, non quidem secundum substantiam divinitatis, fieri enim hoc non potest, sed iuxta humanitatem. Oportet namque consimiles esse palmites vitis et nos etiam secundum carnem similes ei existimus ». Haec Athanasius. Ergo fundamenti et lapidum super ipsum coaptatio aptissima * similitudo nostrae cum Christo unitatis est. Nonnus etiam Panopoli-

⁽¹⁹⁾ 1 Esd. 3, 13.

⁽²⁰⁾ Ps. 41, 5.

⁽²¹⁾ 2 Cor. 6, 16.

⁽²²⁾ 1 Cor. 3, 11.

⁽²³⁾ Oratio 2 contra Arianos, n. 74; PG. 26, 303.

t a n u s domus similitudine utitur inquitens ⁽²⁴⁾:

Ζωῆς γὰρ πέλεν εἶδαρ ἐτήτυμον ἡμετέρη σάρξ,
αἷμα δι' ἔμὸν νημερτὲς ἔφν ποτόν. Ὅς δὲ κεν ἀνήρ
σαρκὸς ἐμῆς γενῆσαιτο, καὶ αἵματος εἰς ἐνὶ θεσμῶ,
οὗτος ἀνήρ ἐν ἐμοὶ μενέει, καὶ δμοῦζυγὸς αὐτῶ
ἔσσομαι, ἔμπεδος οἴκος, ἀειρόμενος καὶ ἀείρων

Hoc est: « Caro mea vere est cibus vitae et sanguinis meus vere est potus. Quicumque autem meam carnem pariter et sanguinem gustaverit is in me manet et ego pari iugo cum ipso ero, domus stabilis, sublata atque sustollens ». Haec Nonni verba quoniam valde obscura sunt non brevi indigent declaratione. Voluit Nonnus his verbis declarare qualis coniunctio unioque sit quae sequitur inter eum qui carnem Christi manducat et sanguinem eius bibit et Christum. Et ne arbitraremur esse unitatem consubstantialiam qualis est inter Patrem et Filium atque unitatem personalem cuiusmodi est naturae humanae et Verbi Divini in Christo domus nomine usus est. Nam diversae materiae sub formam domus redactae, unum sunt, ut antea diximus ⁽²⁵⁾, absque ulla substatiarum mutatione. Quare domum se Christus et ipsum manducantem appellat, (Christi enim ipsius et corporis eius quod est Ecclesia domus Dei a Paulo vocata) ex diversis membris conflata unitas, domus appellatione frequenter intelligitur. Ut ⁽²⁶⁾: « *Dilexi decorem domus tuae* ». Et ⁽²⁷⁾: « *Servus non manet in domo in aeternum, filius autem manet in aeternum* ». Porro pro habitaculo sanctorum etiam accipitur ⁽²⁸⁾: « *Beati qui habitant * in domo tua, Domine* ». Et templum Christus corpus suum naturale vocavit ⁽²⁹⁾ Paulus etiam humanum corpus domum nuncupat quum ait ⁽³⁰⁾: « *Scimus enim quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissolvatur, quod aedificationem a Deo habemus, domum non manu factam sed aeternam in coelis* ». Athanasius quoque ⁽³¹⁾: « Christianus, inquit, est vera domus Christi et rationalis per bona opera et recta dogmata constructa ». Frequenter etiam Christus domus christiani appellatur, et, ut in hoc ipso libro diximus ⁽³²⁾, idem et habitator et habitaculum est; nos etiam ipsius domus dicimur.

f. 148^v

Itaque verum Christi corpus et Ecclesia et singula Ecclesiae membra domus vocantur; quia quemadmodum domus ex diversis materiis in unum redactis constat, ita Christus et corpus eius mysticum

⁽²⁴⁾ *Paraphrasis in Jo.*, c. 6, v. 55; PG. 43, 801.

⁽²⁵⁾ *Supra*, p. 182.

⁽²⁶⁾ *Ps.* 25, 8.

⁽²⁷⁾ Cf. *Heb.* 3, 5-6.

⁽²⁸⁾ *Ps.* 83, 5.

⁽²⁹⁾ *Jo.* 2, 20-22.

⁽³⁰⁾ *2 Cor.* 5, 1.

⁽³¹⁾ *Ps.* ATHANASIUS, *Liber de definitionibus*, 11. PG. 28, 549-550.

⁽³²⁾ *Supra*, p. 162; *infra*, p. 235.

eiusque membra ex diversis substantiis in unum coëuntibus existunt. Quemadmodum etiam domus ab inhabitatore habitetur, sic Christus in nobis tamquam in vera sua domo et rationali in nobis habitat, nobis etiam ipse domicilium est; in eo enim nos quoque inhabitamus. Illud hic observantione dignum est Moysen ubi de Heva de latere Adam educta loquitur aedificandi verbo usum fuisse. Inquit enim ⁽³³⁾: « *Immisitque Deus soporem in Adam; quumque obdormisset tulit unam de costis eius et replevit carnem pro ea et aedificavit Dominus Deus costam quam tulerat de Ada in mulierem et adduxit eam ad Adam* ». Haec Hevae ex costa constructione Ecclesiae de latere Christi aedificationem praefiguratam fuisse perspicuum est. Hac etiam significatione domos accipiendas esse, quas legimus Hebraeorum obtrectes sibi fecisse quia timebant * Deum, Cyrillus auctor est ⁽³⁴⁾, ubi non carere mysterio, ait, de nemine in Veteri Lege scribi quod aedificaverit sibi domum qui non habuerit timorem Domini. Jacob enim homo simplex habitans domum dicitur, est enim domus non manufacta sed aeterna in coelis, quam aedificare nemo potest nisi in simplicitate mentis et puritate cordis. Habraei, quam latini gentem aut familiam vocant, domum nuncupant quemadmodum et hodie familiam gentiles eodem sanguine coniunctos vocamus. Hac enim similitudine usus est Paulus Burgensis ⁽³⁵⁾, vir et morum et Scripturarum peritia insignis, qui Ecclesiae Burgensi, quam nos licet indigni administramus, ante annos centum et quinquaginta summa cum laude praefuit.

Ostendimus non alienam domus similitudinem ob unitate et coniunctione inter Christum et digne ipsum manducantem, neque improprie loquutum qui vel Christi corpus verum, vel eius membra domum dixerit. Sed ad Nonnum redeamus, qui, ut excluderetur identitas naturae vel personarum dixit: pari iugo; non autem uno iugo ut quum de incarnatione Verbi loquutus est, non pari, sed uno iugo scribit. Eius verba sic habent ⁽³⁶⁾:

Λόγος ἀτοτέλεστος ἐσαρκώθη Θεὸς ἀνὴρ,
ὀψίγονος, προγένεθλος, ἐν ἀρρήτῳ τινὶ δεσμῷ
ἐνένεσας ζαθέην βροτοειδέϊ σύζυγα μορφῇ
καὶ Θεὸς οἴκου ἔνναϊεν σὺν ἀνδράσι.

Hoc est: « Sermo perfectus Deus nostra carne indutus, vir visus, tandem nat * us ante omnia genitus, ineffabili quadam copula divinam formam humanae formae uno iugo copulavit, et Deus domum eum hominibus habitavit ».

Ecce ubi idem auctor domum pro carne sumit. Et in 14 etiam

⁽³³⁾ Gen. 2, 21.

⁽³⁴⁾ Cuius locum reperire non potui. Textus Scripturae est Ex. 1, 20-21.

⁽³⁵⁾ Cuius opera in Urbe non inveni.

⁽³⁶⁾ Paraphrasis in Jo, c. 1, v. 14; PG. 43, 752.

capite eiusdem operis de unitate essentiae qua Pater et Filius unum sunt, uno non pari dixit ⁽³⁷⁾:

Πᾶς βροτὸς ὃς με νόησε, καὶ ἀφθιτον εἶδε Τοκῆα
οὕτω πιστὸν ἔχεις ὅτι σύζυγος ἐστὶ Τοκῆος,
καὶ Γενέτης μεθέπει με μὴ συναρροῦτα μορφή :

Hoc est: «Omnis homo qui me noverit et Patrem incorruptibilem cognoverit nondum fidem astringis quod cum Patre uno iugo copulatus sum, et quo Pater me una forma ei aptatum persequitur.

Itaque « pari » iugo pro « aequali » accipitur, distinctioque personarum et essentiae innuitur ad differentiam unionis qua Filius Dei unum natura est cum Patre aut cum humana natura unitate personali. Mutua enim coniunctione in manducante ipsius carnem manet et manducans in ipso absque confusione aliqua vel naturarum vel personarum aliave substantiali transmutatione; qualis esse solet cibi in membrum alitum; sed qualiter habitator et habitaculum inter se differunt quamquam simul sint; aut variae materiae unam domum iunctae efficiunt unaquaque materia propria conservante naturam. Quamquam inter domum manufactam et aeternam in coelis cuiusmodi est Christi corpus et quae futura sunt corpora membrorum illius haec est differentia, quod terrena domus stare diu nequit, corpus vero Christi est stabile utpote divinitatis * oleo perunctum quod ab omni f. 150^r corruptione id tuetur, unde et stabilis domus dicitur, non caduca nec peritura. Additur etiam domus sublata et sustollens quoniam idem Christi corpus Verbo Dei per animam unitum ab ipso sustentatur et sustollitur, a nobis vero manducatum nos vivificatricis suae carnis vi ac efficacia sustentat atque sustollit et in vitam aeternam praeparat ac renovat.

Utrumque paucis verbis Cyrillus complexus est in-
quiens ⁽³⁸⁾: « Nam quum vivificans Dei Filius in carne habitaverit ad suum bonum eam, idest ad vitam reformavit, et totus, ut ita dicam, toti ineffabili modo unionis coniunctus vivificantem eam efficit quia natura vivificans est; propterea participantes haec caro vivificat. Eicit enim mortem ab eis et interitum penitus expellit. Sicut enim ignis scintillas, ita Verbum Dei vivificantis spiritus virtutem in corpus quod de Virgine sumpsit immittit ac corpus idem spiritus virtute vivificatum suae naturae bonum in ipsum digne sumentem transfundit atque ad immortalitatem totum hominem virtute divina per animam in corpus immissa transformat ». Est etiam domus sublata et sustollens quoniam manducatur et manducat, induitur et induit, inhabitatur et inhabitat. Haec dixisse haud ab re fuit tum ut domus similitudinem haud alienam esse ab hac, de qua agimus, coniunctione ostendamus, tum ut sententiam optimi auctoris ac ve-

⁽³⁷⁾ Paraphrasis in Jo. c. 14, v. 9; PG. 43, 868.

⁽³⁸⁾ In Jo. 1. 4, c. 2; PG. 73, 578-579.

luti divino furore nonnumquam rapti et inflammati obscurissimum locum exponeremus.

- Sed ad propositum redeamus et ab ipso Dionysio petamus comparationem quae unionem et distinctionem simul ostendat quam is adfert de unitate et discretionem luminum ubi sic ait ⁽³⁹⁾: « Quando in eadem aula lampades accensae sunt plures videmus omnium lumina ad unum aliquid coniuncta, lumen unumque splendorem individuum praeferebat. Neque posset, arbitror, aliquis lampadis huius
- f. 150^v lumen * lumen ab aliis ex aëre cuncta lumina continente secernere et alterum absque altero cernere, quippe cum tota in totis sine mixtione sint inserta. Iam si quis lampadem unam e medio tollat, lumen quoque eius abeuntem lampadem comitabitur neque quidquam aliorum lumen secum trahet neque ex suo caeteris aliquid relinquet. Erat enim, ut diximus, illis totorum ad tota exacta quaedam unio neque ullo modo commixta neque ulla ex parte confusa. Id quidem ita se habet quamvis lumen sit in corpore aëre atque ex igne materiali dependeat ». Haec Dionysius. Quod si lumina ob incorpoream proprietatem in corpore tamen existentia munus id consequuntur et ut unita invicem et simul discreta inter se mirabiliter esse possint, multo magis id habebunt ii quorum corpora spirituali erunt quaeque spiritu vivificantur, qui unus est in omnibus, ac singulorum animis vitam communicat qua in aeternum cum ipso Christo beati vivent. Et quemadmodum membra omnia eiusdem corporis et si diversa inter se sint unum tamen corpus efficiunt quia uno spiritu vivunt, ita et beati omnes quamvis distincta membra sint corporis Christi unum corpus cum Christo erunt, siquidem ex uno spiritu et una Christi carne cuncta vitam et immortalitatem accipiunt uno etiam pane cuncta vescuntur uniusque corporis immortalitatem cuncta participant. « Si quis enim, inquit Paulus ⁽⁴⁰⁾, spiritum Dei non habet hic ipsius Christi non est ». Et alibi ⁽⁴¹⁾: « Etenim in uno spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus ». Denique per vim unificam Platonicam tradiderant universum tantam in cunctis partibus suis habere communionem ut communio eiusmodi possit unio appellari per quam mundus est unus eorum sententia non minus quam animal quodlibet unum et cognatio etiam quasi membra sint animalis eiusdem et consensus et compassio quasi affectio motusque cuiuslibet partis necessariae mundo deinceps resultet * in omnes. Tantam denique unionem in mundo asseruere quantam fert ipsa natura, servata interim ad unguem graduum articularumque distinctione essentiali. Quod Dionysius ⁽⁴²⁾ intellexisse videtur dum « per divinam, inquit, pa-
- f. 151^r

⁽³⁹⁾ De Divinis Nominibus, c. 2, n. 4; PG. 3, 642.

⁽⁴⁰⁾ Rom. 8, 9.

⁽⁴¹⁾ I Cor. 12, 13.

⁽⁴²⁾ De Divinis Nominibus, c. 11, § 2; PG. 3, 951.

cem unius indissolubilisque contextus omnium iuxta divinam harmoniam suam existit concentuque harmonico et integra consonantia consensioneque et cognatione mutua coaptatur. Demum et sine confusione colligitur et absque divisione procul dubio continetur ».

CAPUT VIII.

*Christum manere in membris suis
tam per spiritus sui communicationem
quam per sui corporis coniunctionem ipsum decere.*

Ex his omnibus satis constare potest quam convenienter Christo, qui posuit fines suos pacem ⁽¹⁾, hoc est unitatem, et adipe frumenti sociat nos spirituali naturalique unitate, manere in iis quos secum per spiritus sui communicationem et corporis coniunctionem unum fecit ac deificationis etiam prerogativa secum glorificavit. Neque in dubium verti potest corpus et carnem Christi dici eos « qui membra corporis eius de carne et de ossibus eius » ⁽²⁾ existunt ac de spiritu eius vivunt, carnisque ipsius vivificatricis alimonia in spiritualem et aeternam vitam nutriuntur, corpusque Christi efficiuntur, ut optime H a y m o S a x o tertius Episcopus Halberstatensis testatur, qui sic ait ⁽³⁾: « Caro quam Verbum Dei Patris assumpsit in utero virginali in unitate suae personae, et panis qui consecratur in Ecclesia unum Christi sunt corpus. Sicut enim illa caro corpus Christi est, ita et iste panis transit in corpus Christi nec sunt duo corpora sed unum corpus. Divinitatis enim * plenitudo quae fuit in illo replet et ipsum panem et ipsa divinitas Verbi quae implet coelum et terram et omnia quae in eis sunt, ipsa replet corpus Christi quod a multis sacerdotibus per universum orbem sanctificatur et facit unum corpus Christi esse. Et sicut ille panis et sanguis in corpus Christi transeunt, ita omnes qui in Ecclesia comedunt illud unum corpus Christi sunt ».

Haec Haymo, a quo Divus Algerus non dissentit quam inquit ⁽⁴⁾: « Panem carnem factum qui non nascitur caro nec assumit carnem sed mutatur in carnem; sic factus quod non erat ut non desineret esse quod fuerat; ut in corpus Christi trajici non desperet rationalis creatura in quod trajicitur et bruta si desistat esse, quod ex se male fuerat ut sit in Christo quod bene

⁽¹⁾ Ps. 147, 14.

⁽²⁾ Eph. 5, 30.

⁽³⁾ In 1 Cor. 10, 17; PL. 117, 564.

⁽⁴⁾ De sacramentis corporis et sanguinis dominici, l. 1, c. 6; PL. 180, 755.

non erat». Ideo haec verba antea ⁽⁵⁾ allata hic repetuntur quoniam eandem fere quam Haymonis verba continent sententiam. Et quamvis corpus Christi quod est Ecclesia non habet omnia membra simul ut corpus quod de Virgine sumpsit, hoc tamen unitatem capitis et corporis Christi non dirumpit. Nam velut diversae ignis aut alterius elementi particulae variis rebus immistae non desinunt uno cum ipso elemento cuius particulae sunt esse, etsi per diversas res distribuuntur, ita Christi corpus mysticum etsi non habeat continuitate contiguitateve membra omnia simul unita, non desinit perfectione unum esse cum capite Christo quod nobilius esse quam ipsius corpus verum de Virgine sumptum B. Thomas tradit ⁽⁶⁾.

- f. 152^r Virtus enim divina quae in Christo est efficit ut cuncta corporis sui mystici membra etsi ab ipso capite disiuncta * sint et separata, verius de spiritu ipsius carnisque eius vere vivificatricis vi atque efficacia vivant quam uniuscuiusque nostri corporis membra suo capiti coniuncta de suo spiritu vivunt. Dicamus ergo eo modo nos unum cum Christo esse quo ipse Christus Dei Verbum unum est cum Patre. Nam sicut inter Patrem et Filium una est utriusque voluntas, una etiam natura deitatis, distincta tamen est Patris a Filio et Filii a Patre persona: ita unus est Christus cum corporis sui mystici membris, concordia videlicet voluntatis ac unitate carnis differentibus tamen capitis et membrorum subsistentiis quemadmodum caput naturale uniuscuiusque corporis unitate naturae unum est cum membris, licet diversae sint capitis et membrorum partes. Sed quoniam caput et corporis membra unum sunt unitate continuitatis et contiguitatis etiam praeter unitatem perfectionis quam caput et membra habent, dilucidius hanc cum Christo unitatem monetae exemplo percipiemus. Nam veluti complures nummi auro argentove aut alio quovis metallo cussi et character eodem obsignati pretioque si par sit eorum pondus, ita quoque cuncta Christi membra communi carnis proprietate Christo communicantia eique naturaliter per Eucharistiam unita eodemque character e per spiritus et corporis eius similitudinem in sacris mysteriis acceptam obsignata, licet sit differens Christi et membrorum corporis ipsius mystici essentia, unum tamen gratia naturalisque communionis proprietate cum Christo capite sunt; quo et spiritus vitam et corporis immortalitatem * et gloriam accipiunt. « Unde Ecclesiae unitas manifestatur quam in Cantico Canticorum, ut inquit Cyprianus ⁽⁷⁾, Spiritus Sanctus ex persona Christi Domini designat dicens ⁽⁸⁾ *Una est columba mea, una est matris suae electa geni-*
- f. 152^v

⁽⁵⁾ Etiam infra, p. 203.

⁽⁶⁾ Verius: ALBERTUS M., *Sent.* 4, d. 13, a. 33; ed. Borgnet, vol. 29, col. 393.

⁽⁷⁾ *De unitate Ecclesiae*, c. 4-5; PL. 4, 515-517.

⁽⁸⁾ *Cant.* 6, 9.

triciſ meae, una certe est Ecclesia quae in multitudinem latius incremento foecunditatis extenditur quomodo multi radii sunt, sed unum lumen, sed robur unum radici tenaci fundatum. Et quomodo de fonte uno rivi plurimi profluent et numerositas licet diffusa videatur exundantis copiae largitate, unitas tamen integra servatur in origine ». Origo tam spiritus quam corporis cum Christo uniti ipse est Christus. Unde et B. Thomas ait ⁽⁹⁾: « Nos per Christum vivimus quia aliquid de natura ipsius habemus ». Nam aliquid de natura Christi habere arctissimam perfectissimamque cum ipso unitatem significat. Hanc autem unitatem non oportere referre ad communem carnis proprietatem qua omnes homines Christo communicant, satis antea ostensum est. Ipse enim Thomas de coniunctione naturali per cibum dominicum aperte se intellexisse fatetur subiiciens ⁽¹⁰⁾: « *Qui manducat meam carnem* » etc. Hilarius praeterea citat huius sua sententiae auctorem qui in libro de Trinitate et in libro de Patris et Filii essentia scribit « hanc vitae nostrae causam esse, quod in nobis carnalibus manentem per carnem Christum habemus, victuris nobis per eum ea conditione qua vivit ille per Patrem. Si, ergo nos naturaliter secundum carnem per eum vivimus, idest naturam carnis suae adepti (ut Hilarii verbis utar) sumus, quomodo non naturaliter secundum spiritum ipse Patrem habeat * quum vivat ipse per Patrem? » Haec Hilarii verba mentem B. Thomae manifeste indicant. Non enim alia ratione Thomas intellexit nos aliquid de natura Christi habere quam, quia ut dixit Hilarius, in nobis carnalibus manentem per carnem Christum habemus, victuri per eum naturaliter secundum carnem; et hoc quia per Sacramentum carnis et sanguinis naturalis communis cum eo proprietatem nobis indulgetur, ut idem Hilarius asserit haereticos arguens, utentes nostrae unitatis ad Deum exemplo, tamquam nobis ad Filium et per Filium ad Patrem obsequio tantum ac voluntate religionis per Sacramentum carnis et sanguinis, nulla naturalis communionis proprietatem indulgeretur; cum et per honorem nobis datum Filii Dei, et per manentem in nobis carnaliter Filium et in eo nobis corporaliter, et inseparabiliter uniti mysterium verae et naturalis unitatis sit praedicandum. Declarat his verbis Hilarius quare dixerit naturam carnis Christi nos adeptos ob naturalem scilicet communionis nostrae carnis cum carne Christi proprietatem, non autem ob unam et individuum carnis nostrae et Christi carnis naturam et essentiam. Ab his non longe abest Cyrillus ⁽¹¹⁾ cum verba eo tendunt ut ostendat quaecumque omnimodam similitudinem inter se naturalem obtinent, nulla ratione a naturali proprietate quam inter se habent separari.

f. 153^r⁽⁹⁾ *Comm. in Jo.* 6, lect. 7, n. 7.⁽¹⁰⁾ *Ibidem.*⁽¹¹⁾ *De sancta et consubstantiali Trinitate, dialog. I; PG.* 75, 695-698.

f. 153^v Concludamus ergo vere nos Christi naturae per corporis et sanguinis ipsius communionem participes fieri unumque cum ipso unitate carnis esse, atque in hoc corpus eius mysticum, hoc est Ecclesiam, typum et imaginem ad unguem, quod inquit, capitis sui referre, cuius unitas distinctione * membrorum non tollitur, quemadmodum neque naturalis corporis unitas solvitur ipsa membrorum diversitate. Hic Dionysio Areopagita e (12) totius Christianismi scopus esse videtur, ut intelligamus « Dominum Jesum ex unitate sua, naturali ad divisibile nostrum sine sui mutatione detrimentoque processione, per quam hanc beneficam clementiam ad participationem sui summamque secum unionem ac suorum bonorum communicationem invitare genus humanum, si tamen ipsius sacratissimae uniamur inseramurque vitae, ipsam quantum fas est imitando, sieque veraciter consortes Dei divinatorumque participes efficiamur » Unde non immerito S. Thomas non aliquid de natura Christi habere scribit (13).

Et Hilarius Christi naturam adeptos per quam proprie dixit (14): « Quemadmodum enim surculus arbori insertus ei per humoris attractionem coalescit ac penitus ipsi incorporatur, ita qui corporaliter Christo coniungitur Christi gratiae ac gloriae particeps velut ei insitus coalescit fortius ac vivit, ita etiam qui per dignam eius manducationem unitus est, vivifica Christi natura citra naturae suae mutationem vegetatur atque vivit, unumque cum Christo est ». Atqui haec insitio sive naturalem unitatem appellare mavis ex Eucharistia perfectissime nobis provenit. Nam licet per baptismum ipsi inseramur, per Eucharistiam tamen, tamquam per cognatam nobis naturam, ipsius carnis omnimodam unionem accipimus, ac vegetiores, veluti uberius attracto humore spirituali reddimur, qui Christo iam spiritualiter insiti eramus, corporaliter etiam ei agglutinati firmiter cohaeremus. Unde ipsemet Christus se vitem nos palmites appellat, in ipsoque tamquam in arbusto semper se propagante manere iussit. Nam ut palmes vitis numquam parere * poterit nisi vitiferae plantae consitus sit, sic et nos nisi Christo insiti manserimus, numquam divinum fructum producere valebimus cum ei perfecte spiritu corporeque per sacra mysteria agglutinamur in unum corpus cum eo redigimur tantaque unitate ei coniungimur ut eius caro dicamur, non quia caro nostra carni Christi coniuncta naturam suam amiserit aut quia Christi caro in nostram conversa sit, sed quemadmodum ipsa caro Christi quam ex Virginis utero eduxit spiritus ab ipso Christo appellata est (15), quam-

f. 154^r

(12) *De Ecclesiastica Hierarchia*, c. 3, § 13; PG. 3, 443.

(13) Loco paulo supra allegato.

(14) Hunc textum non esse Hilarii suspicor, at eiusdem verum auctorem invenire non potui.

(15) *Jo.* 6, 65.

vis naturam carnis non amiserit et in spiritum mutata non sit, sed ob unionem ipsius carnis ad Verbum Unigenitum Dei Filium, ut infra planius ostendetur. Haec de huius unitatis ratione absque hypostaseon confusione dicta sufficient.

CAPUT IX.

Veterum Patrum sententiae de hac naturali unione quae vel per exaggerationem vel improprie dictae videntur exponuntur et de duplici conversione, altera quae per dilectionem, altera reipsa agitur.

Superest adhuc inquirere quo pacto ea verba quibus veteres Patres sanctique doctores de hac corporali cum Christo unione loquuti sunt, proprie et absque tropo accipienda sint. Ex his enim ipsis non tam unionem conjunctionemve quam diximus sequi inter nos et Christum, quam substantiae nostrae in substantiam Christi conversionem atque transmutationem nonnulli colligi aiunt, quare parum propriae eos loquutos esse isti censent, quibus tametsi magna ex parte in superiori libro satisfacimus; ut tamen diligentius eorum verba expendantur, nonnulla veterum Patrum testimonia adscribantur.

Primum sit illud Chrysostomi (1): « Qui unum nos corpus esse et membra corporis Christi de carne et de ossibus * eius scribit, utque non solum per dilectionem sed reipsa in illam carnem convertamur per cibum id effici quam nobis largitus est. Quum enim suum in nos amorem indicare vellet per corpus suum se nobis commiscuit ».

Justinus philosophus et martyr de Sacramento hoc loquens ita scribit (2): « Neque enim ut communem panem et commune poculum haec suscipimus, sed quemadmodum per Verbum Dei incarnatus Jesus Christus Servator noster et carnem et sanguinem habuit, sic et Verbi sui oratione consecratum gratiarum actione cibum, ex quo sanguis et caro nostra per transmutationem aluntur, ipsius incarnati Jesu et sanguinem et carnem esse edocti sumus ».

Irinaeus plerisque in locis carnem nostram a corpore Domini et sanguine ali testatur ita inquit (3): « Quando ergo et mixtus calix et factus panis percipit verbum Dei, fit Eucharistia ex quibus augetur et consistit carnis nostrae substantia ».

Leo I (4): « Quia in illa, ait, mystica distributione spiritualis alimoniae hoc impartitur ut accipientes virtutem coelestis cibi in carnem ipsius qui caro nostra factus est transeamus ».

(1) Allegatio non ad unguem *Hom. 46 in Jo. n. 3; PG. 59, 260.*

(2) *Apologia I, c. 66; PG. 6, 427-429.*

(3) *Adv. Haereses, I, 5, c. 2, n. 3; PG. 7, 1127.*

(4) *Ep. 59, c. 4; PL. 54, 868.*

AUGUSTINUS⁽⁵⁾: « Humana, inquit, caro, quae erat peccato mortua, carni mundae unita unum cum illa effecta vivit de spiritu eius sicut unum corpus de suo spiritu ».

B. THOMAS⁽⁶⁾: « Quod sic comedentes convertentur, qui in corpus Christi mutabuntur. Et sic patet dum multi fidelium comedunt corpus Christi et in illud ipsi mutantur et membra eius efficiuntur ».

BERNARDUS⁽⁷⁾: « Hic efficitur una caro sponsa cum sponso, unus spiritus anima cum Christo ».

f. 155^v Haec omnia Patrum testimonia male intellecta substantialem carnis * nostrae in carnem Christi mutationem nonnullis testari videntur qui improprie Sanctos Patres, ut dixi, aut per exaggerationem quamdam locutos de hac re fuisse contendunt. Caeterum quoniam recte exposita omni improprietate atque exaggeratione quae aliena sit a communi Scripturae eiusque interpretum phrase carere constabit, de recta earum sententiarum interpretatione disseramus. Et quia si Chrysostomi verba proprie dicta ostenderit, reliqui omnes nodi quibus aliorum doctorum sententia implicata videtur facile discinduntur; ad ea explananda accedamus. In Chrysostomi verbis duo nodi sese offerunt: quorum alter est quo pacto caro nostra absque substantiae suae mutatione in carnem Christi convertatur, alter est quid Chrysostomus dicere voluerit inquit: « Reipsa nos in carnem Christi converti ». Antequam nostram de his sententiam aperiamus animadvertendum est duas nostri conversiones ex Chrysostomo elici: alteram per dilectionem alteram reipsa. Item haud dixisse Chrysostomum carnem nostram in carnem Christi reipsa converti, sed nos, quod ipsum Leo Magnus testatur. Tertio adnotare oportet conversionis modum explicari quum dixit per corpus suum se nobis commiscuisse. Multo certe clarius nobis exitisset aliorum sententias hac in re audire, ut alias testati sumus, quam nostram exponere, sed difficultas rei non fert ut diutius quis noster de his sensus sit explicare differamus, quem eo quidem animo explicamus ut libenter doctorem sententiae nos subscripturos profiteamur; quibus non parum gratulabimur si scopum quem * nos fortasse non attingimus medium ipsi transfigant. Ut igitur ad rem ipsam explanandam veniamus, per dilectionem in Christum converti nihil aliud significat quam per fidem caritate formatam de qua Paulus inquit⁽⁸⁾: « Fides quae per dilectionem operatur ». Per hanc utique

f. 155^v

⁽⁵⁾ *Decretum Gratiani* c. 57, D. II, de cons.; PL. 187, 1760 et AUGUSTINUS, *In Jo.* tr. 26; PL. 35, 1606-1615.

⁽⁶⁾ PS. THOMAS, *De sacramento altaris*; Opera omnia, Venetiis 1593, t. 17, 50; cf. S. THOMAS, *Sent.* 4, d. 8, q. 1, a. 3, ad 1 q.

⁽⁷⁾ PS. BERNARDUS, *Sermo de excellentia SS. Sacramenti*, n. 10; PL. 184, 987.

⁽⁸⁾ *Gal.* 5, 6.

fidem vivam convertimur in Christum eique incorporamur cuius membra efficiamur. Est insuper et alter ille modus quo in Christi carnem convertimur, esu videlicet, corporis et sanguinis eius. Hoc autem esse reipsa in Christum converti, Roffensis auctor est ⁽⁹⁾. Propter quod Chrysostomum continuo subiicere ait; « Per cibum id efficitur quem largitus est nobis in his haud dubie mysteriis. Quid autem efficitur per hunc cibum? nimirum ut in Christi carnem veram convertamur ». Duplicem itaque conversionem Roffensis ex Chrysostomi verbis eo quo diximus modo elicit.

Sed quoniam non satis explicatum est quare esu corporis et sanguinis Christi reipsa et non per dilectionem tantum in carnem ipsius converti dicamur, in medium adferre oportet ea quae Nicolaus Cabasila Methonensis Episcopus ait ⁽¹⁰⁾: « Ut ostendat nos Christo non voce solum uniri sed reipsa, nec nominis tantum aut analogiae similitudine nostram cum Christo communionem esse, sed multo maiorem verioremq; ea qua filii parentibus coniunguntur, sacramque mensam cognatiores nos Christo efficere testatur quam natura parentibus filios propinquos reddit, quorum cum patribus coniunctio, si cum nostra cum Christo communiōe conferatur, nomine tantum liberis patribus communicare * iudicabimus. Patentes enim neque vitam filiis praestant neque in eis gignendis dolore efficiuntur, generatio autem nostra et communiō secundum Christum Unigenitum Dei Filium, non nomine solum sed reipsa constat; sanguine videlicet et corpore et vita ipsius, et quid amplius esse potest quam quod Pater Unigeniti sui in nobis agnoscit membra, cernens in nostra facie Filii formam? *Conformes enim praevideat imaginis Filii sui.* Parum est hanc filiationem appellare, multo enim propinquius et cognatius per hanc Christo quam per naturalem parentibus colligamur. Nam si veros genitores agnoscimus quoniam habemus carnem ex carnibus illorum et ossa ex illorum ossibus, haec certe filiorum cum parentibus communiō longe inferior est nostra cum Christo communiōe. Siquidem caro et sanguis qui nunc filiorum est prius parentum fuit, neque ipso patrum sanguine qui in parentibus fuit filii vitam habent. Eucharistiae vero opus est ut sanguis quo vivimus sanguis Christi sit. Caro etiam, quam nobis mysterio conglutinat, corpus Christi existit. Communiā sunt membra, communiā vita, haec vera est communiō quum in utroque idem simul inest. Quum vero in altero tantum reperitur quod in utroque, diverso tamen tempore est non vera communiō dicenda est. Ipsum enim quod nunc est in uno et prius in altero fuit, communiōnis

f. 156^r

⁽⁹⁾ *De veritate corporis et sanguinis Christi adv. Oecolampadium*, Wircerburgi 1897, p. 1086-1087.

⁽¹⁰⁾ *De vita in Christo*, l. 4; PG. 150, 599-602.

magis speciem quam veritatem habet, ac quemadmodum qui post alium eandem domum inhabitat verius habitatorem quam cohabitato-rem appellabimus, eodem pacto patrum carni et sanguini diverso tempore communicamus. Christo autem ita vere connectimur ut et f. 156* corpus et sanguis et membra inter nos et ipsum communia censeantur et sint. Si ergo quod filios parentibus conjunctos efficit carnis et sanguinis communicatio est, conspicuum remanet sacram Eucharistiae mensam multo cognatiores et propinquiores nos Christo efficere quam natura parentibus filios coniungit. Christus enim non semel tantum vitae causa est quemadmodum parentes filiorum vitae causa sunt, neque semel vita filiis a Christo praestita ipse ab iis separatur atqui ipsemet vita est atque unitur, et hoc ipso vivificat ac in unum corpus coalescit cum ipsis; filii etiam a genitoribus disiuncti superstites remanent. Separatis vero a Christo nihil reliquum est praeter mortem. Praeterea nisi filii a parentibus disiungantur vita frui non possunt, ipsaque disiunctio atque divisio illis ut geniti, his vero ut genitores sint, principium existit. Quae autem per Eucharistiam filiatio obtinetur, ipsa simul cum Christo vita, atque communi- one constat; discessione autem ac divisione corruptio et interitus comparatur. Cum ergo non sit cognatio absque communi- one, sola sanguinis com- muni- o, sola cognatio filiatioque, sola illa vera existimanda est secun- dum quam Christo reipsa communicamus. Haec nimirum filiatio natu- ralem filiorum generationem obscurat. Hoc ipsum Joannes innuisse videtur quum ait ⁽¹¹⁾: « Quotquot autem eum receperunt dedit eis po- testatem filios Dei fieri qui non ex sanguinibus neque ex voluntate carnis neque ex voluntate viri sed ex Deo nati sunt ».

Ex his Joannis verbis duae generationes colliguntur. Prima qua et geniti et genitores carnei sunt, secunda haec, de qua Joannes, tanto priore illa superior, ut ne vestigium quidem illius aut no- men reliquum sit, f. 157* nimirum sanctus panis ita novum hominem reddit ut veterem radicibus extirpet. Hoc namque sacrae men- sae proprium maxime opus est. Quocirca accipientes ipsum non sunt geniti ex sanguinibus. Inquiens tamen: Quando ipsam ac- cipimus? Profecto si verbum ipsum λάβειν idest accipere agno- verimus, tunc Christum perfectius pleniusque accipimus quum eodem verbo quo Joannes usus est, λάβειν scilicet, ad convi- vium a Christo dicente λάβετε invitamur, idest accipite et manducate. Iuxta hanc vocem Christum manibus vere et reipsa accipimus, reipsa ore suscipimus, reipsa animae commiscemus, reipsa corpori coaptamus et sanguini conglutinamus. Eorum qui hunc in modum Servatorem accipiunt et usque in finem in se manentem continent caput ipse con-

(11) Jo. 1, 14.

gruens atque contemperans est, nosque apta illi membra. Quique Christum caput et nos membra esse dicit, ut inquit Gregorius Nysenus⁽¹²⁾, naturali necessitudine coniuncta esse testatur. Nulla enim ratio patitur ut diversa capitibus et membrorum natura sit. Quocirca, ut Christo capiti fideles eius membra in utraque generatione conveniant, Christus Unigenitus Dei Filius membrorum naturam ex Virginis visceribus assumpsit et eandem rursus membris reipsa edendam communicat; cuius caro digne a nobis percepta cum ita de Virgine sumpta fuerit ut eius ex Spiritu Sancto facta sit ac non ex sanguinibus neque ex voluntate carnis neque ex voluntate viri congrua nimis secundae nostrae generationis qua ex Deo geniti dicimur causa est. Quo sit ut haud nostra cum ipso communio nomine tenus esse asseratur, sed reipsa, neque enim naturae neque generationis diversitas inter caput et membra dignoscitur. Siquidem qui eiusdem cum Christo generis et naturae quod ad humanitatem eramus, per * sacram eius mensam eiusdem cum ipso generationis quae non ex sanguinibus neque ex voluntate carnis neque ex voluntate viri est, vitaeque per sanctorum eius virtutum imitationem communicamus, quod vere et reipsa unionis maxime est. Quapropter a piis doctissimisque viris membra illius corporis reipsa existentes esse dicimur, carnes ex carnibus eius et ossa ex ossibus eius. Quoniam donec ei ita coniuncti sumus aptaque compagem et connexionem servamus, vivimus vitam et sanctificationem per panem hunc ab illo capite et corde trahentes. Sumus enim in illo tamquam in corde membra, et arboris radice rami, et sicut dixit Dominus⁽¹³⁾: «*Tamquam in vite palmites*». Satis haec omnia poterant esse ad intelligendum haud per exaggerationem neque improprie a Chrysostomo dici reipsa nos in Christo uniri commiserique, hoc enim converti verbum significat ut paulo inferius declarabitur.

f. 157

His tamen adde reipsa proprie etiam posse dici nos in carnem Christi converti quoniam inter alia multa, quibus Eucharistiae mysterium differt ab aliis Sacramentis, unum hoc praecipuum esse constat quod cetera Sacramenta imperfecte continent gratiam, quae accidens est, ut instrumenta scilicet; Eucharistia vero continet reipsa totius gratiae fontem quia in ea continetur verum Christi corpus et verus eius sanguis; sic aliorum Sacramentorum perfectio in usu materiae consistit. Sicut baptismatis in ablutione non autem in eius benedictione sive consecratione. Eucharistia vero perficitur in consecratione materiae. Ergo non tantum gratia in hoc Sacramento tamquam instrumento, sed vere Christus ipse et reipsa continetur⁽¹⁴⁾. Unde sacramentum permanens dicitur et instrumentum coniunctum nostrae salutis

(12) *Supra*, p. 65.

(13) *Jo.* 15, 4.

(14) Cf. S. THOMAS, *S. Th.* III, q. 73, a. 1, ad. 3.

f. 158^r est, quod Athanasius, ut antea diximus ⁽¹⁵⁾, corporeum humanumque appellat. Non enim in fieri tantum * est sacramentum ut baptismus. Nam prolatis a sacerdote verbis: « *Hoc est corpus meum* » permanet reipsa verum Christi corpus sub specie panis in Eucharistia velatum. Quare Sacramentum istud non tantum signum dicitur sed etiam res quatenus Christum realiter continet in se, symbolum vero quatenus eundem Christum in cruce passum pro nobis repraesentat. Et quamquam praeter panis et vini visibilem speciem quae signum etiam est, ipsum verum Domini corpus et sanguis quod in hoc Sacramento continetur, alterius etiam rei signum est, mystici videlicet Christi corporis et Ecclesiae in Spiritu Sancto unitatis; tamen quod ad praesentem rem attinet intelligendum est praeter id quod signum est in hoc Sacramento contineri vere et realiter verum Christi corpus quod pie a nobis manducatum realiter et substantialiter visceribus nostris immiscetur et nos in illo. Quocirca haud improprie non per dilectionem solum sed reipsa nos converti Chrysostomus asserit, quum vere et realiter in Eucharistia Christus ante manducationem contineretur, qui manducatus non per accidens tantum aliquod sed sua etiam corporali praesentia in nos ingrediente, nostram reipsa efficit in ipsum conversionem. Sed ut hanc sententiam auctoritas Urbani Papae corroboret, ipsum audiamus ita dicentem ⁽¹⁶⁾: « Hoc est memoriale dulcissimum, memoriale sacratissimum et memoriale salvificum in quo gratam redemptionis nostrae recensemus memoriam; in quo a malo retrahimur et in bono confortamur et ad virtutum et gratiarum proficimus incrementa, in quo profecto proficimus ipsius corporali praesentia Salvatoris; alia quorum memoriam agimus, spiritu menteque complectimur, sed non propter hoc realem eorum praesentiam obtinemus. In hac vero sacramentali * Christi commemoratione Jesus Christus sub alia quidem forma in propria substantia est nobiscum ».

f. 158^v Vides differentiam inter Eucharistiam et alia Sacramenta, et quare vere dicitur reipsa conversio quae per Eucharistiam fit, spiritualis vero quae per alia Sacramenta. B. Thomas idem confirmat ⁽¹⁷⁾: « In Baptismo, inquit, continetur Verbum Incarnatum solum secundum virtutem, sed in Eucharistia continetur secundum substantiam ».

Alexander de Hales erudite admodum hanc differentiam animadvertit difficultatemque dissolvit quae oriri possit ex eo quod Sacramenta Novae Legis rem habent praesentem; inquit enim ⁽¹⁸⁾: « Alia etiam est ratio huius, quia hoc Sacramentum quod

⁽¹⁵⁾ *Supra*, p. 174.

⁽¹⁶⁾ *Clementin.*, l. 3, tit. 16.

⁽¹⁷⁾ *Gent.*, 4, 61.

⁽¹⁸⁾ *Summa Theologiae*, pars 4, quaest. 10, membrum 2, art. 1.

Novae Legis est, debet habere rem praesentem sicut et alia. Sed quia res huius Sacramenti est substantia, scilicet corpus Christi, res aliorum est accidens quod est gratia Spiritus Sancti et accidens quod est gratia non est natum esse in subiecto corporeo neque per se ipsum nisi in anima. Substantia vero per se nata est esse in corpore, ideo in hoc Sacramento res est non tantum significata sed etiam contenta; in aliis vero significata et quodammodo effecta ». Haec Alexander. Quae quamvis eadem sint quae reliqui doctores tradunt, verba tamen ipsa quibus Alexander utitur optime declarant cur reipsa per hoc Sacramentum convertamur. Quamvis enim gratiam per alia Sacramenta consequimur, haud tamen reipsa fontem gratiae, Christum scilicet ipsum substantialiter continent. Sed de * hoc satis. Videamus iam quid intelligendum sit quum in Christi carnem nos converti Chrysostomus ait. f. 159^r

CAPUT X.

In Sacris Litteris qualitatum mutatio etiamsi essentia non mutetur conversio dicitur.

Converti vel transmutari in Sacris Litteris non id solum dicitur quod secundum substantiam transmutatur sed quod secundum qualitatem convertitur. Si igitur mens et caro nostra Christo per Eucharistiam incorporatur et deiformis Christi spiritui et carni fit, transmutatis carnalibus desideriis in conformia Christo studia, commutatisque veteris Adam corruptionis et interitus passionibus in novi Adam incorruptionem et immortalitatem, haud improprie in ipsum converti dicitur. Nam quamvis eadem sit caro nostra per essentiam postquam incorporata Christo est quae antea, non eadem esse videtur per gratiam. Haec qualitatis mutatio in Sacris Litteris etiamsi essentia non mutetur conversio dicitur. Atque ita proprie 4 Reg. 2. ⁽¹⁾ scribitur: « *Eliseus misit sal in aquas amaras et conversae sunt in dulces* ». Non aquarum natura mutata, est, at potius amaritudo conversa est in dulcedinem. Primo quoque Reg. 10 ⁽²⁾ Samuel ad Saul inquit: « *Insiliet in te Spiritus Domini et mutaberis in virum alium* »: non amissa propria natura in alterius viri naturam mutatus est Saul; sed sine mutatione substantiae ob terrenam veteris hominis depositam imaginem mutati dicimur, maxime virtute ac vi huius tanti Sacramenti, ut Eugenius ⁽³⁾ ad quemdam * conversum ait: « *Quanta et quam celebranda* f. 159^r

⁽¹⁾ Vers. 20-21.

⁽²⁾ Vers. 6.

⁽³⁾ Inter scriptores ecclesiasticos hoc nomine insignitos neminem inveni qui ad recens conversum scripserit.

beneficia vis divinae bonitatis operatur; et quod non tibi novum et impossibile esse debeat quod in Christi substantiam terrena convertuntur te ipsum interroga qui, praeterita vilitate deposita, subito nova indutus es bonitate; in exteriori nihil additum, totum est in interiori mutatum ». Iam neque vilitas quae deponitur, neque bonitas quae inducitur, natura et substantia ipsa est, sed accidens.

Sed redeamus ad aquarum conversionem ac mutationem Saulis in virum alium. Obiici enim adhuc potest non dici aquas reipsa conversas aut Saulem reipsa in alium virum mutatum. Haec obiectio facile eliditur. Quoniam quod in aquis et in Saule conversum est revera mutatum est, amaritudo scilicet in dulcedinem et qualitas illa vilitatis in bonitatem. Adde his quod quum Chrysostomus ⁽⁴⁾ inquit reipsa nos converti, non eo quod scribit reipsa intelligit per mysticam benedictionem aliter quoad substantialem mutationem nos converti quam per dilectionem. Per utramque enim conversionem substantia animae et carnis nostrae eadem secundum naturam permanet, licet per gratiam non sit eadem; differentia tamen in eo est quod conversio quae per dilectionem fit, per accidens quoddam fieri dicatur conversio vero quae per Eucharistiam, per praesentiam Christi nostrae carni copulatam fiat. Conversio utraque accidentium est, diversus autem conversionis modus. Illa enim per dilectionem, haec reipsa per verum Christi corpus naturali unione nostrae carni agglutinatum. In utraque accidentium mutatio conversio * appellatur. At haec quae per Eucharistiam fit, quoniam carni propriae Christi congenerem ei carnem nostram conformem et omnino similem divinae eius naturae participatione reddit, in carnem ipsius converti, vel transire, vel transmutari dicitur, non quia ipsius animae aut corporis essentia transmutetur, sed quia sanguinem suum nostris cordibus immiscens, suam ipsius vitam, hoc est essentiam vitae in nobis inserit; nam veteri homine deposito novoque induto, non iam terreni sed coelestis Adam imaginem portamus. « *Coelestis Adam imaginem ut portemus, haud ex sanguinibus, aut ex voluntate viri, aut ex voluntate carnis, sed ex Deo nasci* » ⁽⁵⁾ nos oportet. Hoc communio sacrorum mysteriorum maxime praestat, per quam terrena illa veterique civitate abiecta ac nova per animam carnem et sanguinem novi Adam accepta in ipsum Christum resolvimur. Unde Chrysostomus et reliqui Patres ea usi convertendi significatione videntur quae propria peculiarisque Sacris Litteris est, quibus iniuria magna infertur si improprie eos loquutos esse iudicemus, vel in re adeo gravi aliud docuisse quam senserint existimemus. Nimirum converti verbum quo Chrysosto-

⁽⁴⁾ *Hom. 46 in Jo. n. 3; PG. 59, 260.*

⁽⁵⁾ *I Cor. 15, 49; Jo. 1, 13.*

in us usus est idem significat quod Christi carnem commisceri cum nostra: « Necessarium est, inquit ⁽⁶⁾, dilectissimi, mysteriorum discere miraculum quid tandem sit et quare sit datum et quae rei utilitas. Verum corpus sumus et membra de carne eius et de ossibus eius. Sequamur autem initiati quae dicuntur. Itaque ut non tantum, per caritatem hoc fiamus, verum et reipsa in illam misceamur carnem per escam efficitur, quam nobis largitus est, volens ostendere desiderium quod * erga nos habet. Propterea semetipsum nobis commiscuit et f. 160^r corpus suum in nos contemperavit ut unum quid efficiamur tamquam corpus capiti coaptatum, ardentem enim hoc amantium est ». Idem fere Theophylactus ⁽⁷⁾. Ex his satis constat quid loco Chrysostomus per verbum converti intelligi voluerit, scilicet in illam Christi carnem commisceri per quam se nobis commiscuit et in unum corpus redegit ut corpus cum capite uniretur.

CAPUT XI.

De significatione verbi commisceri.

Commisceri nihil aliud significat quam intime coniungi atque uniri, quemadmodum per aquam vino in calicem commistam coadunatio populi ad Christum, Innocentio III teste ⁽¹⁾, significatur, reffectioque ac recreatio ipsa quam anima et corpus hominis naturaliter Christo per Eucharistiam uniti accipit, commistio quaedam esse videtur per quam nostra mortalis caro immortalis Christi carni coniuncta particeps vis ac virtutis vivificatricis illius carnis efficitur, quemadmodum et iis quae commiscuntur accidit, facile enim accidentia alterius alterum ei commistum haurit, unumque hac ratione esse dicuntur. Miscendi verbo usus est Apollinarius illud Joannis exponens ⁽²⁾: « *Ego sum panis vivus qui de coelo descendi* », ubi de unione humanae naturae ad Verbum loquitur: inquit enim: « Οὐκ ἔστι ἀπολαύσαι τοῦ Λόγου τοῦ Θεοῦ πρὸς αἰωνίαν ζωὴν, εἰ μὴ διὰ τῆς σαρκὸς αὐτοῦ ἄχρι γὰρ οὐκ ἀνεμίγνυτο σαρκὶ καὶ εἶχετο πᾶσα σὰρξ ζέφουσα πᾶν τὸ ἰμογενές εἰς ζωὴν διὰ τῆς ἀνακραθείσης αὐτῇ δυνάμεως ». * Hoc est: « Non licet fructum percipere ex Verbo illo aeterno Deo f. 161^r ad aeternam vitam nisi per eius carnem, quamdiu enim Deus Verbum

⁽⁶⁾ Hom. 46 in Jo., n. 3; PG. 59, 260.

⁽⁷⁾ In Jo. 6, 56-57; PG. 123, 1311.

⁽¹⁾ Supra, p. 38.

⁽²⁾ Hic auctor, ipso Mendoza fatente, nondum typis impressus erat saec. XVI, neque postea, quod sciam, editus.

carni non est mistum, omnis caro habuit vim quamdam talem ut aleret sibi cognatum in vitam iuxta facultatem sibi insitam atque immistam ».

Vides iam *miscendi* verbum a Patribus pro *uniri* semper accipi: neque mistio ea solum dicenda est, ex qua, corrupta eorum quae miscentur forma, alia in misto forma producitur. Aristoteles⁽³⁾ quoque plures mistionis modos commemorat per iuxta appositionem, absque formae transmutatione continuationeque quam exigit generatio misti, quamquam ab hac Christi corporis cum nostro corpore unione et immistione non abest transmutatio terrenae nostrae generationis, haud mutata tamen essentia nostra, in generationem quae ex Deo est, ut paulo ante dicebatur, per quam non terreni sed coelestis Adam imaginem portamus. Non enim Christus qui Deus et homo est misceri uniriue corporali sua praesentia nobis potest, quin nos in se transmutet, cum sua nostra omnia faciat nostraque sua; in terrenis rebus validiora infirmioribus immista, infirmiora in se manere non sinunt; ferrum igni copulatum non ferri aut ignis speciem prae se fert; terra quoque et aqua ab igne caliditatem accipiunt. Si haec vis naturalis rebus inest ut praestantiora imbecilliora vincant atque in se transmutent, quae Christo Deo et homini inerit qui ut homo nobis uniri ut Deus vero divina virtute nos in se transferre sine difficultate valet. Cumque nobis Christus non sit homogeneus et cognatus solum iuxta primam generationem qua omnes homines carnes sunt, sed et per sacram Eucharistiam iterum sibi nos congeneres concorporesque fecerit, dum suae ipsius carnis, quae * de Virgine sumpta e Spiritu Sancto facta propria Verbi est, participes ex Deoque genitos reddit, multo maiore vi atque efficacia nobis vitam spiritumque suum communicat. Quanto enim quae uniuertur commiscenturque magis homogenea sunt, tanto validior et uniformior est transmutatio ut videre est in oleo igni admisto quod totum in flammam resolvitur, lignum vero igni applicatum partim in fumum partim in flammam partim in cineres abit propter partium maiorem diversitatem qua lignum constat quam oleum.

Denique quod Chrysostomus, quod Justinus martyr, quod Leo Magnus⁽⁴⁾, quod reliqui omnes Patres, quotquot nos in Christi carnem converti vel transmutari vel transire dicentes intellexerunt, est nostra in Christum Christique nobiscum communi-
one, incorporatione, commistione, unioneque ab illa terreni prima Adam nativitate in hanc secundam coelestis Adam generationem transferri, a statu culpae in statum gratiae, a servitute in libertatem, ab ingratis et infestis servis in filios dilectos, a carne in spiri-

⁽³⁾ Hunc locum invenire non potui.

⁽⁴⁾ Quorum testimonia supra passim allegata sunt.

tum, a morte in vitam mutari. P a u l u s mutationem a corruptione ad incorruptionem, ab ignobilitate in gloriam, ab infirmitate in virtutem, a corpore animali in corpus spirituale immutationem simpliciter vocat et eos, qui iam non sibi vivunt, sed ei qui pro ipsis mortuus est et resurrexit, se non nosse secundum sui carnem testatur de Christo et inquit ⁽⁵⁾: « *Et si cognovimus secundum carnem iam non novimus* ». Quamvis enim carnis * natura non defecerit, qualitas f. 162^r tamen, quae transit et mutata est, ut neque Christus, neque qui Christo vivunt et non sibi, ut a Paulo secundum carnem minime agnoscantur, in causa est, quemadmodum L e o M a g n u s optime declarat inquitens ⁽⁶⁾: « Non dissonat ab hac fide, dilectissimi, magister gentium Apostolus Paulus quum dicit: *Etsi cognovimus secundum carnem Christum sed nunc iam non novimus*. Resurrectio enim Domini non finis carnis sed commutatio fuit, neque virtutis augmento consumpta substantia est. Qualitas transit non natura deficit; et factum est corpus impassibile quod potuit crucifigi, factum est immortale quod potuit occidi, factum est incorruptibile quod potuit vulnerari. Et merito dicitur caro Christi in eo statu quo fuerit nota nesciri, quia nihil in ea passibile, nihil remansit in ea infirmum ut et ipse sit per essentiam et non sit ipsa per gloriam. Quid autem mirum si hoc de corpore Christi profitetur qui de omnibus christianis spiritualibus dicit. Itaque nos ex hoc neminem novimus secundum carnem. Ex hoc, inquit, initium nobis factum est resurrectionis in Christo ». Haec Leo Papa.

Dionysio ⁽⁷⁾ et Sancto Maximo ⁽⁸⁾ ἀλλαιώσεως id est commutationis vocabulum, quum de hac accidentaliter in corporibus transmutatione sermo est, haud improprium visum est. Cyrillus etiam ⁽⁹⁾: « Natum, inquit, ex spiritu spiritum hominis dicimus, non quia ex eo secundum naturam est, id enim plane absurdum est, sed una quidem priscaque ratione quoniam per spiritum a nihilo ad esse productus est; altera vero quam dispensationem appellamus * quoniam f. 162^v per ipsum ad Deum reformati ac proprio eius caractere insigniti, ad suam, ut ita dixerim, qualitatem animo transformamur ». Satis ergo ostensum remanet conversionem pro immensione a sacris doctoribus usurpari; immistio autem unionem significat a qua neque transmutatio quaedam aliena est quae abque absurdo aut incredibili aliquo naturali unitati non repugnat, nec ideo quia unio naturalis esse, transmutatio quoque naturalis esse debet.

⁽⁵⁾ 2 Cor. 5, 16. Supra alludit ad 1 Cor. 15, 42-44.

⁽⁶⁾ Sermo 71, c. 4; PL, 54, 388.

⁽⁷⁾ De Ecclesiastica Hierarchia, c. 3, § 11; PG. 3, 442.

⁽⁸⁾ In Ecclesiasticam Hierarchiam, c. 3, § 11; PG. 4, 147; c. 2, § 7; PG. 4, 131.

⁽⁹⁾ In Jo. 1. 2, c. 1; PG. 73, 246.

CAPUT XII.

Quid nostri in carnem Christi converti dicatur, quid per carnem Christi intelligatur.

f. 163^r Video adhuc haud ab omni parte difficultatem ex Chrysostomi, Justini martyris, Leonisque Magni verbis ortam solutam esse. Nam etsi declaratum a nobis sit quam ob rem in Christi carnem reipsa nos converti dicamur, constetque non per dilectionem solum fideque nos converti, et Christi corpus vere et naturaliter nobiscum uniri per Eucharistiam, obscurum tamen remanet quid sit illud nostri quod in carnem Christi in quam convertimur intelligere oporteat. Ad maiorem igitur huius conversionis declarationem animadvertenda est vulgaris illa inter cibum dominicum et cibos communes quos edimus differentia. Cibus enim communis ab humano corpore a quo editur vim alendi accipit. Animae enim facultas nutritiva cibum ipsam transmutat et in corporis aliti naturam convertit vivitque transmūtatus cibus vita quam accipit in corpore in quod transmutatur. Et quia corpus alitum corruptioni * obnoxium est, cibus quoque una cum ipso corpore in quod conversus fuit in corruptionem vergit. Longe autem aliter Domini cibus. Nam cum sit vere vita, in ipso vita erat ⁽¹⁾, nihilque vere nutriri possit quod vita careat, ipse solus vere nutrit. Cumque a nemine alio vitam accipiat, a nemine etiam nutriendi vim accipit; et cum sit *panis de coelo descendens* ⁽²⁾ ob Verbi Dei unionem totiusque corruptionis exors, non ipse, qui perire nequit, in manducantis corpus mutari potest quod ut pereat necesse est. At divina virtute et nostram superat infirmitatem et nos in se commutat, nostramque infirmitatem in suam divinam virtutem ita convertit ut aeternam vitam manducanti praestet.

Hinc illud Augustini ⁽³⁾: « Cibus sum grandium, cresce et manducabis me, non tu me in te mutabis sicut cibum carnis tuae, sed tu mutaberis in me ». Incorruptibilis nempe cibus est neque in substantiam corruptibilem mutari potest, ac, ut Stephanus Edvensis Episcopus testatur ⁽⁴⁾: « Dentibus teritur et integer manet, manducatur et non corrumpitur, immolatur et non moritur ». Odo quoque Camaracensis Episcopus in eandem sententiam ita inquit ⁽⁵⁾: « Quotidie Christum in altari consumimus et permanet, manducamus et vivit, atterimus dentibus et inger est:

⁽¹⁾ Jo. 1, 4.

⁽²⁾ Jo. 6, 50.

⁽³⁾ Confessiones, l. 7, c. 10; PL. 32, 742.

⁽⁴⁾ Seu STEPHANUS DE BALGIACO († c.a. 1140), *De sacramento altaris*; PL. 172, 1293.

⁽⁵⁾ *Expositio in canonem Missae*; PL. 160, 1062.

consumimus, manducamus et atterimus dentibus non specie sed re, non solum forma sed substantia ut miro modo consumatur permanens, atteratur incorruptus, distribuatur indivisus ».

Quemadmodum enim Filius Dei Unigenitus assumens naturam humanam non consumpsit eam in seipso sed in unitatem personae tractam ut in ipso esse divinum perciperet effecit, ita quoque * dum f. 163^v se nobis in cibum tantae virtutis dat ut nos ad se convertat, non quidem nos consumit sed nobis corpus suum pie edentibus suum esse divinum communicat. Sensit hoc divus Algerus ita scribens ⁽⁶⁾: « Revera Verbum fit caro et panis fit eadem caro, sed longe diverso modo Verbum fit caro et nascitur caro de carne, assumendo carnem, non mutatum in carnem. Sic factum quod non fuerat ut non desineret esse quod erat. Panis autem fit caro eadem, non nascitur caro neque assumit carnem sed mutatur in carnem. Sic factus quod non erat ut desistat esse quod fuerat pulchra spe nostra pulchrioreque mysterio ut in corpus Christi trajici non desperet rationalis natura in quod trajicitur et bruta si desistat ex se esse quod ex se male fuerat et sit in Christo quod bene non erat ». Ecce triplex Christi corpus: unum quod de Virgine sumptum, alterum quod sine assumptione carnis ex pane in carnem per mutationem substantialem mutatum, tertium quod absque nativitate et absque transmutatione substantiali, per unionem et agglutinationem cum terrenarum proprietatum in sui corporis et spiritus qualitates conversione, suum corpus effectum est. Unde illud Pauli ⁽⁷⁾: « Vivo ego iam non ego, vivit vero in me Christus ». Agnoscit Paulus se perfecte conversum in Christum per spiritum ab ipso acceptum in baptismo ac per virtutem acceptam ab ipso manducato, per quam iam non vivebat secundum carnem sed secundum Christum. Christus quoque eum in modum sibi et spiritu et carne incorporatos seipsum appellat; atque ita ad ipsum Paulum discipulos suos persequentem clamat ⁽⁸⁾: « Saule, Saule cur me persequeris? » Non, inquit, amicos vel ministros vel discipulos vel * f. 164^r aliud quidpiam huiusmodi, sed me: hoc est membra corporis mei in quae virtus mea velut a capite in membra naturali mihi coniunctione copulata influit, quod per escam dominicam fit, per quam Christus, vere cibus carnisque sumentis immistus animae eius illabatur, totumque hominem ita in se rapit atque convertit ut iam anima non sibi vivat sed Christo, caroque non legi peccati sed spiritui pareat; ac homo totus in cibi dominici manducati virtute substantiaque vivere in ipsum conversus videatur quemadmodum cibus in nutriti membrum

⁽⁶⁾ De sacramentis corporis et sanguinis dominici, I, 1, c. 6; PL. 180, 755.

⁽⁷⁾ Gal. 2, 20.

⁽⁸⁾ Act. 9, 4.

transmutatus non amplius in se manet sed in nutrito, cuius vita vivit. Ordine itaque converso, nutrito corporalis spiritualem refert. In illa enim cibus in manducantem, in hac manducans in manducatum cibum convertitur. Vincunt enim praestantiora invalidiora, superant coelestia humana.

f. 164^v Animadvertendum tamen est quod dum mens in Deum transformatur, ipsa mentis substantia quae est anima non mutata permanet, accidentia vero nova succedunt, non carnalia sed deiformia. Diversus omnino itaque est modus in hac nostra in Christum transformatione ab eo qui est in consecratione Eucharistiae. Nam hic panis transubstantiatur in corpus Domini remanentibus accidentibus, quae quidem accidentia, cum ad patriam pervenerimus, inseparabilia erunt ac naturalium proprietatum naturam consequuta, ut dictum est ⁽⁹⁾, videbuntur. Siquidem quod proprium accidentis communis est posse inesse vel abesse, ipsis his accidentibus deerit. Inerunt enim lumen gloriae dotesque immortalitatis et incorruptionis id consequentes tam animae quam corporis; sine eo quod possint abesse. Quare qui hunc in modum Deo coniunguntur, in Deum converti * merito dicuntur, absque eo quod essentia transmutetur. In hac tamen accidentium conversione animadvertere maxime oportet quod quemadmodum quum corpus panis transubstantiatur in corpus Christi verum, accidens tamen quod non mutatur in obsequium sacramenti recipit virtutem quae omnem accidentis naturam atque vim superat; frangitur enim et alit, quod accidentis solius naturae repugnat, ita etiam transmutatis in nobis qualitatibus, corporis animaeque substantia vim ac virtutem ob accidentium dominici cibi virtute factam mutationem quamdam accipit, per quam divinitatis humanitatisque Christi particeps effecta. supra totius humanae naturae vim extollitur. Illic substantiae transmutatio, accidentibus non mutatis, vim supernaturalem tribuit, hic accidentium mutatio substantiae nostrae haud transmutatae virtutem divinam confert, per quam homo Christo perfecte copulatus animae velut novae germinis per baptismum renovationem auget atque perficit. Senescens quoque ac rugosa forsam anima caroque facta ad iuventutem revocatur. Renovatur et non conflatur, reformatur et non conteritur, curatur et non dolore affligitur.

f. 165^r Ideo Spiritu Christi immiscemur et unimur per Eucharistiam eamque participamus, sed caro Christi vere et substantialiter nobis immista et unita, caro quoque nostra deificae Christi carnis consors eo quo dicto modo est efficitur virtutemque eius haurit, deposita scilicet veteris hominis et novi Adam imagine induta, nempe participatione deificae Christi carnis et pretiosi sanguinis * eius ad gloriam

(9) *Supra*, p. 129, 146.

et immortalitatem, nostra etiam caro praeparatur, non natura corporis ipsius sublata, sed unum corpus cum ipsa Christi carne vivifica et divina virtute facta, quod et Augustinus testatus est ⁽¹⁰⁾, et Isidorus Pelusiotas in epistola quam antea retulimus ⁽¹¹⁾, quum redemptam, naturam nostram, curatam et adoptatam, iustificatam et factam cohaerentem Christi per baptismum dixerit, concorpoream vero per sacrorum mysteriorum communicationem fieri subiicit et in carnem Christi desinere et velut corpus capiti sic ipsi uniri tradit. Horum verborum declaratio nostri in carnem Christi conversionem luculentior reddet.

CAPUT XIII.

Isidori Pelusiotae verborum declaratio quibus naturam nostram virtute sacrorum mysteriorum in carnem Christi desinere asserit.

Isidori ⁽¹⁾ aliorumque Patrum sententia dilucidius percipitur si unionem humanae naturae cum verbo desinere et terminari ad personam Filii unionem naturae assumptae desinere et terminari senserunt ut in humana natura assumpta habeat nomen personae ipsius et proprietates eius, et ex consequenti essentialia et attributa, quoniam quaecumque conveniunt naturae conveniunt illi personae. His ita traditis, unionem quae fit per haec sacra dona dicimus terminari, desinere et perfici, (verbum enim τέλειν quo utitur Pelusiotas omnia haec significat) ad quamdam participationem et assimilationem ipsius Christi carnis, ita ut nostra caro et nomen et proprietatem Christi carnis immortalis et deificae adipiscatur propter omnimodam assimilationem ad naturam * et immortalitatem ipsius, quae cum sit f. 165^v carnis ad carnem omnimoda similitudo ac naturalis potius cum eo unitas quam participatio censetur ut iam saepe dictum est. Quemadmodum enim in unione humanae naturae ad Verbum terminari ac desinere dicitur quia dantur esse personale et proprietates attributa illi personae, ita in hac naturali per Eucharistiam cum Christo unione desinere in carnem Christi videtur esse dare nobis corporaliter Christo per Eucharistiam unitis, vivifici et immortalis ipsius corporis proprietatem participationem secundum praefatam omnimodam similitudinem ex vi ipsius arctissimae cum Christo unionis. Hanc participationem

⁽¹⁰⁾ *Supra*, p. 65, 79.

⁽¹¹⁾ *Supra*, p. 137.

⁽¹⁾ *Epistolarum*, l. 3, ep. 195; PG. 78, 880.

et unionem Theophylactus ⁽²⁾ pani illi mysticae benedictionis tribuit, per quem nos sic Christo copulari asserit quemadmodum corpus illud quod assumpsit ipsi unitum est, quamdam diversa admodum est haec unio ab illa quae in unitatem personae humanam naturam traxit. Haec enim in unitatem corporis Christi desinit ac terminatur, quae naturalis recte vocatur. Si enim unum et unita naturaliter ea dicuntur quae eadem communicant specie, quanto magis unum erunt quae eadem participant carne, ac per unum corpus in omnibus Dei Verbum inhabitat ut Athanasius ait ⁽³⁾? Haec occasione verborum Isidori Pelusiotae dicta sufficiant.

CAPUT XIV.

Quid nostri in carnem Christi converti dicatur amplius declaratur.

f. 166^r His expositis quae nostram in Deum conversionem magna ex * parte declarant, facile intelligetur quid nostri converti in carnem Christi dicatur si attendamus ad ipsa Chrysostomi Leonisque Papae ⁽¹⁾ verba nos reipsa in Christi carnem converti vel transire. Non enim, aiunt, corpus tantum nostrum vel animam nostram, sed nos, hoc est, totum hominem corpore et anima constantem in Christi carnem transire, hoc est ipsi Christo spiritu pariter ac corpore uniri ac ei per cibum dominicum incorporari unumque cum eo effici. Per Christi autem carnem non oportet intelligere carnem spiritu Christi carentem, sed ipsummet Christum. Nam quemadmodum superius ostendimus, caro Christi spiritus etiam nuncupata est, Christus quoque inquit: *in me manet*: non dixit in corpore meo vel in anima mea, sed in me, corpore scilicet et anima constante: *et ego in illo*, integro scilicet homine ex anima et corpore composito. Ad haec, ne carnis vocabulum adeo nos offendat, audi quid Johannes Damascenus scribat ⁽²⁾: « Spiritus, ait, vivificans est caro Domini; quoniam ex vivificante Spiritu concepta est. Quod enim natum est ex Spiritu, Spiritus est. Hoc autem dico non tollens corporis naturam sed vivificum ipsum et divinum significare volens ». Athanasius etiam ⁽³⁾: « In praesenti, ait, vita primitias futuri panis, quem nos Christus initio petere docuit, habemus, quia per

⁽²⁾ In 1 Cor. 10, 16; PG. 124, 686.

⁽³⁾ Oratio de Incarnatione Verbi, n. 9; PG. 25, 111.

⁽¹⁾ Supra, p. 176.

⁽²⁾ De fide orthodoxa, l. 4, c. 13; PG. 94, 1151.

⁽³⁾ De Incarnatione Verbi Dei et contra Arianos, n. 16; PG. 26, 1011.

carnem participes Domini sumus. Quemadmodum et ipse dixit: *Panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita*. Spiritus enim vivificans caro Domini est, quoniam a spiritu vivificante comprehensa fuit, quod enim ex spiritu * factum est Spiritus est ». Hanc Christi carnem f. 166' Athanasius (4) templum et corporeum instrumentum immortalis Dei Filius a morte omnes liberaret propter inhabitans in omnibus Verbum per unum corpus.

Carnem praeterea totum hominem significare in Sacris Litteris manifestum est. *Verbum enim caro factum* dicitur, idest homo, quod Hebraeis vulgare est. Qui vero Leo per carnem in quam nos transire ait, intellexerit, idem ipse exponit, quam ait (5): « Non enim aliud agit participatio corporis et sanguinis Christi quam ut in id, quod sumimus, transeamus, et in quo, commortui et consepulti et conresuscitati sumus, ipsum per omnia et spiritu et carne gestemus ». Carnem itaque Christum ipsum intellexit Leo et Chrysostomus.

CAPUT XV.

Quo sensu accipienda sint Irinaei verba quibus dicit Eucharistia carnis nostrae substantiam ali, augeri et consistere.

Cum Irinaeus (1) tradat Eucharistia ali et augeri et consistere carnis nostrae substantiam, nihil ab eo aut per exaggerationem aut improprie dictum esse censendum est nisi carnali sensu corpore et sanguine Christi ut alio quocumque cibo corpus et sanguinem nostrum nutriri, augeri et vitam carnalem habere intelligamus; quod nemo sanae mentis asseret. Irinaei sententia haec est quod quemadmodum cuiuscumque corporis, ut inquit Gregorius Nysenus (2), substantia consistit ex nutrimento, quod * quidem nutrimento ex cibo constat et potu, cibus autem est panis et potus est aqua vino mista, ita spiritualis nostrae carnis substantia divino nutrimento confirmatur, augetur et consistit; quod quidem nutrimentum divinum ex cibo consistit et potu, corpore scilicet et sanguine Christi. Eo ergo pacto quo corruptibilis carnis hominis natura corruptibili cibo alitur et consistit in mortalem vitam, sic immortalis ac divino cibo nutrita in immortalem alitur, augetur et consistit substantiam. f. 167'

(4) *Supra*, p. 174.(5) *Ep.* 59, c. 2; PL. 54, 868.(1) *Supra*, p. 40.(2) *Oratio catechetica*, c. 37; PG. 45, 94-98.

Deus enim, ut Gregorius Nyssenus ait ⁽³⁾, qui nobis se patefecit idcirco naturae mortali seipsum commiscuit ut deitatis suae communionem una hominem deificaret; ideo cunctis credentibus gratiae dispensatione seipsum impartit seminatque per carnem, cuius substantia ex pane et vino constat fideliumque corporibus immiscetur, ut haec cum immortalis unione homo etiam immortalitatis particeps fiat. Theophylactus etiam ⁽⁴⁾: « Quomodo, inquit, panis terrenus infirmam carnem conservat, sic et Christus virtute Spiritus Sancti animam vivificat ac ipsum corpus coaptat in immortalitatem; per Christum enim resurrectio mortuorum et corporum incorruptio ». Haec igitur Christi participatio, nutrimentum, incrementum et confirmatio carnis nostrae substantiae Irinaeo videtur. Athanasius ⁽⁵⁾ etiam incrementum nos ex Christi plenitudine accipere eiusque radicem ad resurrectionem et salutem niti testatur.

f. 167^v Incrementum hoc maximum sequi ex dominico cibo satis constat; quanto enim plures eo digne vescuntur, * corpus Christi mysticum membrorum eiusdem cum capite Christo naturae multiplicatione magis augetur. Hoc ipsum ut fiat, unius indivisibilisque corporis illius quod de Virgine sumptum est, unitas praepotenti Dei virtute in Eucharistia multiplicatur, ad cuius multiplicationem membra eo pasta corporique ipsius reipsa coaptata atque contemperata etiam crescunt, totumque hoc pacto Christi corpus augetur, quod miraculo illo quo tot millia hominum tam paucis panibus in Christi manibus multiplicatis satiati sunt, significatum gravissimi viri censent. Haec autem omnia non esse carnaliter accipienda idem Irinaeus alibi aperte declarat scribens ⁽⁶⁾: « Rursus dicentes carnem corruptioni obnoxiam vitam non percipere nimium errant; quia caro corpore et sanguine Christi, qui vita ipsa est, aliter spiritualiter in vitam aeternam ». Quam igitur corpore et sanguine Christi carnis nostrae substantiam alii, augeri et consistere asseritur eo quo exposuimus modo, spiritualiter scilicet intelligendum est; divina enim humanis verbis exprimentur. Quod Irinaeus dixit, Augustinus etiam sensit quum inquit ⁽⁷⁾: « Commendavit Christus in hoc sacramento corpus et sanguinem suum quod et fecit nos ipsos; nam et nos ipsi facti sumus corpus eius ». Sanctus quoque Thomas Augustini verba adferens inquit ⁽⁸⁾: « Sic comedentes convertentur quia in Christi corpus mu-

⁽³⁾ *Oratio catechetica*, c. 37; PG. 45, 98.

⁽⁴⁾ Locus invenitur apud S. THOMAM, *Catena Aurea in Jo. 6, d.*

⁽⁵⁾ *De sententia Dionysii*, n. 10; PG. 25, 495.

⁽⁶⁾ *Adv. Haereses*, l. 5, c. 2, n. 2-3; PG. 7, 1126-1127.

⁽⁷⁾ *Sermo 6*, n. 1; PL. 46, 835.

⁽⁸⁾ Ps. THOMAS, *De sacramento altaris*; Opera omnia, Venetiis 1593, t. 17, 50, cf. S. THOMAS, *Sent.* 4, d. 8, q. 1, a. 3, ad 1 q.

tabuntur. Et sic patet dum multi fidelium comedunt corpus Christi, in illud ipsi mutantur et membra eius efficiuntur ».

* Ne tamen intelligatur naturalis aliqua substantiae nostrae in substantiam carnis Christi transmutatio, in memoriam revocandum est quod antea diximus, diversam esse naturalem unionem et naturalem transmutationem. Quod enim transmutatur non recte dicitur unitum. Unio enim duorum vel plurium est coniunctio. Transmutatio autem substantialis dicitur cum ex duobus aut pluribus unum quoddam tertium fit. Id autem unum et non unio appellatur. Ceterum in Christi corpus transire aut mutari aut carnis nostrae substantiam corporis et sanguinis Christi Eucharistia consistere dicitur, quia natura nostra mortalis in naturam transit alimenti dominici sumpti immortalem non secundum substantiam sed secundum incorruptionem et immortalitatem, ut antea saepe dictum est. Ac perinde ut ferrum igni iniectum non igne in ferrum transformato sed e diverso ferro qualitates ignis induente ardorem scilicet candorem et splendorem accipit et ceteras eius condiciones, ita nos corpore et anima Christi corpori copulati corporis ipsius qualitates induimus. Haec igniti ferri comparatio ut similitudo sumenda est, quae cum in aliquo cum re collata conveniat etsi in aliis differat, satis apta censenda est. Caro enim Christi digne sumpta est velut ignis fervens, anima vero quae pie sumit ferrum igne candens, ignis proprietates ac igneam speciem praese ferens. Caro vero animae obsequitur dum igneo illo Christi calore ardet quod per Eucharistiam maxime fit, per quam a concupiscentiis et vitiis carnalibus maxime avocatur atque abducitur. Unde Bernardus scribere non dubitavit ⁽⁹⁾: « Hic efficitur una caro sponsa cum sponso, unus Spiritus sancta anima cum Christo »*.

f. 168^v

CAPUT XVI.

Qua ratione una caro dicatur Christi caro et caro digne ipsius corpori communicantes.

Quoniam non pauci sunt quibus difficile videtur unam carnem nuncupare carnem Christi et nostram, neque id sine multorum errorum periculo asseri posse iudicant, operae pretium erit antequam ulterius progrediamur, exponere quo pacto intelligenda sit haec unitas qua Christo copulamur. Atque in primis observandum est diversitate suppositorum non prohiberi unam carnem dici coniugum carnem. Nam

(⁹) Ps. BERNARDUS, *Sermo de excellentia SS. Sacramenti*, n. 10; PL. 184, 987.

quamvis distinctae sint viri et uxoris personae, una tantum eorum caro dicitur; non quia una atque eadem sit caro utriusque, sed quia per carnalem seminationem ac commistionem coniuncti fiunt una caro ad quod non satis erat animus et consensus. Pari ratione una caro, caro Christi et nostra dici videtur, cum vere et realiter per Eucharistiam a nobis manducata nobis immiscetur, ac praeter nexum spirituales quo per dilectionem Christo uniebamur nexu carnis naturali unumque ipso efficiamur unaque caro sponsae cum sponsi carne fit. Unde **Chrysostomus** (1): « Considera, inquit, cum mensam tibi sensibilem appones, coenam dominicam animum dirige ad discipulorum vigiliis in illa sancta nocte. Audisti sacros hymnos, vidisti nuptias spirituales, regia in mensa discubuisti, impletus es Spiritu Sancto ». **Bernardus** etiam (2): « Grātulare, inquit, sponsa, gaude incomparabiliter, praesidentem habes et rectorem sponsum in praesentis exilii militia, pignus habes, arram tenes, quibus feliciter sponso uniaris in patriam gloriosam et, * amabilis sponsa, in terra sponsum habes in sacramento, in coelis habebitur sine velamento. Hic et ibi veritas; sed hic palliata, ibi manifesta apertius ». **Sacrum Ephe** animam ante Eucharistiae perceptionem sponsam immortalis sponsi appellare superius ostendimus (3), eamque sacris mysteriis sumptis sponso copulari ait.

Paulus quod de primis coniugibus dictum est: « *Erunt duo in carne una* », de Christo et de eius membris interpretatur (4). Neque desunt qui hoc in loco Paulum coniunctionem unionemque carnis intellexisse per sacrae Eucharistiae perceptionem asserant, inter quos sunt **Augustinus** (5) et **Anselmus** (6) qui ita exponunt: neque vero Paulus viri et uxoris unam tantum carnem appellat, quorum corpus mutuae communionis unitate fit velut una caro ex duabus consummata et in communem usum expensa, dum uterque utriusque corporis potestatem habet; sed cum etiam qui adhaeret meretrici unam effici carnem unumque corpus affirmat. Itaque alio testimonio opus non est ad comprobandum carnale vinculum per eiusmodi commistionem addi spirituali, quod discindi nisi morte naturali nequit, quemadmodum et spirituale non dissolvitur nisi morte spirituali. Ex his satis constare puto tunc demum unitatem nostram cum Christo ab omni parte perfici et consummari quum nexu hoc naturali ac carnali per Eucharistiam ipsi coniungimur. Quae quidem unitas vinculo spi-

(1) *Hom. 27 in I Cor.*, n. 5; PG. 61, 232.

(2) **PS. BERNARDUS**, *Sermo de excellentia SS. Sacramenti*, n. 7; PL. 184, 985.

(3) *Supra*, p. 106, 225.

(4) *Eph.* 5, 32.

(5) *Supra*, p. 44.

(6) *Supra*, p. 49.

rituali per dilectionem inchoata per corpus Domini manducatum * et f. 169^v
sanguinem potum velut per copulam nuptiarum consummatur. *

Ut vero paucioribus verbis hanc carnis unitatem cum Christo intelligamus in memoriam revocare oportet quod supra ex Cyrillo allatum est (7), carnem suam a Christo spiritum appellatam non quia amisit naturam carnis, sed quia summe cum eo coniuncta totam vivificandi vim hausit. Pari ergo ratione caro nostra arctissime carni Christi coniuncta caro eius vocatur, non quia caro aut corpus nostrum amittat naturam suam sed quia vim ac virtutem carnis Christi haurit. Virtute itaque ac potestate corpus quod seminatur animale resurget eorum spirituale, non natura ut Augustinus ait. (8). Constat etiam ex dictis quanti vinculum hoc facere oporteat per quod una caro et unum corpus novo nexu efficiatur, atque fides dilectioque ipsa in baptismo inchoata hic consummatur, ut inferius luculentius patebit.

CAPUT XVII.

Qua unitate fideles unum sint inter se, quotuplici etiam unitate Christus et eius membra copulentur, et Christo mediatore Patri etiam uniatur.

His ita cognitis, nodos illos quibus haec corporalis nostri cum Christo coniunctio admodum involuta atque intricata videbatur, magna ex parte absolutos arbitramur, sed ut clarius naturalis istius unitatis ratio intelligatur non abi re fuerit * de diversitate unitatum quae in sacro Evangelio reperitur nihil disserere. Siquidem non uno solum modo non Christo uniri evangelica doctrina tradit. Christus enim in ea precatione quam post ultimam coenam cum Apostolis peractam ad Patrem habuit postquam corpus suum edendum et sanguinem suum bibendum ipsis praeberat, pro unitate omnium credentium impense Patrem suum orat atque ut unum omnes fideles sint, ter aliis atque aliis verbis petit. Primo enim inquit (1): « Pater sancte, serva eos in nomine tuo quos dedisti mihi ut sint unum sicut et nos ». Secundo (2): « Non pro eis rogo tantum sed pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut unum sint sicut et tu Pater in me et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint ». Tertio (3): « Et ego claritatem quam tu dedisti mihi dedi eis ut sint unum sicut et nos unum sumus, ego in

(7) In Jo., l. 4, c. 3; PG. 73, 603.

(8) Cf. De Civitate Dei 13, 20; PL. 41, 393.

(1) Jo. 17, 11.

(2) Jo. 17, 20.

(3) Jo. 17, 22-23.

f. 170^r eis, et tu in me, ut sint consummati in unum ». Ex his Christi verbis constat Christum enixe cupere pios omnes ea unitate coniungi ut omnino in eis quaedam voluntaria unio per fidem et caritatem reluceat, quae naturalis quaedam imago eius unitatis videatur esse quae in Patre et Filio est. Non enim precatur ut unam et eandem christiani omnes habeant naturam et essentiam cum Patre sicut Patris et Filii una est substantia et eadem natura etsi diversa sit subsistentia et persona. Nam cum suum cuique hominum peculiare corpus et anima sit, et oret ut omnes unum simus unumque individua substantia * atque natura esse non possumus inter nos, superest, ut Christus de illa unitate intelligat quae fit, quum sumus eadem mente, eadem sententia, eadem fide, eodem baptismo eademque caritate, atque unum Christum unumque spiritum et unam fidem habemus etsi in unoquoque discrimen sit prout diversa cuiusque muneris aut externi operis ratio exigit. Primo enim ait: *Ut sint unum (sicut et nos*. Dictio enim illa, « *sicut* » auctore Chrysostomo ⁽⁴⁾, non certissime parilitatis est, sed ut hominibus congruere potest sicut quum dicitur ⁽⁵⁾: *Estote misericordes sicut et etc.* Athanasius etiam ⁽⁶⁾: « Qui quemadmodum dicit non identitatem sed similitudinem et exemplum eius de quo loquitur significat. Non igitur ut nos essemus qualis ipse, ductum est ab eo ut unum sint quemadmodum et nos sumus, sed quemadmodum ille, utpote Verbum in Patre suo est, ita quoque nos aliqua similitudine et rudi formula dum in eum respicimus, efficeremur unum una inter nos et mutua concordia animi et spiritus unitate ne dissentiamus ut Corinthii, sed ita concordemur simus ut quinque illa millia in Actibus Apostolorum qui quasi unus homo censi poterant ».

f. 171^r Pro nostra ergo natura et quatenus fieri potest precatur ut unum simus, scilicet ipse et Pater, ut inde formulam similitudinemque mutuemur ut ille quidem natura et ex vero unum est cum suo Patre, nos autem invicem inter nos cognati et ex uno omnes progeniti et una omnium hominum natura unum inter nos * affectu et animo efficiamur, habentes pro archetypo Filii cum Patre naturalem unitatem. Precatur itaque ut sint unum sicut et nos, utque in nobis est indivisibilis unitas, ita quoque et ipsi addiscentes ex nobis indivisibilem nostram naturam inter se perpetuo concordiam servantes. Certior enim imitatio hominis, quae ductum rerum naturalium sequitur. Nempae cum Pater et Filius in essentia, voluntate et veritate unum sint, creaturaeque nulla Deo consubstantialis esse possit, ambigendum non est, non intelligenda verba Christi de consubstantialitate, sed unitate voluntatis

⁽⁴⁾ *Hom. 82 in Jo., n. 2; PG. 59, 443.*

⁽⁵⁾ *Lc. 6, 36.*

⁽⁶⁾ *Oratio 3 contra Arianos, n. 20; PG. 26, 363.*

cum ipsis. Propterea Augustinus admonet (7) illud diligenter advertendum non dixisse Dominum *ut omnes unum simus*, sed *ut omnes unum sint*. Perspicuum igitur est hanc fidelium inter se unitatem pro qua Christus orat voluntatis esse. Fieri enim non potest ut sit qualis inter Patrem et Filium. At vero expendere adhuc oportet an aliam inter nos et Christum unitatem ex iis quae subiiciuntur secundo et tertio verbis excerpere possimus. Deinde quantum ipsius cum Patre unitatis exemplum, quod toties repetit, nostram unitatem tam cum Christo quam cum Patre promoveat.

Quoad primum cum Christo unum per substantiae unitatem sit cum Patre, nos vero per naturam nostrae carnis ab eo assumptae, quoad eandem naturam illi communicemus ac per corporis et sanguinis sui in Eucharistia manducationem vicissim ipse in nobis corporaliter maneat et nos in ipso, ut antea demonstratum est, arctissimo quodam vinculo praeter voluntatis nexum tam cum Deo quam cum Christo ac inter nos coniungi videmur. Quod autem vinculum aut quis nexum hic paulo diligentius animadvertere oportet; ex * eo enim intelligemus quanto tum cum Deo tum inter nos arctius constringamur. Unum nos cum Deo esse spiritualiter per fidem et dilectionem, qua unum cum Christo naturaliter etiam unimur, mediatore existente ipso Christo inter nos et Deum, mirum in modum augetur. Hoc autem illa verba declarant: « *Ut et ipsi in nobis unum sint* ». Ex eo enim quod Pater in Christo ut in Filio naturali naturaliter est et Filius in Patre, rursusque Pater plenissime est in Christo ut in homine per gratiam et per Verbi unionem ad naturam humanam indivulse Deus denominatur, et est homo et homo Deus. Quicumque ergo per fidem et dilectionem Christo adhaerent, eidemque hanc per fidem unionem duplici illo nexu iuxta naturam carnis uniuntur, unum corpus cum ipso fiunt ut in secunda assertionem dictum est; altero nempe quo ipse carnem nostram unit sibi, altero quo nos vicissim eius carnem edimus in Eucharistiae sacramento.

Consequens igitur est ut tam per voluntatis coniunctionem quam per naturalem unitatem Filio proprie uniantur, et mediante Filio quodam arctissimo vinculo et nobis inenarrabili Patri etiam et Spiritui Sancto, quibus cum Christo ipse Dei Filius una et eadem essentia secundum naturae proprietatem unum est. Hinc manifeste patet quantum nostrae cum Deo unitatis vinculum exemplum quod Christus attulit augeat, dum per Christum, quasi per gradum quemdam ad Patrem et Spiritum Sanctum nos evehit. Gradum hunc quo nos divinae consortes naturae ad tantam dignitatem per Christum sublevamur * P e t r u s testatus est qui de Christo loquens (8): « *Per quem,*

f. 171^vf. 172^r(7) *In Jo.* tr. 110, n. 1; PL. 35, 1920.(8) *2 Patr.* 1, 4.

inquit, *maxima et pretiosa nobis promissa donavit, ut per haec efficiamur divinae consortes naturae* ». Continetur etiam hic gradus in iis verbis quae paulo inferius a Christo subiiciuntur ⁽⁹⁾: « *Ut sint unum sicut et nos unum sumus, et ego in eis et tu in me, ut sint consummati in unum* ». Nemo hanc rem quae adeo divinam misericordiam in nos commendat nostramque naturam in divinae naturae consortium ita effert atque amorem nostrum erga Deum mirum in modum accendit, et ceu clavo quodam trabali, ut aiunt, nos Deo fortissime affixit, a nobis nunc inventam credet si veteros illos Ecclesiae proceres evolverit. Nam Hilarius gradum hunc et ordinem commendandae unitatis a Christo expositum esse ait ⁽¹⁰⁾: « *Ut quemadmodum ille in Patre per naturam divinitatis, sic nos in eo per corporalem eius nativitatem et ille iterum in nobis per sacramenti mysterium esset* ». Cyrillus quoque in Joannem ⁽¹¹⁾: « *Joannes non contentus de spirituali unitate verba illa: ut omnes unum sint sicut tu Pater in me et ego in te, et ipsi in nobis unum sint, exposuisse, optime declarat nexus quibus inter nos invicem et cum Christo unimur, cuius verba sunt: Haec quidem aliena sunt; verum quoniam propositi textus vis sublimiora dicere cogit, Salvator quoque invitat dicens: Sicut tu Pater in me et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint* considerandum est si ad unitatem consensus et voluntatis naturalem etiam invenire possimus, per quam nos inter nos et omnes Deo colligemur, fortassis enim etiam corporali unione coniungimur licet adeo disparati sumus, ut unusquisque seorsim et subsistat et circumscribatur.

f. 172^v * Nam si Petrus et Paulus unum unitate in Christo sint, Petrus tamen Paulus non est. Age igitur quum Trinitas unum natura sit consideremus, quomodo etiam nos ipsi inter nos corporaliter et cum Deo spiritualiter unum sumus. Ex Dei Patris substantia Unigenitus prodiens et totum in sua natura Genitorem possidens, caro factum secundum Scripturam est, seque ipsum naturae nostrae ineffabiliter coniunxit atque univit. Qui enim natura Deus est vere homo factus est, non theophorus sed Deum in se per gratiam habens ut mysterii vim ignorantes contendunt, sed Deus verus simul et homo est. Sic quae inter se plurimum secundum naturam distant in uno seipso coniunxit et naturae divinae participes nos efficit. Communicatio enim spiritus et, ut ita dicam, mansio primum in Christo fuit et ab eo in nos penetravit quum homo factus ipse templum suum proprio spiritu perunxit atque sanctificavit. Origo igitur et via qua Spiritu Sancto participamus et Deo uniti sumus Christi mysterium est, Omnes enim

⁽⁹⁾ Jo. 17, 22-23.

⁽¹⁰⁾ De Trinitate, l. 8, c. 15; PL. 10, 247.

⁽¹¹⁾ In Jo., l. 11, c. 10; PG. 74, 559.

in illo sanctificamur. Ut igitur inter nos et Deum singulos uniret quamvis corpore simul et anima distemus, modum tamen adinvenit consilio Patris et sapientiae suae congruentem. Suo enim corpore credentes per communionem mysticam benedicens et secum et inter nos unum nos corpus efficit. Quis enim eos qui unius sancti corporis unione in uno Christo uniti sunt ab hac naturali unione alienos putabit? Nam si omnes unum panem manducamus, unum nos corpus efficitur. Dividi enim atque seiungi Christus non patitur. Idcirco etiam Ecclesia * corpus Christi facta est et nos singuli membra Christi secundum Paulum. Uni enim Christo per corpus suum coniuncti, quoniam in nobis illum qui est indivisibilis accepimus, ipsi potius quam nobis membra nostra accommodantur. Quod autem Ecclesia corpus a singulis hominibus tamquam membris compositum Salvator vero caput sit Paulus ostendit dicens ⁽¹²⁾: *Ut iam non simus parvuli fluctuantes nec circumferamur omni vento doctrinae in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris, veritatem autem sequentes in caritate, crescamus in illo per omnia qui est caput Christus, ex quo totum corpus compactum et connexum per omnem iuncturam subministrationis secundum operationem in mensuram uniuscuiusque membri augmentum corporis facit in aedificationem sui in caritate.* Quod autem corporalis haec unio ad Christum participatione carnis eius acquiritur, ipse rursus Paulus de mysterio pietatis loquens testatur ⁽¹³⁾: *Quod aliis, inquit, generationibus non est agnitum filiis hominum sicut nunc revelatum est Sanctis Apostolis eius et Prophetis in spiritu gentes esse cohaereditas et concorporis et comparticipes promissionis in Christo.* Si autem omnes inter nos in Christo unum sumus corpus, neque inter nos solum verum etiam cum eo qui per carnem suam ad nos transivit, quomodo universi et inter nos et in Christo unum non erimus? Christus enim est huius unionis vinculum qui Deus simul et homo est ». Haec Cyrilli verba interpretatione alia non indigent, ac quamvis antea allata a nobis fuerint * loci huius expositio ut iterum adscriberentur coëgit.

Oportet autem nos non tam auribus ea excipere quam intimis nostri cordis visceribus infigere ac altius considerantes penetrare in illam divinae benignitatis immensam abyssum. Summa hactenus doctorum sit Christum ut fideles omnes unum simus Patrem orasse, sicut ipse et Pater unum sunt. Unum scilicet praeter naturalem unitatem qua omnes unum eadem carnis natura communicantes inter nos sumus, unius quoque voluntatis, fidei, atque spiritus unitate cum Deo atque inter nos copulati. Ut unum praeterea simus ea participatione

⁽¹²⁾ Eph. 4, 14-16.

⁽¹³⁾ Eph. 3, 5.

qua multi unum corpus sumus qui eodem pane participamus, et omnes in unum corpus in uno spiritu baptizati sumus, et omnes in uno spiritu potati sumus, ut unum ad haec simus arctissimo quodam vinculo cum Deo colligati per unitatem quam cum Christo habemus, non solum spirituali lege nos ei subiicientes in eum transformati quum non secundum carnem vivimus, sed secundum Christi spiritum in nobis habitantem, verum etiam unum cum ipso facti duplici naturali carnis nexu ei uniti qui naturalem atque consubstantialiam cum Patre unionem habet, ex quo natus est vere et in quo est quamvis in propria substantia sit. Triplicem itaque unitatem constat esse inter fideles. Primam secundum communem carnis proprietatem. Secundam iuxta voluntatum concordiam. Tertiam secundum membrorum in unum corpus sub capite Christo constitutionem. Unimur etiam triplici unitate f. 174^r ipsi Christo. Prima per dilectionem et fidem, altera per * carnis nostrae Verbo unitae nexum, tertia vero per eiusdem carnis ab ipso in Eucharistiae mysterio nobis communicatae unitatem. Sic igitur capiti nostro per omnia conformamur, in quo triplex etiam unitas animadverti potest. Una qua unum est cum Patre, altera qua naturam humanam sibi univit, tertia qua nos secum non spirituali tantum sed corporali etiam unitate arctissime constringit ac quodammodo unum efficit.

CAPUT XVIII.

De accidentalibus naturalis nostrae cum Christo unionis proprietatibus.

Arbitramur ea omnia quae hactenus diximus non parum conferre ad exactius percipiendam arcanam arctissimamque coniunctionem qua unum non solum cum Christo sed cum Deo Patre efficimur atque inter nos ipsos unum etiam sumus qui uno pane et uno calice participamus. Superest tamen ad perfectam praefatae cum Christo corporalis unitatis cognitionem, inquirere qualis ea sit ac quomodo corpus, quod spiritualiter se habet, cum corpore nostro sub quantitatis dimensionibus contento coniungatur. Quare accidentalis huius coniunctionis proprietates prospicere oportebat, quamquam in divinis coelestibusque rebus earum cognitio per quam difficilis semper fuit. In hac vero de qua agimus difficillimum est intelligere qualis haec unio sit, quia nec ab Ecclesia aliquid est definitum circa eam, nec doctores sancti ita f. 174^r aperte aliquid locuti sunt ut * possimus inde colligere doctrinam certam et manifestam. Verum ex his quae Sancti Patres diversis in locis tradiderunt non desinam Dei favore confisus qualis haec coniunctio sit

indagare, quorum sententias de hac ipsa re disserentem, parum certum pium esset vel silentio praeterire. Porro vetustis Patribus haud absurda visa est haec naturalis unio quamvis Christus in Sacramento sit speciali modo et humanis oculis videri nequeat, nec humano sensui qui illarum tantum coniunctionum capax est quae ex quantitate proficiuntur. Constrictius certe intimiusque Dominus per sui corporis manducationem nos sibi coniungere voluit quam si per contiguitatem nos sibi unisset. Quantum ad divinam clementiam attinet, nullis propriis dimensionis extensivae terminis mediis in nobis manere vult, corpus suum sine propria quantitatis in ordine ad species dimensione extensioneque nobis edendum dat, nam non caret ea quantitate quae substantiam necessario consequitur, in unum nos corpus reduxit, maiore erga nos amore afficitur, magis etiam immensae eius in homines dilectioni obnoxios nos reddit, ut paulo post ostendetur. Quare non iam rem incredibilem arbitremur aut immane errasse iudicemus dicentem corporalem de qua agimus coniunctionem non indigere hac extensiva quam tantopere necessariam humana ratio existimat quantitate. Neque etiam si asseratur non ita intime corporaliter substantialiter coniungi, quod per quantitatem contiguam conglutinatur, atque illud quod per ipsammet substantiae corporisque veritatem unitur. Non enim unum tantum dicitur quod quantitate solum unitum est, * neque substantialiter corporaliterque uniri desinet quod quantitatis dimensionibus caret.

f. 175r

Haec autem quoniam humanae rationis philosophicaeque disciplinae plurimum habent nunc ea praetermittamus, ad ipsa enim amplius perscrutanda redibimus postquam quid iuxta orthodoxorum fidem Sanctorumque Patrum sententias asserere oporteat disseruerimus. Horum nempe consensu fideique catholicae decreto ⁽¹⁾ receptum est non desinere verum Christi corpus esse sub accidentibus panis et vini, quamvis spirituali modo se habeat. Non etiam deest modus quo spiritualia ipsa corporalibus substantialiter uniantur ut videre est in unione humanae naturae ad Verbum Dei in coniunctione etiam animae ad corpus, neque difficile quoque divinae sapientiae fore, vere et realiter Christum corporali etiam coniunctione in Eucharistia nobis uniri nosque secum unum efficere absque ulla naturae suae mutatione, absque ulla etiam naturali carnis nostrae conversione, absque eo quoque quod ipse Christus forma corporis nostri substantialis sit. Resipiscant, obsecro, qui humano captu divina metiuntur, sintque memores in hoc divino mysterio hominis sensus maxime deficere ac captivantes intellectum in obsequium fidei, cum humilitate et pietate sensum ipsum fidei subiiciant atque erudite prudenterque Sanctorum

(1) *Conc. Trid.* sess. XIII, can. 4 (DB. 886).

f. 175^v Patrum, qui Spiritus Sancti gratia in divinarum Scripturarum interpretatione illustrati fuerunt, sententiis penitus acquiescant. Haec ideo a nobis dicta sunt antequam accidentales proprietates eiusmodi coniunctionis discutiamus, ut si de re adeo difficili quamquam arcanam adeo et absconditam esse dixerimus, non ita dilucide * disseruerimus ut lectori sciendi cupido ab omni parte satisfecisse videamur, rei ipsius difficultati et ingenii humani imbecillitati divinique Sacramenti profunditati id tribuat. Sed de his satis, nunc de ipsius corporalis nostri cum Christo coniunctionis qualitate disseramus.

Atque in primis inquiramus quo pacto nostro corpori uniatur Christi corpus. Nam licet vere et substantialiter in Eucharistia sub speciebus panis et vini continetur, sacramentali tamen et spirituali modo se habet alienumque ab illa quantitate extensioneque quam exigit naturalis illa unionis coniunctionisque ratio a philosophis tantum agnita ac naturae legibus consentanea. Quamobrem merito difficilis admodum praefata naturalis unitas videtur, quae cum non sit hypostatica neque informativa quoque est; quia corpus Christi anima suiformatur nostri quoque corporis anima nostra sola est forma substantialis. Neque enim eo modo esse potest quo accidens subiecto adhaeret. Nam in Eucharistia corpus Christi natura substantiaque est et non accidens. At difficultas haec facile dissolvetur si animadverterimus corpus Christi in Eucharistia citra circumscriptionem et suarum partium ad partes circumiacentis corporis ordinem, ita quod locum occupet superadmirabili certe modo immensa Dei potentia qui omnia portat verbo virtutis suae subsistere, nullumque locum per circumscriptionem occupare, neque in sumente, tanquam locatum in leco esse quod absque dimensionibus quantitati adscriptis fieri nequit ⁽²⁾. Iam cum substantia quatenus solum substantia est locum non occupet, si f. 176^r quatenus est sub dimensionibus quantitatis, diversa admodum * res est coniungi uniri que corpus Christi nobiscum quatenus substantia est, ac sub dimensionibus quantitatis contenta uniretur coniungereturque si naturae legibus aut metis definitum circumscriptumque foret. Porro cum animae nostrae cum corpore coniunctionem et unionem non plane intelligamus, quae tota in toto corpore, et in qualibet parte corporis est, quae nec minuitur nec augetur ad corporis immiutionem vel augmentum non opus est arcanam adeo nostroque captui additam unionem alio quam fidei oculo penetrare. Qui enim ea quae intra nosmetipsos sunt, magna ex parte ignoramus et ad naturae notissima tanquam noctuae ad clarissimos solis radios caligamus, satis recte nobiscum agi existimare debemus quum rei veritas nobis innotescit etiamsi neque causas neque modos ipsius ad unguem prorsus compertos

(2) Cf. S. THOMAS, *S. Th.* 3, q. 76, a. 1-5.

habeamus, nisi cum Nicodemo aut cum Capharnaitis iudaice quomodo fiat quaerere velimus, de quibus Cyrillus (3): « Nos, inquit, magnum, quaeso, a peccatis aliorum profectum faciamus et firmam fidem mysteriis adhibentes numquam in tam sublimibus rebus illud quomodo haec fieri possint quaeramus. Illud postulare arrogantia est et extremi supplicii causa. Ideo Nicodemus etiam quum diceret quomodo haec fieri possunt audivit (4): « *Tu es magister in Israel et haec ignoras?* Aliorum igitur exemplo perdocti cum Deus operatur ne quaeramus quomodo, sed operis sui viam atque scientiam illi soli concedamus. Nam quemadmodum quamvis nullus novit quidnam secundum naturam Deus sit, iustificatur tamen per fidem cum credit praemia illum redditurum quaerentibus eum; sic etsi operum eius rationem ignorat cum * tamen fide omnia illum posse non dubitet, non contemnenda probitatis huius praemia consequetur. Ita profecto nos affici per prophetam Isaiam Dominus hortatur (5): *Non enim sunt consilia mea, inquit, sicut consilia vestra, nec sicut viae vestrae viae meae sunt, dicit Dominus; sed sicut exaltatur coelum a terra sic exaltatae sunt viae meae a viis vestris.* Qui autem sapientia et virtute adeo excellit, quomodo non operabitur ita miraculose ut operum suorum ratio mentem nostram effugiat? Nonne vides quid saepenumero moechanici faciunt? Incredibilia videntur nobis nonnumquam enarrare. Sed tamen, quia similia ipsos fecisse videmus, posse peragi ab ipsis facile credimus. Quomodo igitur summis cruciatibus digni non erunt qui rerum omnium opificem Deum ita contemnunt, ut, quomodo in suis operibus dicere audeant, quem et totius sapientiae largitorem non ignorant? quem omnia posse Scriptura nos docuit? Si vero tu, o Judaeae, quomodo, etiam nunc clamas, hanc tuam imperitiam ego quoque sequutus, libenter quomodo ex Aegypto exivisti rogabo. Quomodo in serpentem mosaica fuit virga conversa. Quomodo lepra manus infecta uno momento temporis in pristinum statum restituta fuit. Quomodo in naturam sanguinis aquae transierunt. Quomodo patres tui per media maria ut per aridam effugerunt. Quomodo per lignum amaritudo aquarum in dulcedinem recidit. Quomodo e lapide fontes aquarum fluxerunt. Quomodo stetit Jordanis. Quomodo solo clamore inexpugnabilis * Hiericho cecidit. Innumerabilia sunt in quibus si quomodo quaeris universam evertere Scripturam necesse erit, Prophetarumque doctrinam et ipsius Moysis contemni. Quare credidisse Christovos prius oportuit et si quid arduum videbatur ab eo potius humiliter petere quam velut temulentos exclamare: *Quomodo potest hic nobis*

f. 176^rf. 177^r

(3) In Jo., l. 4, c. 2; PG. 73, 574-575.

(4) Jo. 3, 10.

(5) Is. 55, 8-9.

carnem suam dare? Nonne videtis quia cum haec dicitis statim cum ista voce arrogantia magna significatur? » Haec Cyrillus. Cuius verba hoc loco ideo a nobis adscripta sunt quoniam iis satis docemur quanta sit impietas eo quod abstrusus huiusmodi unionis modus nobis sit eam negare aut negligere. Quis enim perspicacis adeo ingenii est qui plenitudinem omnem divinitatis corporaliter in Christo inhabitantem iuxta Pauli sententiam adamussim percipiat? Profecto non deest divinae majestati modus quo corpora dimensionibus quantitatis quodammodo carentia corporibus sub ipsis dimensionibus contentis connectantur. Quis enim, ut supra dixi, compertum habet modum quo humanam naturam univit sibi Christus? Aut modum quo anima unita divinitati ad inferos descendit? Et corpus ipsum etiam divinitati unitum remansit sub terra? Nemo itaque notam aut exactam huius unionis modi cognitionem a me expectet, at potius per diatribam exercitationemque quandam balbutienti lingua quid de ea ex iis quae Sancti Patres tradiderunt sententiam, in medium a me adferri existimet. Quare ipsae Sanctorum Patrum sententiae continuo adscribuntur*.

f. 177

CAPUT XIX.

Qualem vetusti Patres coniunctionem cum Christo corporalem esse dixerunt.

Qualem igitur corporalem de qua agimus coniunctionem Cyrillus intellexerit, verba eius optime declarant; qui exponens illud: « *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem in me manet et ego in illo* » sic ait ⁽¹⁾: « Sicut enim si quis liquefactae ceram aliam ceram infuderit, alteram cum altera per totum commisceat necesse est, ita si quis carnem et sanguinem Domini recipit, cum ipso ita coniungitur ut Christus in ipso et ipse in Christo inveniatur ». Idem ⁽²⁾: « Quemadmodum, inquit, si quis igne liquefactam ceram ali ceram liquefactae ita miscuerit ut unum quid ex utrisque factum videatur, sic communicatione corporis et sanguinis Christi ipse in nobis et nos in ipso. Non poterat enim aliter corruptibilis haec natura ad incorruptibilitatem et vitam traduci nisi naturalis vitae corpus ei coniungeretur ». Idem alibi ⁽³⁾: « Non enim potest, inquit, natura nostra vitae coniuncta non vivificari, et quemadmodum si quis scin-

⁽¹⁾ *In Jo.*, I. 4, c. 2; PG. 73, 583.

⁽²⁾ *In Jo.*, I. 10, c. 2; PG. 74, 342.

⁽³⁾ *In Jo.*, I. 4, c. 2; PG. 73, 582.

tillam ignis in foeno aut palea occultaverit totum inde ignitum necessario fiet, sic Verbum Dei tamquam scintilla in nostram naturam immissum totam inde inflammavit atque ad vitam interitu penitus destructo induxit ». Haec scintillae comparatio consentit maxime cum his qui Sacramentum hoc carbonem igneum appellant, quemadmodum Sanctus Apostolus Jacobus ac * frater Christi dictus in sua liturgia appellavit; cuius verba, quamvis sequenti libro adscribentur, digna tamen sunt ut in hoc loco subdantur (4): « Porrecturus enim, inquit, sacerdos adstantibus sacrosanctam Eucharistiam, ac a diacono dicto: Benedic, Domine, sacerdos respondet: Dominus benedicat et dignos nos faciat, qui puris forcipibus accipiamus igneum carbonem et imponamus in ora fidelium ad purificationem et renovationem animarum ipsorum et corporum, nunc et semper ». Haec Jacobus.

f. 178^v

Carbonis ignei similitudine Damascenus etiam usus est quum de hoc Sacramento loquitur, cuius verba haec sunt (5): « Accedamus cum desiderio ardenti, manus in crucis modum formantes, crucifixi corpus suscipiamus, ut ignis in nobis desiderii assumens eo ex carbone ignitionem comburat peccata nostra et illuminet corda nostra, et participatione divini ignis igniamur et deficemus. Carbonem vidit Esaias. Carbo autem simplex non est, sed igni unitus ».

Idem Cyrillus (6): « Sicuti enim, inquit, si quis liquefactae cerae aliam carnem infuderit, alteram cum altera commisceat necesse est. Si quis carnem et sanguinem Domini recipit, cum ipso ita coniungitur ut Christus in ipso et ipse in Christo inveniat ». Simile quodammodo apud Matthaeum (7) comperies: « Simile est, inquit, regnum coelorum fermento, quod acceptum mulier in farinae satis tribus abscondit ». Quid igitur foemina * sit et quae satorum trinitas, aut omnino satum quid sit suo loco dicetur. Nunc autem de solo fermento dicamus. Sicut parum, ut inquit Paulus (8), fermenti totas massam fermentat, sic parvula benedictio totum hominem in se attrahit et sua gratia replet. Et hoc modo Christus in nobis manet et nos in Christo. Haec fermenti similitudo Isidoro Pelusiotae de verbis illis Domini disserenti: *Ego sum panis vitae, valde arrisit; inquit enim* (9): « Ἄρτος ὁ Κύριος κέκληται, αὐτὸς ἑαυτὸν τοῦτο καλῶν τῷ ὀνόματι. Κατὰ μὲν τὴν πρόχειρον ἔκκλησιν, ὡς πᾶσι τροφῆ σωτηρίας γενόμενος; κατὰ δὲ τὴν ἀπόρρητον ἔννοιαν, τὴν ζύμην τοῦ

f. 178^v

(4) *Liturgia S. Jacobi*; ed. BRIGHTMAN, *Liturgies Eastern and Western*, Oxford 1896, v. I, p. 63, n. 15-24.

(5) *De fide orthodoxa*, I, 4, c. 13; PG. 94, 1150; cf. S. THOMAS, *S. Th.* 3, q. 79, a. 1, ad 2.

(6) *In Jo.*, I, 4, c. 2; PG. 73, 583.

(7) *Cap.* 13, vers. 33.

(8) *I Cor.* 5, 6; *Gal.* 5, 9.

(9) *Epistolarum*, I, 1, ep. 360; PG. 78, 387.

ἀνθρώπου φυράματος ἐνώσας καὶ καθάρας καὶ ὡσπερ ἐοπήσας τῷ οἰκείῳ πρὸς τῆς θεότητος, καὶ εἰς ἓν σὺν αὐτῇ γενονῶς πρόσωπον καὶ μίαν προσκυνουμένην ὑπόστασιν » Hoc est: « Panis Dominus vocatur. Is enim seipsum hoc nomine compellat secundum communem acceptionem quod omnibus sit salutis alimentum. Secundum additam vero et arcanam sententiam quod fermentum humanae conspersionis expurgarit et velut excoxerit assaritque proprio deitatis igne, et in una cum ipsa deitate assumpserit personam et in unam hypostasim, ita ut simul cum divina adoretur natura ». Hanc humanae naturae in Christo expurgationem per novum fermentum et immistum verbum videlicet Dei atque naturae eiusdem velut * excoctionem per ignem deitatis in eandem humanam naturam penetrantem, Cyrillus in unoquoque nostrum dignae corporis dominici perceptioni adscribit ⁽¹⁰⁾. Immista enim coadunataque nostra peccato peccato carne immortalis et vivificatrici Christi carni, similitudinem ipsius carnis et sanguinis sumimus, ut inquit Augustinus ⁽¹¹⁾, atque de eius spiritu vivimus de cuius corpore sumus.

Cyrillo Chrysostomus ipse plane adiungatur, qui toties nos in unam veluti massam per sacra mysteria reduci ait ⁽¹²⁾: « Non enim, inquit, sufficit ipsi hominem fieri, flagellis caedi, sed nos secum in unam, ut ita dicam, massam reducit, neque id fide solum sed re ipsa nos corpus suum efficit. Qua re igitur mundiorem esse non oportet eum qui hoc sacrificio participaturus est? Quos radios solares non deberet excedere manus illa quae hanc coronam pertractat? os quod igne impletur spirituali? lingua quae cruentatur hoc admirabili sanguine? ». Idem alibi ⁽¹³⁾: « Non simpliciter corpus suum tradidit, sed cum prior carnis natura e terra formata a peccato mortalis effecta et a vita deserta esset, aliam, ut ita dicam massam et fermentum induxit, hoc est carnem suam natura quidem eandem, sed a peccato liberam et vitae plenam, quam omnibus tribuit ut participes fierent, ut ea nutriti et priore abiecta quae mortua erat, per hanc massam in vitam immortalem commisceremur ».

Theophylactus Bulgariae Archiepiscopus ipsa Christi verba exponens: *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem in me * manet et ego in illo*, inquit ⁽¹⁴⁾: « Hoc loco discimus Sacramentum communionis. Nam qui edit et bibit carnem et sanguinem Domini in ipso manet Domino et Dominus in ipso. Contemperatio enim fit nova et super rationem, ita ut si Deus in nobis et nos in

⁽¹⁰⁾ *Supra*, p. 220-221.

⁽¹¹⁾ *In Jo.*, tr. 26, n. 13; PL. 35, 1612.

⁽¹²⁾ *Hom.* 82 *in Mt.*, n. 5; PG. 53, 744.

⁽¹³⁾ *Hom.* 24 *in 1 Cor.*; PG. 61, 201.

⁽¹⁴⁾ *In Jo.* 6, 57-59; PG. 123, 1311.

Deo. Non audis terribilem auditum? Non Deum nudum manducamus. Tangi enim nequit et incorporeus est et neque oculis neque manibus apprehendi potest. Iterum: Nudi hominis caro nihil prodesse potest; sed quia Deus univit sibi carnem secundum ineffabilem contemperationem, vivifica est caro, non quod in Dei naturam transierit, absit sed ad similitudinem candentis ferri quod et ferrum manet et ignis ostendit operationem. Sic igitur et Domini caro manens caro, vivifica est sicut Dei caro. Igitur quemadmodum ego, inquit, vivo propter Patrem, hoc est sicut natus sum ex Patre qui est vita, ita et qui manducat me vivet propter me dum quodammodo miscetur mihi et transelementatur in me qui vivificare potest ». Miscetur quod coadunatur, ut superius ostendimus, quod cum alio unum fit, alterius naturae vel proprietatum participat; quod alterius vel naturae vel accidentium particeps fit mutari atque converti dicitur, quia naturam vel qualitatem alterius haurire videtur.

Satis sit horum Patrum testimonia attulisse, quibus visum est corporalem unitatem quam per Eucharistiam digne sumptam cum Christo assequimur esse veluti per immistionem aut conspersionem quamdam, cuiusmodi est cerae liquefactae ali cerae * immistae, aut f. 180^c quemadmodum farina eodem frumento conspersa. Igitur percunctanti qualis dicta corporalis coniunctio sit, ex allata Cyrilli aliorumque sententia respondere licebit esse eiusmodi qua quae diversa sunt coniunguntur per immistionem commassationemque divinam et nobis ignoratam. Sed quoniam spirituali modo sacramentalique sub aliena specie Christus nobis commiscetur, arcanam illam coniunctionem recte dici manifestum est.

CAPUT XX.

Exponuntur Cyrillus et Chrysostomus aliique prisci auctores qui immistionis diversarum cerarum aut commassationis similitudinibus utuntur.

Dum immistionis commassationisque vocabulis utuntur sancti doctores, nolim carnale quid cogites. Caro enim Christi Verbo Dei unita, ut saepius diximus, non more ceterarum carniarum carnalique sensu a nobis in Eucharistia accipienda, sed spirituali intelligentia amplectenda est. Illa enim sacratissima caro neque per modum continuitatis aut contiguitatis carnalis carni nostrae immiscetur, sed longe sublimiori diviniorique modo corpus atque animam nostram per mysticam benedictionem in qua verum corpus Christi edimus sibi coniungit. Nam fide iam sibi incorporatos nos reipsa, hoc est per verum corpus

f. 180^v suum sibi incorporat ac ipse in nobis itidem incorporatur atque aeternam vitam per animam in corpus nostrum transmittit, totumque hominem unione arcana arctissimaque per Eucharistiam sibi qui vere vivit unit indissolubili post hanc vitam nexu. Hic nexus, carnalis etiam a Sanctis Patribus appellatur, * non ut spiritualem unionem excludat, sed quia secundum ipsius Christi carnis veritatem et praesentiam corporalem nos pascit, quemadmodum in superiori libro exposuimus in responsionem ad sextam obiectionem de Irinaei verbis disserentes (1).

Ceterum quoniam video non satis a nonnullis probari eam cerae liquefactae alicue cerae immistae aut farinae eodem fermento conspersae comparationem, addam etiam nonnihil de ea re offenduntur isti eo quod tam cera liquefacta quam fermentum ita se ali cerae aut farinae immiscet ut unumquid ex utraque cera aut ex farina effici videatur, quale neque ex nostra carne neque ex carne Christi unum effici dici potest. Nam cum Christi corpus spirituali modo in Eucharistia sit, quantitatisque extensivae dimensionibus careat in ordine ad species non autem in se, nullumque corpus alteri corpori nisi per continuitatem aut contiguitatem, ut saepius dictum est, coniungatur, longe aliam quam quae in diversis ceris aut in fermento et farina. Certe haec ratio omnino everteret eam sententiam quae asserit nos Christo naturaliter uniri per modum continui vel contigui. Cyrilli vero de cera vel de fermento comparationem nequaquam elidit. Nam, ut B. Hilarius inquit (2), omnis comparatio ad intelligentiae formam praesumitur ut id de quo agitur exemplum consequamur, non autem ut ab omni parte simile cum assimilato idem sit. In simile enim * dissimilitudo etiam continetur. Quare comparatio ea probanda est quae aliqua ex parte etsi non ab omni cum comparato conveniat. In his enim quae comparabilia sunt, ut inquit Aristoteles (3), satis est unum esse aliquid quo commensurantur, hoc enim illud est in quo comparantur. Similitudinem quoque eorum quae convenientiam habent in pluribus haud improprie idem Aristoteles tradit. Quoniam igitur cera liquefacta cum alia cera aut fermentum cum farina eiusdem speciei est, caro quoque Christi et nostra caro eandem carnis proprietatem habent, placuit Cyrillo cerae et fermenti similitudo magis quam vel aquae cum vino mistio aut ignis cum ferro unio aut lucis cum aere coniunctio; quae etsi unum quodammodo efficiuntur, ob diversam tamen eorum invicem unitorum speciem haud adeo apta Cyrillo visa est similitudo rerum harum ac illarum quae eandem retinent speciem, etsi modus quo haec cum Christo corporalis unio fiat

f. 181^r

(1) *Supra*, p. 144-147.

(2) *De Trinitate*, l. 1, c. 19; PL. 10, 38.

(3) *Metaph.* X, 1, 1052 b, 31.

diversus prorsus sit ab eo modo quo continua vel contigua unum esse dicuntur. Satis enim ipsi visum est esse convenire in coniunctione plurium naturarum in eandem tamen speciem convenientium. Quanti Cyrillus hanc omnimodam convenientiam faciat ad naturalem stabiliendam coniunctionem verba eius satis docent quae hoc loco iterum sunt adscribenda quamvis superius allata a nobis sint. Ita enim Hermiam alloquens ait (4): « O Hermia, non est obscuram divinae imaginis characteres in nobis lucere qui alacriter enititur * ut bonum operemur sicut et ipse iam confessus est et propter similitudinem cum Deo aliquo modo cum eo conferri possumus, et nihil impediret siquidem sic se res habet quin eiusdem cum Conditore essemus naturae. Quaecumque enim omnimodam similitudinem inter se habent naturaliter, ea nulla, opinor, ratione a naturali proprietate quam inter se habent separabit. An non secundum naturam angelus similis angelo, et homo item alteri sibi ipsi simili? ». Haec Cyrillus, qui in hac ipsa cerae fermentique similitudine (5) incrementum mystici Christi corporis, quod magis augeri Thomas scripsit (6) quanto plures digne vero Christi corpore vescuntur considerasse videtur, nempe cerae quae ali cerae immiscetur farinaeque fermento conspersae et similitudo et incrementum manifesta sunt.

Modus tamen quo caro Christi nostrae carni coniungitur divinae sapientiae ac virtuti reservandus est; qui suo verbo verum corpus suum sub panis et vini speciebus esse mirabiliter constituit nobiscum manducandum modo congruentiori dedit, ut et corpus eius, ut inquit Rupertus (7), in nostra corpora et vita corpori eius superadmirabili nobis modo in animas nostras infunderetur. Quare recte verique nimis Innocentius III insolubili nexu per admirabilem unionem Christo nos coniungi ait, quum, quod ipse suscepit de nostro et nos accepimus de suo (8). Si vero comparisonem quaerimus quae non hanc eiusdem naturae communicationis convenientiam inter ea quae uniuntur * habeat, nulla aptior esse potest quam cibi manducati ad manducantem. Siquidem Christus ipse carnem suam vere cibum esse dixit, seque in eam manducante manere edentemque ipsam in eo vicissim manere. De quo quoniam superius satis locuti sumus, hic nihil addendum esse videtur. Ea enim quae de cerae et fermenti similitudine diximus silere non potuimus, nisi Cyrilli doctissimi ac sanctissimi viri auctoritati detrahi, ipsique nostrae cum

(4) *De Sancta et consubstantiali Trinitate, dialog. I; PG. 75 695-698.*

(5) Cf. *In Jo., I. 4, c. 2; PG. 73, 582-583.*

(6) *Supra, p. 85.*

(7) *De Trinitate et operibus eius. De operibus Spiritus Sancti I. 3, c. 20; PL. 167, 1161-1162.*

(8) DB. 430.

- Christo corporali coniunctioni valde derogari pateremur. Quamquam si pius diligensque lector Cyrilli verba trutinaverit, manifeste compariet longe abfuisse Cyrillum ab ea sententia quae ipsi falso impingitur; qui ne per somnium quidem cogitavit, ex carnis Christi cum nostra immistione, formalem, quam vocant theologi, conversionem in carnem nostram aut identitatem personalem fieri, sed habitudine et participatione tantum; quod et Cyrillus satis declaravit (°): « Si enim, inquit, in aliquem liquorem modicum panis immiseris, reperies hunc imbibitum qualitate illius. Igitur vivificativum Dei Verbum unius seipsum propriae carni, fecit eam vivificativam. Nunquid ergo, et quia in nobis vita Dei est Dei Verbo existente in nobis, vivificativum erit corpus nostrum? Sed aliud secundum participationis habitudinem nos habere in nobis Dei Filium aliud ipsum fuisse factum carnem, id est corpus sumptum ex Maria Virgine proprium corpus effecisse ». Communi sensu careat oportet qui ex hac * participatione et commistione arguat carnis nostrae substantiam in carnis Christi formam atque substantiam converti. An quia corpus coniunctum est ineffabili unione Filio Dei eiusdem dicemus esse substantiae cum Verbo Dei? Absit. Quid hac de re scripserit Cyrillus (10), audi, obsecro: « Sed non minus, inquit, corpus quoque suum vivificat; coniunctum enim est ineffabiliter Filio Dei a quo universa vivificantur; ideo corpus suum dicitur et unum cum eo est. Nempe post Incarnationem unum est et unum manet absque divisione ulla praeterquam quod Dei Patris Verbum et templum a Virgine sumptum idem natura non sunt. Non enim est eiusdem substantiae cum Verbo Dei homo assumptus, unus tamen est cum illo coniunctione ineffabili ». Haec Cyrillus. Ita enim dicere oportet nempe post dominici cibi sumptionem, unus manet nobiscum Christus absque ullo intervallo praeterquam quod ipsi persona Dei, scilicet Patris Verbum, et templum a Virgine sumptum, et nos idem natura non sumus, non enim eiusdem substantiae iuxta hypostaticam identitatem sumus cum Christo uniti per Eucharistiam, licet unus sit nobiscum per admirabilem unionem, non itidem ex ipso Christo et ex nobis tertia quaedam emergit natura substantialis. Unum sane nos secum fecit per participationis habitudinem, non autem per naturae proprietatem.
- f. 183^r Ceterum quid Cyrillus defensore aut expositore alio * quam seipso opus habet? Qui alio loco ad huius rei declarationem similitudine utitur, quae quamvis neque genere neque specie cum carne conveniat, manifeste ostendit quam alienus fuerit Cyrillus ab ea u-

(°) *In Lc.*, c. 22, v. 19; PG. 72, 910.(10) *In Jo.*, l. 4, c. 2; PG. 73, 578.

nione coniunctione ve intelligenda quam physica ratione fieri posse solum putant. Ait enim ⁽¹¹⁾: « Quamvis naturaliter aqua frigidior sit, adventu tamen ignis frigiditatis suae oblita aestuat. Hoc sane etiam modo quamvis propter naturam carnis corruptibiles sumus participatione naturalis tamen Christi vitae ad proprietatem illius reformamur ». Sed de his satis.

Ut vero semel intelligant in quem errorem incidunt qui Sanctorum Patrum sententias vel tropice ab eis vel per exaggerationem de hac corporali coniunctione dictas arbitrantur, haec potissimum ratione ducti quoniam sensui repugnat corpus quod spirituali modo ac sine dimensionibus quantitatis in ordine ad species, ut dictum est, se habet; quemadmodum corpus Christi in Eucharistia naturaliter coniungi cum humano corpore sub quantitate extensive se habente. Sciant eadem ratione nec tangi nec manducari neque videri corporaliter asserendum esse; quod et Wicleff tot ante annos ad negandam ipsius corporis Christi veritatem contendat, adversus quem doctorum omnium catholicorum consensus statuit corporaliter et vere tangi, et manducari, et videri, quando verum, eius corpus sumitur. Nam licet caro Christi gloriosa secundum proprietatem nudae naturae, ut Thoma e Waldensis ⁽¹²⁾ verbis utar, immediatis accidentibus affectatae et qualiter nude videtur homo vel bos per accidentia ipsi cognata, ut verbis eorum utar, in Sacramento videri non possit, in subiecta tamen * creatura videri exterius potest, hoc est carnem f. 183^v Christi in sua forma invisibilem esse, tamen visibilem in alia specie et sensibus universis esse sensibilem ideoque in qualitate extranea palpabilem, carnali ore tractabilem et visibilem esse summi viri docuerunt quemadmodum et Deus ipse qui oculis carnis videri nequit de quo scriptum est ⁽¹³⁾: « Deum nemo vidit umquam » Et ⁽¹⁴⁾: « non videbit me homo et vivet ». In subiecta tamen materia oculisque corporeis visibilis, visus dicitur facie ad faciem, hoc est sensu ipso. Unde illud Ambrosii: « In divinitatis substantia non videtur, vidimus autem spiritum sed in specie corporali ». Athanasius quoque Deum non esse visum nisi in assumptione creaturae ait. Et Gregorius alicuius visibilis materiae dispositione, salva sua insensibilitate, Deum videri potuisse asserit ⁽¹⁵⁾. Hoc ipsum cantat Ecclesia quum in illa praefatione ⁽¹⁶⁾ dicitur: « Ut dum visibiliter Deum cognoscimus, per hunc in invisibilium amorem rapiamur ».

⁽¹¹⁾ In Jo., I. 4, c. 2; PG. 73, 579.

⁽¹²⁾ *Doctrinale de Sacramentis*, c. 53, n. 5; Venetiis 1758, col. 324.

⁽¹³⁾ Jo. 1, 18.

⁽¹⁴⁾ Exod. 33, 20.

⁽¹⁵⁾ Allegata Ambrosii et Gregorii testimonia iuventur apud THOMAM WALDENSEM, *Doctrinale de Sacramentis*, c. 53, Venetiis 1758, col. 322.

⁽¹⁶⁾ Nativitatis Domini.

Et quoniam Thomas Waldensis de hoc copiosius disserit, satis nostro praesenti proposito sit eo modo quo corporaliter tangi, manducari et videri in Sacramento dicitur, corporaliter etiam nobis coniungi intelligendum esse sub extranea scilicet specie. Qui quidem coniungendi modus sufficit ad hoc ut corporali coniunctione nos sibi connecti dicamur quamquam in admirabili unione per quam vivificatricis Christi carnis et pretiosi sanguinis eius participes efficimur et in unum corpus spirituale eadem cum ipso quoad speciem carne constantes eodemque pane et calice pasti cum ipso redigimur. Absit tamen ut in animum suum quisquam inducat hoc ipso sacramentalem et non naturalem eam unitatem esse et non nisi tropice nos Christo uniri. * Nam cum manducetur verum Christi corpus et eius manducatio essentialiter sit motus et ad respectum tropicum non sit motus, verum ipsum Christum manducamus vereque et substantialiter et naturaliter ipsi coniungimur non tropice, quandoquidem non figuram corporis manducamus sed veram Christi carnem. Nam ducationem enim corporalem et carnalem, corporalis et carnalis sequitur unio. Non enim quia non est esca carnalis corpus Christi more caeterarum carnium sed spiritualis corpus esse desinit et spiritum factum est. Corpus nempe Christi corpus erat spirituale; post resurrectionem, palpabatur tamen et videbatur. Erat illa caro spirituale corpus, neque spiritus erat sed corpus. Quod si physicis adhuc rationibus hanc unitatem argumentosus aliquis impugnare persistat, in hoc etiam Wiclefium aemulatus quoniam ab eodem Thoma Waldense iis responsum est silentio eas omnes praeterire in praesentiarum decrevimus; Nicolaique Mathonensis Episcopi auctoritate concludamus qui tradit ⁽¹⁷⁾ Paulum non appellasse corpus Christi et membra ex parte ob Christi in nos curam et providentiam instructionemque et admonitionem et nostram in eum subiectionem. Sicut et nos cognatorum vel amicorum membra vocamus hyperbole utentes; sed illum ipsum significantem quod dicebat, fideles scilicet iam per hunc sanguinem viventes in Christo vitam et vere ab illo capite dependentes et hoc corpore indutos. Qui expressius dici queat non video. Illud tamen hic animadvertione dignum est infideles maxime deterreri a fide solitos, ut Gregorius * Nyssenus auctor est ⁽¹⁸⁾, quod ob nimiam curiositatem non poterant conquiescere, cum dubitabant unde materia sit illi qui a materia seiunctus est, aut quonam pacto ducatur quantum ex eo qui caret quantitate, aut ex illo qui figuram non habet, aut color ab eo qui videri non potest aut ab illo qui sine fine vacat id quod propriis finibus includitur? Quod si nulla adest qualitas simplici et incomposito, unde materia suis qualitatibus est implicita? Haec fere

⁽¹⁷⁾ *Supra*, p. 46.

⁽¹⁸⁾ Hunc locum invenire non potui.

ipsa haereticos et nonnullos indoctos ex catholicis, vel incredulos, vel dubitabundos reddunt in hac coniunctione agnoscenda. Sed haec omnes difficultates facile solvuntur si verborum Pauli reminiscamur dicentis ⁽¹⁹⁾ Christum *portare omnia verbo virtutis suae*. Hac enim virtute et res ex nihilo creat, et panem vinumque in corpus suum et sanguinem convertit, nobis quidem invisibilem et absque quantitate extensiva visibili.

CAPUT XXI.

Quomodo Christus in Sacramento Eucharistiae per modum substantiae fidelibus uniatur amplius indagatur. Quo etiam modo unitur non indigere quantitate extensiva in ordine ad species.

Quid iuxta orthodoxorum fidem Sanctorumque Patrum sententiam circa modum quo Christus substantialiter ac naturaliter unumquemque nostrum sibi unit sentiendum sit, pro virili hactenus disseruimus. Si quis autem adhuc se non satis intelligere dicat quo pacto praefata naturalis unio per carnem Christi spirituali modo se habentem cum carne nostra quanta et extensa fiat, equidem * non miror. Humanae f. 185¹ enim et naturales res, divinas et supercoelestes ad unguem exprimere nequeunt, ac quemadmodum ex rebus divinis similitudines Salvator noster decerpit, sic mos est Divinae Scripturae, ut Athanasius ait ⁽¹⁾, humanas res hominibus in similitudinem et exemplar proponere ut ex his quamdam velut umbram cognitionis potius quam exactam intelligentiam divinarum mysteriorum acquirant; neque curiose nimis excutere oportet quae supra hominis captum sunt cum se oculis ingerat tam clara et pia sententia, tam recta fides, tot tantorumque Patrum testimoniis nobis quasi per manus tradita, tamen, ut qui subtilius et exercitationis gratia haec perscrutari cupiant ingenia sua exercent, aliquid amplius dictis addamus. Nam praeter contactum per species sacramentales, quem mathematicum plerique hodie appellant quoniam species modo quantitativo, ut ipsi loquuntur, carni nostrae modo etiam quantitativo coniunguntur, certisque terminis circumscribuntur ac praeter contactum illum virtuales qui est defluxus quidam virtutum a capite Christi in animam et in carnem nostram mediis Sacramentis, non ab re est quaerere quis contactus eliciatur ex vetustis Patribus summisque theologis uno ore Christi carnem cum carne nostra copulari et commisceri affirmantibus, qui nullam de

⁽¹⁹⁾ Hebr. 1, 3.

⁽¹⁾ Oratio 2 contra Arianos, 18; PG. 26, 360-361.

f. 185^r mathematico illo specierum contactum mentionem faciunt. Porro contactu virtuali, nomine potius aut analogiae cuiusdam ratione, quam reipsa caro nostra a carne Christi * contingi plerisque videtur. Non enim naturali unione coniunctioneque coniuncta dici posse censent, quae vi ac virtute, potius quam substantia veraque substantiae ad substantiam agglutinatione coniunguntur commiscenturque. Ille etiam qui mediis speciebus tantum fit, non omnem nostram substantiam et quamlibet eius partem reipsa Christo unire affirmari potest. Quamvis enim inter Christum et ipsum sacramentaliter tantum sumentem, substantialis etiam sit unio cum omnes recipiant verum et perfectum sacramentum, haec tamen communio est bonis et malis, bonique solum membra Christi hac ipsa unione fiunt. Quamobrem praeter unionem et contactum hunc mediis speciebus carnis Christi ad carnem nostram praeter alteram etiam communionem et contactum virtualem communem cum aliis Sacramentis, haud absurdum seu incredibile existimamus aliam quamdam substantialem communionem inter nos et Christum per sacrosanctam Eucharistiam nobis unitum explorare, per quam in nobis ipse secundum utramque naturam manere unisque et nos in ipso dicamur.

f. 186^r Quemadmodum enim diversa Sacramentorum genera diverso modo meritum et satisfactionem Christi huic et illi applicari ostendunt, sic ex diversitate signi arguitur diversus infusionis et applicationis modus. Nam si eodem praecise modo fieret applicatio passionis Christi poenitenti et baptizato non opus esset diverso uti Sacramento, eodem namque modo utroque uti de * beremus. Sacramentum enim est visibile signum invisibilis applicationis seu infusionis gratiae quae diversimode infunditur et applicatur iuxta signi diversitatem. Quare cum signum sacramenti Eucharistiae adeo differat ab aliorum Sacramentorum signis, necessario convincitur diversus per eam applicationis et infusionis modus. Hic nempe per vitam Christi substantiamque immediate meritum et gratia passionis Christi digne ipsum sumentibus naturali substantialique unione ipsi connexis applicatur. Ac quamquam caro Christi per modum substantiae et sacramentali modo in Sacramento existens mediantibus speciebus a nobis edatur corpusque nostrum ingrediatur; quamvis etiam coniunctione mathematica per easdem species nobiscum coniungatur, Sanctis Patribus doctissimisque viris visum est asserere non solum secundum species ac virtutem sed secundum substantiam nobis sine intervallo Christum coniungi atque sine intervallo in nobis manere et nos in eo, totaque eius substantia quae divina vivificaque est, totam nostram naturam ingredi et vivificare, Haec enim tria a sanctis doctoribus doctissimisque viris tradi quum de hac per Eucharistiam unione loquuntur compertum est.

Primum illud Christum non solum secundum species aut virtu-

tem sed etiam secundum substantiam nobis in hoc Sacramento coniungi praeter Patrum testimonia, praeter tot etiam rationes quae hanc substantialem unionem confirmant, Sancti * Maximi f. 186^v Dionysii interpretis verbis in primo libro comprobavimus ⁽²⁾, cuius verba, ut iterum recitentur, hic locus postulat exponens illud Dionysii « κατ' ἄρρον ἐνώσας » id est, summa, inquit et perfecta unione et essentiali per veram personam et hypostasim ». Sancto Maximo Sancti Thomae auctoritas accedat. Is enim, ut antea meminimus « aliter, scribit ⁽³⁾, per mysterium Verbi Incarnati Christum nobis coniungi in baptismo qui est spiritualis regeneratio, aliter vero in Eucharistiae sacramento quod est spirituale alimentum. Ac sicut generantem generato in rebus corporeis non secundum substantiam coniungi necesse est, satis est enim secundum similitudinem et virtutem ei copulari, ita in baptismo, in quo continetur Verbum Incarnatum secundum virtutem solum generatus generanti coniungitur. In Eucharistia vero continetur ipsum Verbum secundum substantiam. Et cum in Eucharistia sit alimentum quo regeneratus in vita spirituali conservatur atque in virtute augetur, secundum substantiam per eam coniungi oportet ipsi alimento quod substantia est, quemadmodum alimentum corpori alito coniungitur, quod satis Christus significavit dicens: *Qui manducat meam carnem in me manet et ego in eo. Caro mea vere est cibus* ». Haec Thomas, qui specierum sacramentalium in hoc loco quam in opere *de sacramento altaris* ⁽⁴⁾, de hac unione tractans non meminit. Thomae Dionysius Carthusianus * consentit ⁽⁵⁾.

f. 187^r

Haec praeterea secundum substantiam interior unio divinae dispensationi nimis consentanea est, qua docemur primum hominem eiusmodi effectum esse ut extrinsecus acciperet gratiam, non autem suo corpori conglutinata teneret, secundus vero Adam plenus gratia et veritate atque ipsamet gratia et totius gratiae fons, omnem suipsius humanam substantiam sua deitate ita implevit ut per unum eius corpus, ut Athanasius ait, qui coelum, suis scripturis ornasse dicitur, omnes morte liberaret propter inhabitans in omnibus Verbum, ut paulo ante dicebamus ⁽⁶⁾. Inhabitatio haec Verbi in nobis non exterior gratia in nobis aut qualis in primo Adam extrinsecus fuit, sed quae secundum substantiam intra ipsum hominem substantialiter per Christum in ipso manentem manet. In primum hominem Deus spiraculum vitae inspirasse legitur, nobis vero spiritum ipsum com-

⁽²⁾ *Supra*, p. 74.⁽³⁾ *Gent.* 4, 61.⁽⁴⁾ Opus quod falso Aquinati adjudicatum est.⁽⁵⁾ *In Sent.* 4, d. 12, q. 4.⁽⁶⁾ *Supra*, p. 221.

municat. « *Misit enim Deus, inquit Paulus* ⁽⁷⁾, *spiritum filii sui in corda nostra clamantem: Abba, Pater* ». In prima creatione, quum luce opus erat, lux orta est quum dixit ⁽⁸⁾: « *Fiat lux* ». Servile tamen hoc, nunc vero ipse Dominus splenduit in cordibus nostris qui tunc ex tenebris lucem oriri fecit prius per visibiles creaturas beneficiis genus nostrum affecit, nunc praeceptis, nunc legibus, nunc angelis, nunc hominibus homines erudiens, postremo autem absque medio aliquo per se ipsum sanat seque ipso ad nostram salutem utitur, neque ob exercitationem * tantum mentis in rebus divinis carni et sanguini et spiritui Christi communicamus, sed ob ea quae suapte natura ipsi adsunt; siquidem ipsius membra et filii reipsa sumus magisque ei cognati quam parentibus ipsis a quibus geniti sumus ut antea ostensum est. Proh divinum mysterium, proh coelestes divitiae, proh thesaurus ingens gloriae Dei quam haec commistionem illam per panis et vini species mathematicam nuncupatam cum omnibus scelaratis corpus Christi sumentibus communem superant; quam haec illam alteram virtuaalem cum Veteris Legis patribus iisque omnibus quibus neque substantialiter Christus unitus est familiarem excedunt. Sed de hoc satis.

f. 187^v Secundum vero illud quod sine intervallo Christum nobis coniungit perspicimus. Hoc enim coniunctioni substantiali maxime favet Chrysostomus apertis verbis hoc ipsum adstruit inquit ⁽⁹⁾: « Et hic et in coelo manduca me, dixi. Bibe me et te sursum habebō. Hoc non tantum satiat desiderium et deorsum rursus descendī neque simpliciter tibi commisceor, manducor, paulatim attenuor, ut magna fiat temperies, commistio et unio. Nam quae uniuntur in propriis manent terminis. Ego tecum contexor, nolo deinceps quidquam esse intervalli ». Haec Chrysostomus. Qui, dum Christum nobis contexi absque ullo intervallo asserit, certum est non mathematicam coniunctionem per species sacramentales solam inter nos et Christum significare voluisse; per eas enim sine intervallo ullo nobis contexi Chrysostomus * minime intellexisse videtur, quandoquidem et Sanctus Thomas ⁽¹⁰⁾ docet non omnia quae coniunguntur protinus proprie uniri nisi sola qualitatis analogia ut in sensu tactus patet. Ad unionem enim veram connexio aut commistio quaedam exigitur, qualis cibi cum cibato est. Quapropter per modum cibi et potus Christus in Eucharistia se nobis edendum dat, eoque modo nobis coniungi, commisceri et contexi proprie dicitur.

Tertium vero quo totam Christi substantiam toti nostrae substan-

⁽⁷⁾ Gal. 4. 6.

⁽⁸⁾ Gen. 1, 3.

⁽⁹⁾ Cf. *Hom 3 in Eph.*; PG. 62, 27; *Hom. 24 in 1 Cor.*; PG. 61, 200 et 204.

⁽¹⁰⁾ *Sent. 4, d. 9, q. 1, a. 1, sol. 1.*

tiae commiseri atque uniri asseritur, divinus Dionysius plane nos docet ⁽¹¹⁾, tradens non corpore tantum aut anima, sed totos nos a toto Christo sanari. Cyrillus etiam de hoc sacramento loquens ⁽¹²⁾: « Verbum, ait, Dei, tamquam scintilla in nostram naturam immissum totam inde inflammavit, totum inde ignitum necessario fiet ». Idem Cyrillus in Joannem ⁽¹³⁾: « Dedit igitur pro vita omnium corpus suum Dominus, et per illud rursus vitam in nobis immittit et quod modo dicam breviter pro viribus meis, nam cum vivificans Dei Filius in carne habitaverit, ad suum honorem, id est ad vitam reformavit, et totus ut ita dicam, toti ineffabili modo unionis coniunctus vivificantem ipsam effecit, quia natura vivificans est, propterea participantes haec caro vivificat ».

Gregorius quoque cognomento theologus carnem Christum assumpsisse propter nostram carnem et animae intellectuali copulatum propter nostram animam, ut simile simili repurgaret scriptum reliquit ⁽¹⁴⁾. Quod Joannes Damascenus post eum pluribus verbis exponit ⁽¹⁵⁾ *.

f. 188^v

Gregorius itidem Nyssenus idcirco cunctis creditibus seipsum, ait ⁽¹⁶⁾, Christum impartire per carnem quae ex vino et pane constituitur fideliumque corporibus immiscetur ut ea unione cum immortalis homo immortalitatis particeps fiat. Porro homo neque corpus per se neque anima per se dicitur, atqui compositum ex corpore et anima homo est. Corporis itaque et animae pariter unitas ab Irinaeo et aliis partibus per Eucharistiam praedicatur.

Hinc S. Basilius in sua Liturgia sic ait ⁽¹⁷⁾: « Ὁ Θεὸς ἡμῶν, ὁ Θεὸς σώζων ἡμᾶς διδάξων εὐχαριστεῖν σοι ἀξίως τῶν εὐεργεσιῶν σου, ὧν ἐποίησας καὶ ποιεῖς μεθ' ἡμῶν· σὺ ὁ Θεὸς ἡμῶν ὁ προσδεξάμενος τὰ δῶρα ταῦτα καθάρσον ἡμᾶς ἀπὸ πάντος μολυσμοῦ σαρκὸς καὶ πνεύματος καὶ διδάσκει ἐπιτελεῖν ἀγιωσύνην ἐν φόβῳ σου, ἵνα ἐν καθαρῇ τῷ μαρτυρίῳ τῆς συνειδήσεως ἡμῶν ὑποδεχόμενοι τὴν μερίδα τῶν ἀγιασμάτων σου, ἐνωθῶμεν τῷ ἁγίῳ σώματι καὶ αἵματι τοῦ Χριστοῦ σου καὶ ὑποδεξάμενοι αὐτὰ ἀξίως. Σχῶμεν τὸν Χριστὸν κατοικοῦντα ἐν ταῖς καρδίαις ἡμῶν καὶ γενόμεθα ναὸς τοῦ ἁγίου σου Πνεύματος » Hoc est: « Deus noster, Deus salvans, tu nos doce digne gratias agere tibi pro benefactis quae fecisti et facis nobiscum: tu es Deus noster qui susce-

⁽¹¹⁾ Cf. *De Ecclesiastica Hierarchia*, c. 3, § 12-13; PG. 3, 443.

⁽¹²⁾ *In Jo.* l. 4, c. 1; PG. 73, 546.

⁽¹³⁾ *In Jo.* l. 4, c. 2; PG. 73, 566.

⁽¹⁴⁾ *Supra*, p. 166.

⁽¹⁵⁾ *De fide orthodoxa*, l. 3, c. 2; PG. 94, 987.

⁽¹⁶⁾ *Oratio catechetica*, c. 37; PG. 45, 98.

⁽¹⁷⁾ *Liturgia S. Basilii*; ed. BRIGHTMAN, *Liturgies Eastern and Western*, Oxford 1896, vol. I, p. 338, n. 5-25.

pisti munera ista, munda nos ab omni iniquitate carnis et spiritus et doce nos operari sanctificationem in timore tuo ut in testimonio mundaе conscientiaе suscipientes portionem sanctificationis tuae uniamur sancto corpori et sanguini Christi tui, et suscipientes eas habeamus

f. 189^r Christum habitantem in cordibus * nostris, et efficiamur templum Spiritus Sancti tui ».

Secundum hanc unionem perfici unitatis mysterium Innocentius III, ut antea retulimus, testatus est, cum ipsi accipimus de suo quod ipse suscepit de nostro (18). Patres quoque in Concilio Florentino coacti effectum huius Sacramenti adunationem hominis ad Christum esse decreverunt (19) non hominis partem aliquam, non spiritum videlicet aut carnem.

Unus ex Patribus illis qui illi Concilio interfuerunt, Nicolaus Mathonensis Episcopus (20), existit, de cuius eruditione praeclara multorum Patrum extant testimonia. Hic doctissimus vir a Graecis iudicatus diligentius exactiusque de hac Christi cum omni nostra substantia qualibetque eius parte per Eucharistiam unione disserit, cuius haec sunt verba (21): « Ὡς τροφή προσήκων καὶ γὰρ καὶ ἀναπνέομεν αὐτὸν, καὶ τροφή γίνεται ἡμῖν, καὶ οὕτως αὐτὸν διὰ πάντων ἡμῖν ἀνακεράσας καὶ ἀναμίξας ἑαυτοῦ ποιεῖται σῶμα, καὶ γίνεται ἡμῖν ὅπερ μέλεσι κεφαλῆ. Διὰ τοῦτο γὰρ καὶ ἀγαθῶν ἀπάντων αὐτῷ κοινωνοῦμεν, ὅτι κεφαλὴ τὰ γὰρ τῆς κεφαλῆς εἰς τὸ σῶμα διαβαίνει ἀνάγκη ». Hoc est: « Tamquam alimentum congruens: nam ipsum spiramus et nutrimentum nobis fit; atque ita seipsum per omnia nobis contemperans et commiscens suum ipsius corpus nos efficit, ideo enim cunctorum ipsius bonorum participamus quia caput est, atqui capitis proprietates in corpus transmitti et commiscere necesse est ». * Quod hoc in loco paucis adeo verbis scribit, longiore alibi sermone explicat sic inquit (22): « Ἡ γὰρ τῆς τραπέζης ἐπαγγελία τῷ Χριστῷ μὲν ἡμᾶς, ἡμῖν δὲ τὸν Χριστὸν ἐνοικίσει. « Ἐν ἐμοὶ γὰρ, φησί, μένει, καὶ ἐν αὐτῷ » τῷ Χριστοῦ δὲ ἐν ἡμῖν μένοντος τίνος ἔτι δεήσει. Τί δ' ἂν τῶν ἀγαθῶν διαφύγοι; Ἐν τῷ Χριστῷ δὲ μένοντες, τινός ἐπιθυμήσαμεν ἄλλου; καὶ ἐνοικός ἐστὶν ἡμῖν καὶ οἰκία, ὡς μακάριοι μὲν τῆς οἰκίας, μακάριοι δὲ ὅτι τοιοῦτω γεγόναμεν οἰκία. Τί γὰρ τῶν ἀγαθῶν οὐ πάρεστι τοῖς οὕτω διατεθειτοῖς; Τί κοινὸν καὶ φαυλότητι τοῖς ἐνταῦθα γενομένοις λαμπρότητος; τί ποτ' ἂν σταλῆ πονηρὸν πρὸς τοσοῦτον σῶρον ἀγαθῶν; τί μὲν παρὸν δύνατ' ἂν μένειν, τι δὲ ἀπὸν προσαγαγεῖν, ὅταν ὁ Χριστός, οὕτως ἀκριβῶς ἡμῖν συνῆ, καὶ δι' ὅλων ἡμῶν χωρῆ,

f. 189^v

(18) DB. 430.

(19) DB. 698.

(20) Ut supra, p. 26, monuimus Nicolaus Cabasilas Conc. Flor. interesse non potuit quippe qui a. 1371 diem supremum obiit.

(21) *De vita in Christo*, I. 1; PG. 150, 520.

(22) *De vita in Christo*, I. 4; PG. 150, 583.

καὶ τάνδρον πάντα κατέχων, καὶ περὶ ἡμᾶς ἦ. Τὰ μὲν γὰρ ἔξωθεν ἐπιόντα βέλη κωλύει ψάσειν, ἡμῶν πανταχόθεν προβληθέντων, οὐκ ἔστιν εἴ τι δ' ἔστιν φαῦλον, διωθόμενος ἀπελαύνει, ἔνοικός γάρ ἐστι πᾶσαν ἑαυτοῦ πληρῶν τὴν οἰκίαν. Οὐ γὰρ τι τῶν αὐτοῦ, ἀλλ' αὐτὸν μετέχομεν οὐδὲ ἀκιννά τινα καὶ φῶς, ἀλλὰ τὸν δίσκον αὐτὸν ταῖς ψυχαῖς δεχόμεθα, ὥστε καὶ οἰκῆσαι, καὶ εἰσοικίσασθαι καὶ περιθέασθαι, καὶ περιβάλλειν, καὶ ἀνακραθῆναι καὶ ἐν πνεύμα γενέσθαι. Καὶ γὰρ ψυχὴ καὶ σῶμα καὶ πᾶσαι δυνάμεις αὐτῶν πνευματικὰ ὅτι ψυχὴ μὲν ψυχῆ, σῶμα δὲ σώματι, καὶ αἷμα αἵματι μίγνυται· καὶ τί τὸ ἐντεῦθεν; τὰ βελτίω * f. 190^r

κρείττω τῶν ἐλαττόνων καὶ τὰ θεῖα τῶν ἀνθρωπίνων ἐπικρατεῖ. Καὶ ὁ φησὶν περὶ τῆς ἀναστάσεως Παῦλος· Τὸ θνητὸν ὑπὸ τῆς ζωῆς καταπίνεται· τὸ δὲ ἐξῆς « Ζῶ δὲ οὐκέτι ἐγώ, φησί, ζῆ δὲ ἐν ἐμοὶ Χριστός ».

Hoc est: « *Mensae quidem promissio est, nos in Christo et Christum itidem in nobis habitare. In me enim, inquit, manet et ego in eo. Manente autem in nobis Christo, quid amplius requiri potest? Aut quod bonum non adest? Aut cuius tandem alterius desiderio rei in Christo manente flagrare poterimus? Ipse quidem habitator habitaculum nobis est, itaque beati habitaculo ipso sumus, beati etiam quod ipsius domicilium sumus. Quid ergo bonorum praesto non est, nempe ita affectis atque in tantum splendorem evectis? Quid commune cum improbitate nobis est, at in tanto bonorum acervo quid pravum consistere? aut si adsit, manere, aut si absit accedere poterit cum Christus adeo nobis perfecte uniatur ac totos nos pervadat, omnis quae in nobis sunt continens ac pro nobis stans? Nam quae exterius tela nos petunt a nobis averti omnique ex parte nobis propugnaculo est, domus enim est. Siquid autem improbi adest, propellens eiecit. Inhabitor enim est, totam quam inhabitat domum implens. Neque vero portionem aliquam ipsius bonorum, sed ipsum participamus, neque radium quemdam aut lucem, sed ipsum corpus solis in animabus nostris suscipimus. Itaque inhabitat et inhabitatur, induit et induitur, commiscetur atque unus fit spiritus. Etenim anima et corpus cunctaeque potentiae protinus spiritualia evadunt; quoniam anima animae, corpus corpori, et * sanguis sanguini miscetur. In qua quidem missione praestantiora et validiora infirmioribus, et divina humanis praestantiora evadunt. Et quod de resurrectione inquit Paulus: *mortalitas a vita absorbetur, et deinceps: Vivo iam, non amplius ego, inquit, vivit vero in me Christus* ». Haec Nicolaus. Cui beatam Agnetem subsripturam nemo inficiabatur, cuius corpus Christi corpori sociatum sanguinique eius genas ornatas, dominico cibo sumpto, constanter testata est ⁽²³⁾.*

Nicolai sententiam Ruperti Abbatis auctoritas confirmat. Is enim quod Nicolaus ceterique Patres ante mille et ducentos annos scriptum reliquerunt, se expertum esse testatur vir ni-

(23) Cf. *Breviarum Romanum*, die 21 ianuarii.

mirum adeo eruditione iudicioque praestans, ut neque eum falli existimemus, adeo etiam morum sanctitate conspicuus ut ipse quemquam decipere propositum fuisse nequaquam credamus.

—Hic, inquam, vir eorum quae Cyrillus aliique Patres scripserunt optimus testis quid sibi ipsi contigerit postquam sacro presbyteratus ordine initiatus fuit, quum aliquando suo abbati ut presbyter fieret monenti restitisset, ita refert ⁽²⁴⁾: «Nec vero minori signo quam praevenerat Deus meus misericordia mea me in hoc officio subsequuta est. Non enim plures quam triginta dies transierunt, cum ecce iacente me in lectulo fere clauso iam die, quum vix oculos in somno clausissem venit desuper quasi similitudo viri proni et aequaliter extensi, suam quam maxime faciem tegentis; qua in me * demissa totam complevit animae meae substantiam eo modo mihi impressa quem verbis exprimere nullatenus possim; multo citius ac profundius quam cera quamvis mollissima sigillum fortiter impressum admittere possit. Protinus somno qui vix obpreperat excussus sum et vigilans sensi dulce pondus, vigilans delectatus sum. Et quid dicam? *Anima mea liquefacta est* ⁽²⁵⁾; anima mea, Domine pie, defecit, pene de corpore effusa est. O quam vera concionatoris nostri sententia! *Adolescentia enim, inquit, et voluptas vana sunt* ⁽²⁶⁾. Porro ibi non vanitas sed veritas; ibi vera et viva voluptas ubi usque in finem completur quod scriptum est. *Qui adheret Domino unus spiritus est cum eo* ⁽²⁷⁾. Hinc est quod canimus in Psalmo: *Inebriabuntur ab ubertate domus tuae et torrente voluptatis tuae potabis eos* ⁽²⁸⁾. Eiusdem voluptatem vivente in corpore saltem gustasse iucundum est, iucunditatis et exaltationis thesaurus est. Verum dicere liceat quia nisi illa repentina sanctae voluptatis inundatio cito se continuisset, animam velociter in sua de corpore in modum torrentis abstraxisse secumque detulisse poterat. Unde et melius iam scio quomodo sentiendum sit quod Deus ad hominem loquutus sit: *Non enim videbit me homo et vivere potest* » ⁽²⁹⁾. Sed, ut dixi, cito subsistit inundans illa vis amoris, paulatimque decessit. Ego autem ex tunc os meum aperui et cessare quin scriberem * non potui; et usque nunc, etiam si velim, tacere non possum ». Haec Rupertus Abbas. Qui quanta fides Nicolao adhibenda sit non parum suadet dum similitudo illa viri proni et aequaliter extensi, et in illum demissa narratur; quo membratim ei coniuncta innuitur, facie vero occulta, ut velamen, sub quo Chris-

⁽²⁴⁾ *In Mt.* 1, 12; PL. 168, 1602.

⁽²⁵⁾ *Cant.* 5, 6.

⁽²⁶⁾ *Eccle.*, 10.

⁽²⁷⁾ *1 Cor.*, 6, 17.

⁽²⁸⁾ *Ps.* 35, 9.

⁽²⁹⁾ *Exod.* 33, 20.

tus in Sacramento coniungitur significaretur; quod perspicue Rupertus indicat dum inquit totam implevisse animam suam eamque liquefactam ut conglutinationis commisionisque quam cerae similitudine Cyrillus declarat meminisse videatur, quando neque cerae Rupertus oblitus est neque sigilli quod fortassis arctissima cum Christo coniunctio tam in anima quam in corpore cui coniungitur velut impressum futura gloria ostendit. Quod vero in animam confestim penetrasse eamque implevisse asserit consentaneum est theologorum omnium sententiae, asserentium omnem vim ac virtutem per animam in corpus influere.

Rupertus quoque, quum per Eucharistiam corpus Christi in corpora nostra diffundi scribit, vitam corporis, hoc est Deum ipsum in animam penetrare testatur; cuius verba et antea attulimus et hic libenter adscribimus. « Fecit, ait ⁽³⁰⁾, nobis Sacramentum per quod et corpus eius in nostra corpora et vita corporis eius, idest Verbum Deus in nostras animas infunderetur et ipse tamen integer permaneret et vivus ». Optime Sanctus Abbas admirandam virtutem huius * Sa- f. 192²
cramenti explicat. Quod quamvis non sit cibus ventris sed mentis, neque digeratur neque concoquatur more ceterarum carnum, neque carni nostrae ut aliae carnes connectatur, copulatur tamen ei occulte arcana quadam virtute quae numquam non dimanat a divina Christi carne praesertim intra viscera nostra nondum corruptis speciebus substantialiter nobis copulata atque unita; et eodem modo quo qui in gratia est unus cum Deo spiritus dicitur, non numero sed occulta virtute gratiae glutino ipsi connexus. Haec substantialis unio virtusque ab eo progrediens utramque nostri partem sibi coniungit, animam scilicet ac corpus; utraque nos vicissim parte Christo copulari debemus si perfectam nostram cum ipso unionem per Eucharistiam esse velimus, quemadmodum mulier illa a quo sola se contactum fuisse Christus testatus est cum a multis comprimeretur inquires ⁽³¹⁾: « Quis tetigit vestimenta mea? Cui discipuli responderunt: Vides turbam comprimentem te et dicis: Quis me tetigit? » Revera neque Christum tangi neque Christo unitur ita ut eius virtute reficiatur et recreetur unumque cum ipso mente corporeque fiat, qui sacramentaliter carnaliterque solum eum sumit, nisi fide et caritate ipsum quoque tangat. Qui denique et spiritu et ore Christum manducat mente pariter et corpore unum cum Christo fit; unum vero quatenus divinae humanaeque naturae congruit quae in utroque quoad substantiam sine ulla mutatione permanet.

* Satis ostensum arbitror aliam esse virtuales connexionem aliam f. 192²

⁽³⁰⁾ De Trinitate et operibus eius. De operibus Spiritus Sancti, l. 3, c. 20; PL. 167, 1161-1162.

⁽³¹⁾ Mc. 5, 30-31.

vero naturalem et substantialem. Minus vero mathematicus ille per species sacramentales contactus, substantialis ac naturalis haec per Eucharistiam unio recte dici potest, per quam Christi substantiae virtus in totam nostram substantiam et quamlibet eius partem influat. Nam cum Christus ipse vere et per substantiam suam in Sacramento Eucharistiae sit, et per Sacramentum intra ipsum hominem existat, virtus quaedam ab ipsa Christi substantia emanans in totum hominem et quamlibet eius partem diffunditur qua substantialiter totus homo toti Christo uniri dicitur: non quia tota Christi substantia tota sit in toto homine et qualibet eius parte (est enim per substantiam hoc modo sub speciebus tantum quamdiu durant) virtus tamen substantiae eius defluxa ab ipsa Christi substantia intra hominem mediis speciebus vere existentis, totam hominis substantiam et quamlibet eius partem recreat atque reficit. Quae quidem substantiae virtus manere optime potest etsi non maneat ipsa corporis Christi substantia. Unde et unio spiritualis manere asseritur, quia virtus substantiae et naturae eius manet quae vere intra ipsum hominem fuit et eiusdem est nobiscum naturae. Est igitur spiritualis virtus quae a corpore Christi in animam nostram ac per animam in corpus derivatur, ab ipsamet Christi substantia promanans. Quo fit ut absente Christi substantia per corruptionem specierum * non absit haec unio Christi cum toto homine, quia non abest virtus substantiae Christi animae hominis et toti carni integre et absque divisione aliqua digne corpus Christi sumentis communicata. Adde his in nostrae carnis cum Christi carne coniunctione id ipsum fieri quod evangelicae doctrinae maxime consentaneum est, videlicet ut ex ipso Christi corpore in hoc Sacramento contentò, corporalitatem suam perspiciamus. Ex modo vero quo nos sibi unit totusque in quamlibet nostri partem ingreditur spiritualem suam et intellectualem deitatem consideremus, ac carnem de Virgine sumptam et spiritualem pariter alimoniam ab ipso nobis donari pariter intelligamus. Nempe hac ratione qui paulo ante dixerat ⁽³²⁾: « *Nisi manducaveritis carnem filii hominis non habebitis vitam in vobis* », mox subiicit ⁽³³⁾: « *Quae enim loquutus sum vobis spiritus sunt et vita* ». Similiter cum de regeneratione cum Nicodemo verba facit, Filii hominis ascendentis in coelum meminit ⁽³⁴⁾, quemadmodum cum de esu corporis sui dissereret tractaretque, ac propterea multos scandalizatos conspiceret ⁽³⁵⁾: « *Hocine, inquit, vos scandalizat? Quid si filium hominis spectaveritis ascendentem ubi erat prius* ». Utrobique de utroque carne et spiritu suo loquitur, ut

⁽³²⁾ Jo. 6, 53.

⁽³³⁾ Jo. 6, 63.

⁽³⁴⁾ Jo. 3, 13.

⁽³⁵⁾ Jo. 6, 62.

Athanasius ⁽³⁶⁾ ait, et spiritum a carne discriminat ut non solum in eo quod oculis apparebat sed naturam quoque invisibilem credentes discamus ea quae loquitur, non carnalia esse sed spiritualia*. f. 193^v

CAPUT XXII.

Solutio aliquot obiectionum contra assertam substantialem unionem per modum substantiae.

Quoniam vero opinamur non defuturos adhuc nonnullos ex catholicis quibus haec naturalis substantialisque unio superfluam ac difficilem videatur, non desinemus de ea nonnihil amplius disserere. Superfluam quidem censent qui nihil amplius per eam quoad Christi nostraque naturae unionem consequi non existimant quam per mathematicam illam coniunctionem assequimur. Difficilem vero quia ex ea innui videtur carnem Christi digne a nobis susceptam species sacramentales egredi ut caro nostra ab ea attingatur. Primo minime nobis superflua videtur quoniam, ut ante vidimus, ille medijs speciebus contactus cum pravis etiam hominibus Christi corpus sacramentaliter summentibus communis est, tantumque stomachi parvam partem attingit. Haec vero de qua tractatur connexio longe a sceleratis hominibus abest, nam totam hominis substantiam et quamlibet eius partem Christo connectit atque unit, vi ac virtute ipsius Christi carnis nostrae carni coniunctae in animam corpusque nostrum ingrediente. Neque quaecumque coniunctionem naturalem esse, supra ostendimus ex D. Thomae sententia ⁽¹⁾. Cumque virtualiter caetera omnia Sacramenta Christo nos uniant quando effectum suo nos tangunt, haud rationi consonum apparet non alia substantialiori intimiorique unione per sacratissimam Christi carnem ipsi nos uniri: Sanctorum ad haec * Patrum f. 194^f verba connexionis, commistionis, commassationis et contexturae strictius substantialiusque aliquid innuunt quam per effectum solum contactum. Ipsum praeterea «*manendi*» verbum quo Christus usus est idem declarat. Paulum verbo «*communicationis*» ad hanc per Eucharistiam significandam unionem perfectissimam usum esse, et substantialem coniunctionem significare superius non semel diximus. Ad hanc etiam coniunctionem nobis insinuandam haud temere in Sancto Evangelio narratur a plerisque compressus tactusque Christus, ut reali corporis eius contactu ab infirmitatibus quas patiebantur liberarentur ⁽²⁾.

⁽³⁶⁾ Ep. 4 ad Serapionem, 19; PG. 26, 665.

⁽¹⁾ Redi ad p. 208-209.

⁽²⁾ Mc. 5, 29-31.

Atque etiam non virtuali solum sed reali carnis Christi contactu sanctificatae, auctore Beda⁽³⁾, traduntur. Sed de hoc satis.

Illud autem quod dicebatur de carne Christi species sacramentales egrediente si hanc naturalem unionem eo quod exposuimus modo accipiamus, levissimum quidem est. Quid enim species ipsae prohibent quin substantialiter nobis uniatur quandoquidem sub ipsis speciebus vera Christi substantia continetur? Ad haec quae ratio est, si virtus illa quae a Christi substantia progreditur, animam corpusque nostrum Christo agglutinat, quare uni magis nostrae substantiae parti uniatur quam alii agglutinetur? Fermentum ut massam omnem fermentet toti massae immiscendum est. Porro omnem nostram substantiam et singulas substantiae nostrae partes Christus naturaliter sibi unit, sublimiori constrictiorique certe unionis modo, quam per species nos sibi coniungit, nisi magnam iniuriam divinae virtuti inferre, maxime etiam *
f. 194^v immenso Christi in genus humanum beneficio derogare velimus; asserentes vim ac virtutem vivificae eius carnis naturalisque cum eo unionis iis tantum finibus concludi quibus species ipsae sub quibus Eucharistia continetur circumscribuntur; quae quidem species tamquam vasa quaedam quibus vera ipsa Christi substantia ad nos defertur existimanda sunt; quae nequaquam Christi substantiae cum nostra et qualibet eius parte unionem impediunt. Neque vero haec quidem dicimus quod igneremus ipsis panis et vini speciebus in sacra synaxi haud deesse eximiam singularemque vim ad nostri corporis, animae, spiritusque sanctificationem⁽⁴⁾. Ergo, ut cum hac difficultate concludamus, dicendum est non repugnare Sacrae Scripturae neque vero theologiae carnem Christi sub terrenarum creaturarum velamento obiectam, diversa ratione considerandam, postquam mediantibus ipsis sacramentalibus speciebus in stomachum nostrum delata est, ab ea qua consideratur quum in ipsis ante aliquem Eucharistiae usum continetur. Tunc enim ordinem ad sacramentales species praecipue eam habere concors sententia doctorum docet, post usum vero per effectus suos ordinem ad animam et corpus nostrum quod sanctificat servare eadem tenet.

Haec tamen quoniam scholarum disputationibus aptiora sunt quam piarum mentium fidei et devotioni augenda, finem his imponamus. Nam nimis anxie in rebus divinis quomodo fiant inquirere, iudaicum, auctore Cyrillo, et extremi supplicii causam esse
f. 195^v superius testati sumus⁽⁵⁾; nisi firmam fidem mysteriis * adhibentes quae intellectus humani oculis in tam sublimibus rebus percipi nequeunt, in abdita quaeque eorum haud altius penetrare commodius et

⁽³⁾ Cf. VEN. BEDAE, *In Mt.* l. 2, c. 8; PL. 92, 39; *In Mc.* l. 2; PL. 92, 198, 211.

⁽⁴⁾ Cf. S. THOMAS, *S. Th.* 3, q. 73, a. 1.

⁽⁵⁾ *In Jo.* l. 4, c. 2; PG. 73, 574.

salubrius iudicemus. Ignorare enim pleraque satius esse, *Tertulianus* ait ⁽⁶⁾, ne quid non debeas noris, quia quod debeas nosti. *Hilarius* quoque ⁽⁷⁾: « Non tam, inquit, veniam habet quam praemium ignorare quod credas quia maximum fidei stipendium est sperare quae nescias ». Fides namque absque litteris, divino illo scripto quod et ad rudes indoctosque homines pertinet, nimirum caritate absque optime litteris discitur. In hoc itaque spirituali libro docti et indocti properemus diu noctuque nos exercere, in hunc unum incumbamus toto pectore et ex eo discamus quod nulla humana ratio, nulla hominum philosophia nos umquam docere poterit.

Quod si alicui magis anxie et curiose a me tractata videbuntur quam *Cyrilli* aliorumque Patrum consilia suadebant, consideret, obsecro, ea omnia disseri a me potius quam decerni. Cogitet etiam christiano pioque animo quam haec omnia immensae Dei virtuti atque eius erga nos dilectioni quam saluti nostrae, quam oeconomiae divinae, quam evangelicae doctrinae quam denique Sanctorum Patrum sententiae conveniant, nihil absurdi aut non a me allatum esse. Si quid autem noviter a me dictum latinis auribus videbitur, non idcirco novum reputandum est cum id ipsum tot *Graccorum* vetustissimorum Patrum eorundemque clarissimorum * in Christi fide heroum testimoniis aut f. 195^v aperte traditum aut reipsa litteris commendatum sit: non rerum auctor, non verborum inventor sum; quod vetustas credidit semperque venerata est, id, ut dilucidius fiat enitor, neque novam doctrinam instituo sed veterem expono. Si quid aliter in hoc opere forsitan a me traditur quod eorundem Patrum, quod Ecclesiae catholicae, quod Summorum Pontificum sententiae adversari censi possit, tamquam spurium et adulterinum, quodque me etiam invito et ignorante eruperit, expungendum et obeliscis configendum damno. Neque enim tam mei amator sum aut adeo mihi tribuo ut eo ipso quod mei sunt foetus statim mihi cuncta arrideant.

CAPUT XXIII.

De qualitate naturalis cum Christo unitatis.

Declaravimus modum quo hanc coniunctionem iuxta quantitatem esse existimemus. Qualis autem ea sit antea declaratum nonnihil est quum praefatam unionem coniunctionem esse arcanam dixerimus, quia sacramentali modo sub aliena specie *Christus* delitescens in *Eucha-*

⁽⁶⁾ *De praescriptione haereticorum*, c. 14; PL. 2, 32.

⁽⁷⁾ *De Trinitate* l. 8, c. 10; PL. 10, 243.

- ristia postquam mediis sacramentalibus speciebus in nostrum stomachum descendit, nostrique carni eo modo coniunctus est, secundum substantiam nos sibi coniungit, non autem per quantitatis continuitatem aut contiguitatem, nostris autem sensibus vera corporis Christi in Sacramento substantia non est pervia, licet vere in eo continetur. Ac quemadmodum Christus adhuc mortali corpore constans in corpus glorificatum * in Monte Tabor trasfiguratus est, idemque post resurrectionem corpus gloriae dotibus praeditum habens nunc sub hortulani, nunc sub peregrini habitu apparuit, ita sacramentali velamine in Eucharistia sumptus nobis coniungitur; nec verum Christi corpus in Eucharistia magis esse desinit quia ibi invisibilis humanitas latet quam quum divinitas sub humanitate occultabatur. Ad hoc probandum etsi nullius opus sit testimonio, Augustinus tamen paucis verbis hoc ipsum testatur quum inquit ⁽¹⁾: « Hoc est quod dicimus sacrificium Ecclesiae duobus constare: visibili alimentorum specie, et invisibili Domini nostri Jesu Christi carne et sanguine ». Item alibi ⁽²⁾: « Nos autem in specie panis et vini quam videmus, res invisibiles, idest carnem Christi et sanguinem honoramus ». Hinc Eusebius Emisenus ⁽³⁾ « invisibilem sacerdotem visibiles creaturas in substantiam corporis et sanguinis sui secreta potestate convertere » ait. Quaerit D. Algerus ⁽⁴⁾: « Si sacerdos est invisibilis, quomodo sua substantia sunt quum sint visibilia corpus et sanguis? Sed sciendum, respondet, quia post resurrectionem corpus Christi sicut incorruptibile ita et invisibile fuit; quia ait Apostolus: *Non animale sed spirituale resurrexit*, et quale prodiit de sepulchro tale est in panis et vini Sacramento. Quod enim legitur post resurrectionem discipulis ostendisse manus et latus B. Gregorius distinguit: corrumpi necesse est quod palpatur * et palpari non potest quod corrumpitur. Sed miro et inaeestimabili modo Redemptor noster et incorruptibile post resurrectionem et palpabile corpus exhibuit, ut monstrando incorruptibile invitaret ad praemium, praebendo palpabile firmaret ad fidem. Et incorruptibile ergo se et palpabilem demonstravit, ut ostenderet corpus post resurrectionem et eiusdem naturae et alterius gloriae. Quod autem corpus Christi spirituale sit et incorruptibile et invisibile, nec tamen minus substantiale in Sacramento ». Haec Algerus. Quem invisibile corpus Christi dixisse intelligendum est, vel quia a quibus non
- f. 196^v

⁽¹⁾ Locus tribuitur Augustino ab ALGERO LEODIENSI, *De sacramentis corporis et sanguinis dominici*, l. 1, c. 5; PL. 180, 752.

⁽²⁾ Etiam haec allegatio Hipponensi adiudicatur ab eodem Algero, loco modo indicato.

⁽³⁾ Rectius: FAUSTUS R., *Hom. 5 de Paschate*; PL. 67, 1052, De historia huius textus cf. BATIFFOL, *L'Eucharistie*, p. 478-480.

⁽⁴⁾ *De sacramento corporis et sanguinis dominici* l. 1, c. 11; PL. 180, 771-772.

vult videri abscondi potest, vel quia in Sacramento est invisibile corporeis oculis. Spirituali igitur modo cum corpus Christi verum sub panis et vini speciebus sensibusque nostris invisibile contineatur, ipsaque caro dominica Verbo Dei vivifica sit, coniunctio qua eam vere manducantes sibi unit invisibili et spiritali modo fit, quam quum substantialiorem etiam esse constet non potest non immensam virtutem conferre de qua latius in sequenti libro tractaturi sumus. Si tamen aliquid hic de operatione huius coniunctionis disseruerimus haud parum iuverit ad intelligendum qualis reipsa sit.

CAPUT XXIV.

De operatione naturalis cum Christo unionis.

Coniunctum unitumque per Eucharistiam Domini corpus nobiscum * nostram animam corpusque nostrum ipsi pariter unitum spiritaliter pascit ut saepius diximus. Sed in hoc animadvertere oportet id quod vere corpus est, nostram nutrire et reficere animam vivifica Dei virtute qua praeditum est, et pariter corpus nostrum efficere ex animali spirituale. Accidentia vero ipsa seu species a corpore separatas nostrum corpus corporaliter et carnaliter alere. Nempe cum caro Christi sanctissima purissimaque Verbo Dei unita sit, congrue et cibus propter corpoream substantiam et spiritus propter sanctitatem et puritatem Verbique unionem est. Quamobrem tamquam dominico cibo et nutrire quod cibi proprium est et spiritaliter reficere quod cibi proprium est et spiritaliter reficere quod Domini tantum est, vere ei congruit. Verum ut quemadmodum a piis iustisque hominibus Christus digne sumptus eos sibi corporaliter arcana atque arctissima coniunctione coniungit, cibusque salutis et vitae est, ita quoque impios et iniustos longe a se separat eisque cibus iudicii et mortis efficitur iuxta Apostoli sententiam dicentis ⁽¹⁾: « *Qui manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit* ». Tantum enim abest ut Christus in indigne manducante maneat, ut ita manducans subito Sataanae membrum fiat. Judam enim traditorem post buccellam panis comestam, statim Satanas intravit et totum occupavit ut suum proprium mancipium ⁽²⁾. Qui enim per fidem et caritatem Christo non est coniunctus, influxum illum ex Christi corpore in nos ipsos permanentem numquam accipiet. * Nam virtus vel gratia potius ex eodem profluens qua mystice pascimur ac reficimur, animae nostrae sub-

f. 197^cf. 197^v⁽¹⁾ I Cor. 11, 29.⁽²⁾ Jo. 13, 27.

stantiam primo recreat atque fulcit, dein totum hominem rapit, unit, et incorporat sibi. Quare panis supersubstantialis appellatur quem digne vescens quasi adipe quodam reficitur. Virtus enim ex eadem Christi carne promanans carne nostra carni Christi copulata, spiritu etiam nostro spiritui eius adhaerescens a multis imperfectionibus liberat dum proprietates carnis Christi similes caro nostra haurit atque quoad eius fieri potest spiritualis redditur. « *Qui vero indigne manducat corpus Domini et sanguinem eius bibit, iudicium sibi manducat et bibit* » (3). Nam quamvis corpus Christi sacramentaliter manducans peccator ipsum in stomachum immittat et in eo sub speciebus sacramentalibus sit Christus tamquam locatum in loco mediis sacramentalibus speciebus, vel potius tamquam res in re, virtus tamen et gratia quae ex illo promanat, quae Christo nos unit, manducantem non attingit quin imo illum penitus Christus ipse execratur et condemnat, corruptisque ipsis speciebus sacramentalibus nihil in eo relinquit praeter mortis aeternae reatum.

Vir autem iustus quam dominicum corpus digne suscipit aeternam vitam sibi comparat dicente Domino (4): « *Qui manducat me et ipse vivet propter me* »: et non quamque sed qua Filius vivit propter Patrem dicente eodem (5): « *Sicut misit me vivens Pater et ego vivo propter Patrem, et qui manducat me et ipse vivet propter me* ». Etenim Christus in se digne suscipiente non solum manet sicut res quaevis in loco, sed sicut diligens in sibi dilecto, attrahens in attracto, et vivens in unito, et perficiens in perfecto, et * consummans in consummato, et vivificans in vivificato, et deificans in deificato, ut ex filio hominis fiat filius Dei, ut tandem sicut qui adhaeret Deo unus spiritus fit cum eo non identitate substantiae sed intimae caritatis vinculo. Sic corpus, digne recipientis Eucharistiam, fit unum corpus cum Christi corpore non essentiae identitate sed arctissima substantialique unione quae in tantam unitatem proficit ut ipse in Christo maneat et Christus in ipso. Quod utique de divina hac et absolutissima unione accipiendum est iuxta Scripturae phrasim quae manendi vocabulo coniunctionem unionemque intimissimam significare consuevit ut in illo (6): « *Sicut palmes non potest fructum a semetipso proferre nisi manserit in vite, sic nec vos nisi in me manseritis* ». A digne quidem suscipiente quam corruptis speciebus Christus recedit, ita corpore abest ut vi ac virtute maneat. Contra vero illi accidit cuius « documento, ut inquit Cyprianus (7), ostensum est Deum re-

(3) I Cor. 11, 28.

(4) Jo. 6, 57.

(5) Jo. 6, 57.

(6) Jo. 15, 4.

(7) De lapsis, c. 26; PL. 4, 517.

cedere quum negatur, neque immerentibus prodesse ad salutem quod sumitur cum gratia salutaris in cinerem sanctitate fugiente mutetur». Qui enim fieri potest ut Christus cum peccatore atque Dei perduelli coëat et commisceatur? Coit enim et commiscetur nobiscum per ea ipsa quae ex nobis assumpsit; assumpsit autem carnem et animam et sanguinem, humana denique cuncta praeter peccatum et culpam. Quapropter cum hominibus peccato obnoxiiis et culpa involutis coire et commisceri nequit. « *Quae enim participatio iustitiae cum iniquitate? aut quae societas luci ad tenebras?, quae autem conventio Christi ad Belial?* » inquit Paulus ⁽⁸⁾. Cum iis vero qui vitae sinceritate ipsius vitam imitantur, * ita per dignam corporis et sanguinis eius perceptionem colligatur et coalescit ut carnes de carnibus eius et ossa de ossibus eius nonnullorum Patrum testimonio dici comprobatum antea ⁽⁹⁾ fuerit. Ceterum quam vim saluti nostrae conferat haec cum Christo unitas, quamquam de eo tractandi locus inferius sese offeret, haud ab re erit hic nonnihil declarare ut luculentius intelligatur inenarrabilis eius virtus. Nempe Unigenitus Dei Filius homo factus non tantum reconciliavit Deum humanae naturae in communi aut quum mortuus est solum, sed passim et cuilibet ubique hominum olim semel cruci affixus nunc vero singulos frequenter convivio excipiens sibi que artissime uniens, quos ut singulos convivio exciperet secumque in unum colligaret eandem quam assumpsit naturam ipsis rursus edendam dat; eaque digne comesta non solum carnis et sanguinis eius participamus sed ipsum Deum in animabus nostris et Dei corpus et sanguinem atque animam Dei et mentem et voluntatem pariter recipimus quam ipsa humana, opus enim fuit et hoc esse et illud fieri nostrae infirmitatis pharmacum. Ita enim nostrae infirmitatis pharmacum factum est. Nam si Deus solus esset non ita uniretur nobis. Quo enim pacto convivium nobis foret? Divinitas enim esibilis non est. Si vero homo tantum ut nos esset, haud ita salutem nostram peregisset. Cum ergo utrumque sit Deus et homo tamquam homo hominibus sibi cognatis et eiusdem cum ipso naturae inseritur atque unitur, tamquam Deus vero naturam * et movere et ad seipsum transferre potest vincentibus iis quae praestantiora sunt. Non enim validiora infirmiora in se manere si in unum commisceantur sinunt. Perspicuum ergo est Christum nobis diffundere et commiscere seipsum nos transmutare quemadmodum si parva aquae gutta ingenti pelago unguenti perfundatur. Hoc ipsum unguentum in nos effusum efficit ut non odore bono tantum fragrantem ostendamus sed ipse bonus odor simus. Haud dissimilem vim et gratiam convivium perfectis confert si puri et ab omni pravitate liberi accedamus nihilque pravum deinde

f. 198^rf. 199^r⁽⁸⁾ 2 Cor. 6, 15.⁽⁹⁾ *Supra*, p. 43-50

f. 199 in nobis admittamus. Ita enim habentibus nobis nihil impedit vere Christum nobis uniri. « *Sacramentum hoc magnum est* », inquit Paulus ⁽¹⁰⁾ hanc unitatem extollens. Profecto magnum quod Christi mentem nostrae menti copulat, quod Christi voluntatem nostrae voluntati connectit, quod Christi corpus humano corpori contemperat, quod Christi sanguinem intra nos ipsum immittit. Qualis mens nostra erit a divina mente victa? Qualis pulvis igne illo accensus? An non haec ita accidere Paulus testatur inquiring ⁽¹¹⁾: « *Se neque mentem suis ipsius neque voluntatem neque vitam habere* »?, atqui haec omnia in ipso Christum esse. Christum mente Christi habemus. An experimentum quaeritis, inquit, loquentis in me Christi. Et ⁽¹²⁾: « *Existimo me spiritum Dei habere* ». Et ⁽¹³⁾: « *Diligo vos in visceribus Jesu Christi* ». Unde aperte ostendit Christi voluntatem * ipsi inesse ac cuncta pariter complexus: « *Vivo, inquit, ego, iam non amplius ego, vivit vero in me Christus* » ⁽¹⁴⁾. O perfectum mysterium quod ad ipsum totius consummationis excellenter apicem ad ipsum honorum culmen egregie perducit, quandoquidem hic finis est ultimus totius humanae curae qua viventes indigemus! Deum enim ipsum in ipso consequimur, Deusque nobis perfectissima artissimaque unitate unitur. Quae enim verior, quae arctior, quae fortior connexio esse potest? Unde reliquis aliis mysteriis perfectionem sola mysteriorum Eucharistia praebet. Remanet, opinor, satis declarata huius naturalis supra naturam unionis ingens ineffabilisque vis ac virtus.

CAPUT XXV.

Qualis eadem corporalis coniunctio sit circa passionem.

Talis ergo circa operationem praedicta coniunctio est, qualis vero circa eam qualitatem, qua ex hac mutua nobiscum coniunctione Christus ipse afficitur, sit, consideremus. Nobis quidem coniungitur sine ulla tamen bonorum suorum confusione, frangitur et manet illaesus, distribuitur singulis et superest indivisus, consumitur et semper permanet, manducatur, nihilominus tamen vivit non quidem specie sacramentali sed re et substantia. Quare absque detrimento iniuriave aliqua, integra, illaesa et indivisa ea coniunctio est, quamvis species ipsius

⁽¹⁰⁾ Eph. 5, 32.

⁽¹¹⁾ Cf. Rom. 14, 7-8; Phil. 2, 13; 1 Cor. 2, 2-7; 2 Cor. 10, 5.

⁽¹²⁾ 1 Cor. 7, 40.

⁽¹³⁾ Phil. 1, 8.

⁽¹⁴⁾ Gal. 2, 20.

sacramenti in multas * partes frangantur ac divisim distribuantur. f. 200^r
 Praefiguravit hanc integritatem et divisionem Isaac super altare im-
 positus ut a patre immolaretur, qui integer et illaesus ariete pro eo
 immolato remansit ⁽¹⁾. Quid enim aliud hoc significat quam manere
 solidam substantiam, dividi autem species? Neque id divinae virtuti
 difficile est. Nam eius vestigium haud obscurum in natura habemus.
 Nam anima rationalis etsi membrum aliquod corporis humani fran-
 gatur vel abscindatur integra tamen et incorrupta manet. Sunt etiam
 animalia nonnulla in quibus sensibilis anima quae una sola est ad
 animalis partium incisionem multiplicatur, totque per divisionem sunt
 animae quot animalis partes incisae. Quod si in sensu carentibus exem-
 plum quaerimus, fracto speculo imago quae in ipso relucebat non fran-
 gitur, atque quot fracti speculi partes sunt, totidem imagines spec-
 iesque relucet ⁽²⁾. Est quidem admodum dissimilis ratio inter haec
 omnia et Christi corporis integritatem quae fractis speciebus reman-
 et tamen per haec sensibilia ad illa divina ascendendum est. Sine
 detrimento igitur offensioneque aliqua sui corpus Christi nobis co-
 niungitur ut satis ex dictis constat. Sed quia nisi qua parte locove
 nobis coniungitur intelligatur, vix qualis ea coniunctio sit compertum
 habebimus, cumque difficile admodum semper visum fuerit imo non
 solum praeter rationem sed omni rationi humanae repugnans, corpus
 scilicet Christi quod vere est in coelo vere etiam * in terra coniungi f. 200^v
 nonnihil hoc in loco de hac difficultate agere operae pretium erit.

CAPUT XXVI.

Qualis eadem coniunctio sit circa locum.

Nimirum si secundum diversas rationes et in coelo et in terra et
 in singulis Domini corpus sumentibus esset, neque in naturae refraga-
 ri neque difficile intellectu videretur. Aliud enim est animam esse
 in corpore veluti eius formam, aliud est esse in amato per amorem.
 Christi vero cum unum et itidem, teste B. THOMA ⁽¹⁾, num-
 ero sit in coelo et in terra et in quolibet digne ipsum per Eucha-
 ristiam sumente, diversaque adeo loca occupet, absque fide quomodo
 id fiat percipi nequit. Ideo fide credimus et fatemur corpus Christi
 sacramentali modo esse in pluribus et diversis locis in quibus panis

⁽¹⁾ Gen. 22, 9-14.⁽²⁾ Cf. S. THOMAS, S. Th. 3, q. 76, a. 3.⁽³⁾ S. Th. 3, q. 73-83 passim.

est rite consecratus ⁽²⁾. Et licet hoc veri corporis rationi repugnet, qui de his rebus subtilius philosophantur ob id repugnare tradunt veri corporis rationi esse in diversis locis, quia corpus esse in loco dicitur quando superficie illud ambientis circumscribitur et commensuratur. Hoc autem sic fieri volunt quia substantia corpusque ipsum sub propriis dimensionibus ac sub propria quantitate continentur, per quam corpora naturaliter in loco esse dicunt. Unde proprie esse in loco eorum quantitati tribuitur qua loco commensurantur, corporalibus vero ex * consequenti quatenus sub quantitate continentur. Christi vero corpus in Eucharistia cum nullis subiiciatur dimensionibus, licet non carcat vera propriaque quantitate quae ex ipsa substantia consequitur et sine qua non potest subsistere, habet enim suam quantitatem et omnes partes iuxta partium ordinem in toto, licet non itidem in loco talis ei ordo partium contingat, nihil ob stare, aiant, quominus diversis simul esse locis possit, quemadmodum et anima rationalis tota est in toto corpore et in qualibet eius parte. Nam quia individua est et a mole quantitatis aliena quantitateque extensiva caret, non astringitur esse sicut locatum in loco sed sicut actus et perfectio. Unde tota in toto et tota in qualibet eius parte dicitur ⁽³⁾. Haud dissimiliter Christus totus est non solum in qualibet hostia sed etiam in qualibet ex eius parte sensibili quamvis haec praesentia integri Christi in diversis locis indivisibilis nobis sit. Unde non proprie adventum sed praesentiam appellamus. Non enim propter sacramentum Christum vere de coelo advenisse dicimus, sed repente per mutationem panis in corpus eius praesentem factum esse, coelo ob id nequaquam ubi pridem fuerat relicto, ut *Damasenus* ⁽⁴⁾ ait: « Quia consuetudo est, inquit, hominibus panem edere et vinum aqua mistum bibere; coniugavit eis divinitatem et fecit ea corpus et sanguinem eius. Non quod ipsum corpus quod assumptum est de coelo descendat sed quoniam ipse panis et vinum transit in corpus et sanguinem eius ». Haec *Damasenus*.

f. 201^v * Sed quoniam vix intelligere potuerimus qua nostri parte Christo per Eucharistiam naturaliter uniamur, et ipse qui nullo circumscribitur loco nobis itidem coniugatur, nisi compertum antea habeamus modum essendi corporis Christi in pluribus hostiis non repugnare aut potentiae divinae aut philosophicae rationi aut essentiis corporum iuxta naturae suae veritatem, similitudo illa adferatur quam *D. Thomas* quum hac de re disserit adferat ⁽⁵⁾: Quae est de verbo

⁽²⁾ Cf. *Conc. Trid.* sess. XIII, cap. 1 (DB. 874).

⁽³⁾ Cf. *S. THOMAS, S. Th.* 3, q. 76.

⁽⁴⁾ *De fide orthodoxa* l. 4, c. 13; PG. 94, 1144.

⁽⁵⁾ Cf. *S. Th.* 1, q. 34, a. 1.

quod ore profertur. Verbum namque, ut Augustinus inquit, accipitur pro verbo cordis, quod mente comprehenditur; et pro verbo oris, quod aure percipitur. Est autem aliud, quod scriptum legitur. Verbum cordis, quod mentis conceptus est, Filio Dei in sinu Patris assimilatur, quia Filius Dei Unigenitus a Patre numquam decedit sed est tamquam verbum quod semper menti immanet. Verbum autem scriptum Filio Dei carne vestito comparatur. At verbo oris idem ipse Dei Filius sub Sacramento similis esse videtur. Primum illud ubique est tamquam Deus. Secundum vero verbum proprie est in coelo ad dexteram Dei Patris tamquam in loco sibi proprio sicut verbum scriptum, quod in eo subiecto in quo scriptum fuit, tantum est. Tertium autem illud verbum oris, vel vocis verbo comparatur, quod sub Sacramento esse diximus, neque prohibetur in pluribus esse locis, videlicet ubicumque est panis consecratus, quemadmodum vox in aure omnium audientium est. Haec tamen similitudo ita accipienda est * ut humana divinis conferri possunt; quae cum tanto praestantiora sint quanto aeterna caducis non potest non esse valde dissimilis. Sed ut qui radios solis ab ipso sole proficiscentes propter oculorum imbecillitatem ferre nequeunt, in terram immissos validiore obtutu comprehendunt, ita quoque qui haec superadmiranda mysteria in nobis ipsis complecti non valeamus, his similitudinibus velut manu ducti ab ipsius veri solis divinum splendorem infirmos mentis nostrae oculos aliqua ex parte attulimus. Quamquam si fide perfecta et conscientia pura eximia adeo mysteria mente spirituque complecti conemur, infirmis humanae rationis futuris ad ea percipienda parum indigebimus. Sugeret nobis ipse Christi spiritus omnia quae scire oportebit atque omnem docebit veritatem. Cum igitur in ipsa coena novissima assidens Christus mensae suo proprio loco continebatur seque ipsum suismet manibus ferens in singulis partibus consecrati panis quas Apostolis sumendas exhibuit integrum eius corpus sacramentaliter continebatur, illae vero particulae omnes in diversis erant locis iuxta diversos pariter locos quibus Apostoli assidebant, quare nunc extra corruptibilium corporum naturam constitutus in diversis locis esse non poterit?

f. 202^r

Profecto sanctis doctoribus haud divini Christi corporis potentiae repugnare visum est, unum et idem omnino corpus in diversis locis sive eodem sive diverso tempore consecrari et in altari offerri. De hac igitur re aliquot ex veteribus Patribus iam audiamus * ac in primis B. Augustinum qui sic ait ^(e): « Per partes manducatur Christus et manet integer in coelo: per partes manducatur in sacra-

f. 202^v

^(e) Melius: PS.-VEN. BEDA, *In I Cor.* 10, 16; ed. Basileae 1563, t. VI, p. 479; cf. *Decretum Gratiani* c. 75, D. II, de cons.; PL. 187, 1772.

mento et manet integer totus in corde tuo. Totus enim erat apud Patrem quando venit in Virginem et implevit illam, neque recessit ab illo. Veniebat in carne ut homines eum manducarent, et manebat integer apud Patrem ut angelos pasceret ». Hieronymus ⁽⁷⁾: « Singuli autem, inquit, accipiunt Christum Dominum et in singulis portionibus totus est; nec per singulos minuitur sed integrum se in singulis praebet ». Gregorius ⁽⁸⁾: « Sicut divinitatis Verbi Dei est quae totum replet mundum, ita licet multis locis et innumerabilibus locis consecratur corpus, non sunt tamen multa corpora Christi neque multi calices sed unum corpus Christi et unus sanguis cum illo quod sumpsit in utero Virginis et quod dedit Apostolis. Divinitas enim Verbi replet illud quod ubique est, et coniungit et facit, ut sicut ipsa una est ita et unum corpus eius sit in veritate ». Unde animadvertendum est quia sive plus sive minus quis inde percipiat, omnes aequaliter corpus Christi integerrime sumunt, et generaliter omnes et specialiter unusquisque. Haud dissentit Hugo de S. Victore eximius quidem doctor scribens ⁽⁹⁾ « Quomodo, inquis, unum corpus eodem tempore in diversis locis esse potest? Hic est, ibi est, et totum utrobique est, et in multis locis similiter. Noli mirari; qui locum fecit corpus fecit, et locum in corpore et corpus in loco, et qui * fecit ut unum corpus in uno loco esset, fecit sicut voluit, et si voluisset aliter facere potuisset. Nam quando vult, aliter facit, et est sicut vult semper. Quia autem sic ipse fecit ut corpus unum in uno loco esset, tu quod factum est vidisti; nescis aliud nisi quod factum est et quod vidisti. Idecirco miraris quod aliud vides et audis quam videre et audire consuevisti. Ipse autem non miratur quando aliud facit quam quod facere consuevit; quia quando illud fecit, scivit tunc quod et aliter facere potuisset, si voluisset. Idecirco quum quid mirari coeperis et dixit tibi forte cogitatio tua quomodo haec possit esse, cogita facientem et desinet esse mirabile quidquid illud fuerit ».

Pie certe et erudite pius et eruditus vir considerat eundem et corpus fecisse et locum corpori et corpus in loco. Iam quidquid natura prius est altero, non oportet ut illud absoluta necessitate multiplicetur ob istius posterioris multiplicationem. Quare cum locus posterior sit et accidens corpori, non est cur locis pluribus existentibus idem omnino corpus non locetur. Nonne in evangelio Joannis Jesus

(7) Rectius: GREGORIUS, *Liber sacramentorum*, Praefatio Dom. V post Epiphaniam; PL. 78, 48.

(8) Ps. ALCUINUS, *De divinis officiis*, c. 40; PL. 101, 1263 (ubi allegatur Gregorius).

(9) *De sacramentis* l. 2, pars 8, c. 11; PL. 176, 469.

ad discipulos intrasse januis clausis legitur ⁽¹⁰⁾? Ergo corpus muri, et corpus eius simul fuerunt in eodem loco. Hoc ipsum etiam factum est cum egressus est uterus Virginis infans et quum surrexit nondum sublato monumenti saxo. Quod si in his omnibus ipse idem locus pluribus corporibus communicatus est, et plura corpora per divinam potentiam fuerunt in eodem loco, quid vetat quominus et uni corpori duo vel plura loca communicentur? Non quidem iuxta rationem qua sunt * a Deo condita, sed per miraculum et divinam potentiam quae f. 203^v nullis naturae legibus astringitur, sed super eas, quum vult, mirabiliter operatur. Profecto tanta est eius immensae potestatis vis ut idem corpus, si vellet, omnibus in locis constituere posset ut divinarum rerum nonnulli perscrutatores tradunt. Non tamen ob hoc eiusmodi corpus aequaretur illi divinae naturae conditioni qua Deus est ubique. Deus enim idipsum suapte natura habet et non ab alio. Illud vero corpus huiusmodi existentiam in omni loco solum ab alio haberet a quo prorsus in hoc penderet, nimirum a Deo huiusce operis auctore. Nam sola divina voluntas sufficiens et efficax est causa ut idem corpus in pluribus sit locis eodem tempore quemadmodum ipsius Christi est in Eucharistia. Non tamen ob hoc colligendum est simul esse in omnibus locis nondum enim hoc divinae voluntati placuit. Ergo id tantum hactenus voluit scilicet, ut extra coelum et apud nos sanctissimum illud Christi corpus non subsistat nisi modo sacramentali et in sacro Eucharistiae mysterio. Confirmat hoc Anselmus inquiring ⁽¹¹⁾: « Neque tamen naturam corporis Domini ubique esse dico, quia neque opus est nisi ubi vult et ubi fidei certo sacramento hoc operatur ad quod assumpta est et glorificata, mysterium scilicet salvationis humanae ». Et paulo post ⁽¹²⁾: « Sic ergo constat in diversis locis uno horae momento esse posse corpus Christi, sed lege creatricis naturae, non creatae. Cum autem naturae creatae natura sit creatricis naturae * legibus in omnibus obedire, si aliquando pacta sua resolvenda illi permittit qui ea instituit et ordinat non videri debet errare vel deviare ab ordine suo, maxime in illa natura quae in unitate personae coniuncta est illi Verbo per quod facta est omnis natura ». Haec Anselmus. Hoc ipsum haud alienum a ratione summis etiam viris videtur considerantibus omne quod ex diversis partibus compositum est, naturam veluti mediam componentium partium referre. Unde Filius quoque Dei divina et humana natura constans longe autem diversa a compositione ratione, quando nequaquam dicere oportet, compositum eum ab humanitate et divinitate, sed per assump-

f. 204^v⁽¹⁰⁾ Jo. 20, 19.⁽¹¹⁾ Hunc locum invenire non potui in genuinis Anselmi operibus.⁽¹²⁾ Idem.

tionem humanitatis et per unionem ipsius Filii ad eam. Quatenus verus est Deus ubique est, quatenus autem caro est, solum in uno loco. Sed quatenus Deus et homo simul est, medium utriusque locum tenet, hoc est haud ubique quod Dei est, neque in uno tantum loco quod carnis est, sed in pluribus locis est. Haec autem omnia quum similia sint, dissimilia revera divinis aptata mysteriis valde sunt. Quamobrem qui non sibi his ipsis aliisque quam plurimis quae a sacris doctoribus circa hanc difficultatem traduntur satisfactum iudicabit, animadvertat quid *Joannes Damascenus* sentiat quum sic ait ⁽¹³⁾: «*Quomodo fiet istud, dicit Virgo, quia virum non cognosco?*» Cui respondit angelus: *Spiritus Sanctus superveniet in te et virtus Altissimi obumbrabit tibi*; et nunc tu interrogas qualiter fiet istud? f. 204^r Dico tibi * et ego: Spiritus Sanctus superveniet hic et haec faciet quae sunt supra naturam et supra intelligentiam. Sufficere tibi debet exemplum Beatae Virginis quae per fidem quam verbis angeli adhibuit Filium Dei concepit ». Ceterum quorsum haec, inquires, adeo longa difficilisque de corporis Christi in pluribus locis consistentia disceptatio? Quid haec attinent ad intelligendum qua parte nostri praefata corporalis haec Christi unio nobis contingat? Multum profectum ut nonnullorum haereticorum nugas refutemus qui contententes Christum in coelis solum residere in terris neque vere a nobis sumi neque substantialiter nobis coniungi affirmant, neque permittendum esse asserunt ut absque magna necessitate absurdam rem omnique prorsus rationi repugnantem admittamus idem scilicet corpus in diversis locis eodem tempore esse quod ipsis in omni loco esse videtur, tum ut perspecta altius divina virtute qua corpus Christi verum nullis dimensionum quantitativae finibus circumscribitur licet quantitate non careat quae ex vera ipsius corporis substantia consequimur ut antea diximus.

Sublimior ac divinior de Christo per Eucharistiam nos sibi uniente cogitatio animum nostrum subeat. Nihil enim carnale, nihil corporeum, nihil denique naturale sublata ipsius Christi corporis et sanguinis vera substantia quae in hoc Sacramento continetur cogitandum esse nihil aequae monet atque ea divinae potentiae vis, sed f. 205^r invisibile nobis edendum praebet, qua ipsomet corpus * singulis sed indivisum distribuit, qua consumendum sed integrum post consumptionem mansurum tradit, qua denique unum et idem cum « sit et in coelo localiter est, ut *Innocentius* inquit ⁽¹⁴⁾, et in Verbo personaliter et sacramentaliter in altari » ut hoc ipso triplicem quoque, quem essendi modum Dei Filius secundum divinitatem

⁽¹³⁾ *De fide orthodoxa* l. 4, c. 13; PG. 94, 1142.

⁽¹⁴⁾ *De sacro altaris mysterio* l. 5, c. 44; PL. 217, 886.

habet, referat. Est enim primo in omnibus per essentiam. Secundo, in iustis per gratiam. Tertio in homine Christo per unionem. Longe igitur facta a piórum hominum ingenii crassitie, ablegatque procul magistri in Israel Nicodemi et Capharnaitarum carnea cogitatione, concludamus Christum nequaquam per Eucharistiam nobiscum ita coniunctum, ut eius virtus non egrediatur locum quem in nobis species sacramentales, sub quibus Christi substantia continetur, tantum occupant. At vero divina sua virtute substantialiter nobiscum uniri immiscerique per hoc divinissimum Sacramentum, simul ac in nostrum vere et realiter ingressus est corpus. Nam Domini corporis indivisi integrique virtus toti simul homini unitur ut antea expositum est. Neque vero quia caput in homine animae rationali unitur, ideo ubicumque anima est pes quoque est in quo ipsa etiam anima rationalis tota est. Ergo non ideo quia totum Christum per Eucharistiam in me manentem habeam totique Christi unione non spiritali modo sed substantiali etiam coniunctus sim, idcirco ubicumque Christus est et ipse ero. Nam quemadmodum haec unio sic intelligenda est ut maneat tam summentis * natura quam corporis Christi quod sumitur sine ulla mutatione, et nihilominus nos sibi uniat et in se eo quo diximus modo convertat, ita quoque eiusmodi unionis qualitatem intelligere oportet, quatenus videlicet naturae nostrae creatae congruere potest, non autem quatenus divinae creatrici potentiae convenit. Illius enim virtutis est simul et in eodem tempore diversis in locis esse et in diversis hominibus coniungi. Humana autem conditio singularis arcaenae artissimaque cum ipso coniunctionis capax tantum est.

f. 205^v

Explicuimus nos a difficili admodum quaestione, ubi, scilicet Christus nobis naturaliter coniungatur, neque loquuti sumus de eo modo quo corpus Christi est in calice vel in hostia. Quoniam quamvis esse in loco dicatur non tamen est ibi localiter secundum conditionem et commensurationem locati et loci, sub propriis videlicet dimensionibus neque sub propria quantitate sub quibus fuit panis; in nobis vero species panis et vini sub quibus Christi corpus continetur et localiter esse nihil prohibet. Et coniunctis eo modo nobis ipsis speciebus, suo modo coniunctum et ipsum Christi corpus sub aliena specie localiter dici poterit quemadmodum et frangi et consumi dicitur, qui neque frangi neque consumi potest.

CAPUT XXVII.

Quanto tempore duret praedicta unio et quo tempore coeperit.

f. 206^r Si tempus, quo nobis praefata naturalis unio reperitur, percipere volumus, id certe est quum vere et realiter ipsam Christi carnem edimus et verum eius sanguinem bibimus in Eucharistia, * quamvis quicumque fidelis baptizatus in voto, vel proprio, si adultus est, vel Ecclesiae, si infans, corpus Christi manducare dicitur ⁽¹⁾; ea tamen manducatio neque realis neque corporalis est quemadmodum et patriarcharum et prophetarum qui etsi futuram hanc carnem Christi crediderunt, corporalem ipsam haud quamquam participare potuerunt quando adhuc non erat ut alias latius tradidimus. Quare spiritualiter tantum participarunt quemadmodum et hi qui voto tantum communicant. Si quaeras tamen quanto tempore haec unio naturaliter maneat cum per eam aliquid de natura Christi nos habere, Hilarii, Cyrilli, Chrysostomique et aliorum Patrum sententia sit quibus aperte B. Thomas subscribit ⁽²⁾, dubium non est quin vis et virtus eius in nobis maneat quamdiu vivimus, si coniunctio spiritualis durat, ac per sanctarum Christi virtutum imitationem coniuncti ei sumus, aptam cum illo compagem atque substantialem quam cum ipso adepti sumus unionem servantem. Si vero de corpulenta Christi substantia scire velimus quamdiu carnaliter manentem in nobis habeamus, eundem ita sentio tamdiu isto pacto carnaliter in nobis manere quamdiu species ipsae panis et vini in nobis non mutatae manent. Advertendum tamen est non metiendum esse tempus naturalis nostrae cum Christo unionis cum hac specierum sacramentalium duratione. Nam quemadmodum pater semper remanet pater, postquam semel vitae causa filio extitit, uxor quoque et vir non desinunt una caro esse etsi .f. 206^v semel tantum carnaliter inter se sicut commisti, sic unitatis * naturalis dignitas cum Christo inita, quamdiu vita iusta, quae necessaria ad hanc cum Christo unionem maxime est, durabit. Neque enim omnes effectus cunctas causas ut integri conserventur praesentes integrasque exigunt. Hoc illud est quod verbis Dionysii Areopagitae toties iam allatis ⁽³⁾ docemur, « ita per hoc divinissimum Sacramentum Eucharistiae membra corporis Christi congrua nos effici, modo per vitae sinceriae ac divinae similitudinem compagine-mur, ne corruptentibus mortificati vitiis ad divina et sanissima membra incongrui efficiamur, ut qui haerere eademque vita vivere ne-

(1) Cf. S. THOMAS, *S. Th.* 3, q. 73, a. 3.

(2) *Supra, passim.*

(3) *De Ecclesiastica Hierarchia* c. 3, § 12; PG. 3, 443.

quaquam valeamus ». Aperte haec Dionysii verba nos membra effici corporis congrua declarat, quae ad Pauli sententiam *ad Ephes. 5* (4): « *Quia membra sumus corporis illius* », referenda sunt. Illa etiam ut qui haerere eademque vita vivere nequaquam valeamus. Graece ἀκόλλητοι καὶ ἀσόζωοι γενώμεθα utrumque a Christo dictum comprehendit « ἀκόλλητοι » incompatibiles: « *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem in me manet et ego in illo* » (5). ἄσόζωοι sine vita: « *Qui manducat meam carnem et ipse vivet propter me* » (6). Paulus etiam ex indigna corporis manducatione complures esse in Ecclesia *imbecilles et infirmos ac dormientes* ait (7): hoc est sine vita quam ii qui in Christo et in quibus Christus manet habent aeternam. Manendi ad haec verbum coniunctionem et unionem comprehendit, ut antea ostendimus, qua palmes viti, membrum corpori, corpus capiti, perficiens perfecto per vim et virtutem qua inter se communicant coniunguntur et uniuntur et vicissim in se manent. Communicatio enim spiritus et carnis Christi mansio et incorporatio quaedam est, ut Cyprianus ait (8), quae ab eo homine et Deo in nos totos spiritu et corpore * constantes penetrat. Idem quoque Cyrillus in *Joannem* aperte assertit dicens (9): « *Sicut parum fermenti ut Paulus ait* (10), *totam massam fermentat*, sic et parvula benedictio totum hominem in se attrahit et sua gratia replet, et hoc modo Christus in nobis manet et nos in Christo ». Si quis autem ex adverso steterit ac dixerit, in eo quoque qui digne Eucharistiam accipit non manere corpus Christi corruptis speciebus panis et vini et subinde dissolvi hanc naturalem unionem, animadvertere oportet Christum esse Deum et hominem, qui quidem sicut ubique est immensive secundum divinitatem, ita est ubique virtute et potestate secundum humanitatem quae est instrumentum coniunctum per Dei Verbum divinitati. Etenim sicut ad universa opera gratuita quae Christus quatenus Deus operatur in iustificandis et glorificandis electis concurrunt Sacramenta a Deo instituta tamquam remota quaedam instrumenta, ita concurret ipsa Christi humanitas tamquam instrumentum sibi personaliter coniunctum ad universa illa opera perficienda, ex quo confertur quod sicut Christus quatenus Deus manet semper unius specialis quodam et eminenti modo ei qui digne Eucharistiam communicavit quamdiu in gratia Dei perseverat, ita et secundum quod homo

f. 207^r(4) *Vers. 30.*(5) *Jo. 6, 56.*(6) *Jo. 6, 57.*(7) *I Cor. 11, 30.*(8) *Ps. CYPRIANUS, De cena Domini, Cypriani opera ed. Coloniae Agrippinae 1617, p. 273 B.*(9) *In Jo. 1. 4, c. 2; PG. 73, 583.*(10) *I Cor. 5, 6.*

- f. 207^v quamdiu manet in sumente digne, non corruptis speciebus, ineffabiliter ac naturaliter secundum corpus in eo manet eum fovens et perficiens; ita corruptis speciebus cum corporaliter ibidem desinit esse, manet in eo specialiter virtute et potestate ac efficacia ab ipsa Christi humanitate reipsa in hoc Sacramento contenta, eundem fovens atque perficiens. Attingit * enim humanitas Christi tamquam instrumentum eius divinitatis ad universa opera quantumvis varia atque distantia quae ad gratificandos et iustificandos electos pertinent, ad quae proferuntur ⁽¹¹⁾. Ita demum fit ut Christus sit omnia in omnibus utpote vera Dei sapientia *atingens a fine usque ad finem fortiter et disponens omnia suaviter* ⁽¹²⁾. Ergo hac in re nihil aliud addere opus est quam quod si nosse desideras tempus quo primum hac coniunctione corporali homines participare coeperunt, dicendum esse ab ea ipsa hora qua Christus corpus suum Apostolis manducandum dedit, auctoritate etiam ipsis concessa id deinceps quoties ipsis videretur consecrandi communicandique alios eadem auctoritate in alios transferendi quae usque ad consummationem saeculi duratura est; immane quam mirabilis divina sapientia in omnibus suis operibus apparuit, neque ante neque post sed ipsa passionis et transitus sui hora, ut inquit D. Algerus ⁽¹³⁾, sacramentum corporis sui dedit et sanguinis, ut unde dabat exemplum daret etiam mysterii exordium quatenus memoriae nostrae arctius passionis suae characterem imprimeret spei nostrae certius transitus fuit et nostri vaticum delegerat cum illud sicut primum primum, sic in extremo temporalis vitae suae sub Novi Testamenti assignatione daret extremum. Testamento enim sanguinis sui, data redemptione et peccatorum remissione, pactum quod habebamus cum morte delevit, vitae aeternae foedus nobiscum pepigit, et tanti sacramentum testamenti ad conferendam sibi sanctam
- f. 208^r Ecclesiam in commune omnibus reliquit, ut * unde habebamus gustum in via societatem quaeramus in patria et ipsum per ipsum inveniamus quum in manifesta sua apparuerit gloria. Quum enim corpus Christi sumpserimus et corpus eius facti fuerimus, transibit ipse in nobis ad Patrem, transibimus et nos in illo ut cum illo tanti in transitu labore unum facti unum semper simus in perventionis gaudio. Adde quod eximiis nonnullis theologis visum est ideo ante mortem suam Christus corpus suum edendum et sanguinem suum bibendum dedisse ut una secum corpus suum quod est Ecclesia naturali unitate sibi per sacra haec dona copulatum Patri offerret. Quamdiu igitur saeculum durabit, Christus in Ecclesia se futurum promisit, quamdiu etiam per corporalem praesentiam erit tamdiu corporalis quoque coniunctio permanebit.

⁽¹¹⁾ Cf. S. THOMAS, *S. Th.* 3, q. 56, a. 3 et alibi pluries.

⁽¹²⁾ *Sap.* 8, 1.

⁽¹³⁾ Cf. *De sacramentis corporis et sanguinis dominici*, l. 1, c. 7; PL. 180, 759.

CAPUT XXVIII.

An sub certo aliquo situ sit haec coniunctio.

Superest perscrutari an sub certo quodam situ in corpore nostro haec naturalis coniunctio esse perhiberi possit, quamque ex antea dictis satis patere potest certum corpori Christi situm in nobis adscribi non posse. Siquidem neque sub Sacramento situs aliquis indubitatus ei assignatur cum conversio quae in eo fit tantum transubstantialis substantiae sit, substantiae, inquam, a naturali quantitate et dimensionibus extensivis alienae in hoc Sacramento. Nam propria * quantitas et aliae propriae dimensiones accidentiaque propria quae ipsius corporis Christi in Sacramento esse asseruntur sunt per concomitantiam ut anima rationalis et ipsa divinitas quae ipsam Christi substantiam concomitantur, neque aliter locum situmve occupant quam ipsa substantia. Sunt tamen qui, eo quod maneat sub quantitate et dimensionibus quae ante transubstantiationem inerant ipsi panis, quia accidentia non mutantur, situm sub hostia adscribunt quemadmodum est in caelo ad dexteram Patris. Cum enim Deus Pater sit ubique, ubicumque est corpus Christi ad dexteram Dei sedet. Sed haec quoniam sine fidei periculo disputantur, argutis disceptationibus relinquamus, et quomodo haec coniunctio se habeat quoad habitum breviter despiciamus ut sic huic parti finem imponamus. f. 208^v

CAPUT XXIX.

Quomodo se habeat quoad habitum.

Ecclesiae Catholicae fides corpus Christi gloriosum veraciter sub Sacramento esse tenet, vereque in habitu gloriae in eo esse profitemur. Hunc tamen habitum corporis oculis comprehendere non posse, idque mente. Nam cum neque humanus sensus nec intellectus quidquam cognoscant nisi per aliquam speciem sensibilem aut intelligibilem, impossibile plane est increatam Dei essentiam aut gloriosum eius corpus in Eucharistia ab homine quamdiu in hoc exilio est aut sensu * aut intellectu comprehendere, quum nullius generis species producat. Quamobrem donec lumine gloriae in patria intellectus noster velut informetur ibique Deo perfecte coniungatur, praedictae naturalis coniunctionis habitum fide tantum complectitur. Aut dicemus non esse forsitan necesse Christi corpus sub aliquo habitu in Eucharistia esse, quemadmodum nonnullis visum esse diximus, neque sub aliquo f. 209^r

situ corporali esse. Nam substantiae, quatenus substantia est, nullus competit habitus (1).

Absolvimus de qualitate praedictae naturalis unitatis inquisitionem quantumque in nobis fuit, qualis haec cum Christo corporalis naturalisque coniunctio appareat, pro mysterii difficultate disseruimus. Qua de re subtiles quotidie in scholis disputationes fiunt. Quare ad propositam huius operis ultimam partem deveniamus implorato ante Divini Numinis auxilio, cui honor in saecula saeculorum. Amen.

(1) Cf. S. THOMAS, *S. Th.* 3, q. 76, a. 7.

LIBER QUARTUS

de vera et naturali quadam unitate quam per dignam
Eucharistiae sumpcionem fideles cum Christo consequuntur



CAPUT I.

Prooemium.

Devenimus ad eam instituti operis partem, quae si accurate diligenterque a nobis exponatur, non dubitamus quin magnam tum lectorum mentibus lucem, tum ingentem piorum hominum conscientiarum utilitatem pietatemque allatura sit. Nam ea res vere sciri dicitur cuius causae cognoscuntur; inter causas vero eam cuius gratia aliquid est, demonstrationi aptiorem philosophi maximi semper iudicarunt ut quae omnes reliquarum causarum quaestiones ambiat. Quare non potest non magnopere rem de qua quaeritur declarare atque magnam etiam utilitatem adferre cum finem optimum attingere cunctis optimum sit, finis autem ille melior habetur qui et perfectior est, perfectior vero est is, quo adepto, non alio indigemus. Unde nulla profecto aut maior aut solidior in hac vita utilitas habenda est, quam quae nos Deo summo rerum omnium conditori perfecte coniungit, eiusque coniunctionis accurata constansque cognitio, quae exacte haberi nequit nisi cuius gratia fiat accurate intelligatur. Quantum vero fructum * pii homines percipiant ex hac cognitione quae non solum f.210^r mente concipi, sed voluntati infigi penitus debet, superioribus libris satis, ut arbitror, explicatum a nobis est et res ipsa aperte loquitur. Illud tamen in primis monere oportet ut tam is qui de tanto mysterio est dicturus, quam qui aptus futurus est auditor, contagio damnatae vetustatis ante omnia exuatur ut efficiatur corpus Christi; quia et Christus, ut ait Leo Papa (1), corpus est hominis et omni humilitate et vera fide instructus divinam majestatem sibi precetur ut excussa humanae mentis caligine, Spiritus Sancti illustratione tam sublimia et sacrosancta Sacramenta cernatur, ad quae numquam aliter patuit aditus. Precor itaque toto pectore, et pronus obnixè Dominum nostrum Jesum Christum oro, ut detur mihi sermo in aperitione oris mei ad notam cum fiducia faciendam causam, cuius gratia ipse Christus Jesus adeo intime quos sibi recta fide caritateque copulavit, corporaliter etiam indivulseque per sacrorum mysteriorum piam manducationem sibi univit.

Ante vero quam quaestionem ipsam aggrediar non inutile fore existimo nonnulla in memoriam breviter revocare, quae non parum

(1) *Epistola Flaviano Constantinopolitano (tomus Leonis)*, n. 161; ed. C. Silva-Tarouca, Romae 1932, p. 30.

nostrae lucubrationi conferent. Ex sacris veteris instrumenti libris ⁽²⁾ habemus quemadmodum Deus hominem creavit corpore quidem terreo, anima vero Dei imaginem referente, qui in coelum suo tempore transferendus erat ut gloriae lumine perpetuo frueretur, nisi invidia fraudeque diaboli deceptus Deo inobediens extitisset. Ergo inobedientia peccatoque suo in mortem a Deo ipso divina lege ei irrogatam

f. 211^r * incurrit atque mortem in omnes innexit, ac damnationi animae iugoque ac tyrannidi diaboli obnoxius est factus. At vero quum malum non potuerit esse potentius quam bonum, Deique bonitas Sanae malitia multo praestantior sit, novit enim optime *regius ille vates* ⁽³⁾ non vane Deum constituisse omnes filios hominum, non potuit diabolica nequitia divinum de beando homine consilium infringere. Quin quod diaboli invidia ad hominis interitum excogitavit, in ipsius hominis maius tum commodum tum dignitatem divina benignitas divina etiam lege servata transtulit. Nam inenarrabili ac immensa Dei misericordia, integra quoque ipsius Dei veritate ut hominem quem, ut dictum est, ad imaginem Dei primo conditum mente spirituque sibi coniunxerat, diaboli vero iniquitas longe a se fecerat atque ex Dei filio Sanae mancipium reddiderat, ad divinae majestatis consortium restitueret, ac non solum mente spirituque quod prius fecerat sibi coniungeret, verum corpore quoque unum secum efficeret, humanam naturam sumpsit, « auctorque ipse atque effector generis nostri, ut *Dama scenus* inquit ⁽⁴⁾, propter viscera misericordiae suae factus homo, nobis in omnibus, peccato excepto assimilatus est et naturae nostrae coniunctus. Cum enim propriae nos imaginis propriique spiritus participes effecisset quae nos minime conservavimus, egenam ipse atque infirmam nostram naturam suscepit ut nos mundaret immortalesque redderet et divinitatis suae rursus consortes constitueret ». Ob hoc ergo atque ut suae humanitatis participes efficeremur, carnem ex purissimis * Virginis visceribus opera Spiritus Sancti accepit; qua pro omnibus in mortem datam Patri suo sacrificavit, ut *Athanasius* ait ⁽⁵⁾, quod est cunctorum vita caputque, in quo noster sanguis et nostra caro est. Cuius etiam caro et sanguis in nobis quoque vicissim est omnibus, ut eius membris morientibus lex de morte hominum a Deo lata, divina illaesa veritate cuius verbum in aeternum manet, tolleretur, carneque nostra immunda ac mortua carni eius mundae ac vivificatrici per Eucharistiam commista. Sic ergo homo non tantum Dei imago ut a prin-

⁽²⁾ *Gen.* 1, 26.

⁽³⁾ *Ps.* 88, 48.

⁽⁴⁾ *De fide orthodoxa* l. 4, c. 13; PG. 94, 1138.

⁽⁵⁾ Cfr. *Oratio 1 contra Arianos*, 42-43; PG. 26, 97-102; *Oratio 2 contra Arianos*, 69; PG. 26, 293-297.

cipio creationis mansit, sed Christus quodam mirabili modo effectus est citra tamen utriusque essentiae conversionem aut confusionem. Unde et christianorum nomen deductus **Theodoretus** tradit ⁽⁶⁾ quia accipit carnem Domini nostri Jesu Christi, qui consors est divinitatis et corporis divinae eius substantiae in illo participat alimento, ut **Augustini** ⁽⁷⁾ et **Lanfranci Cantuariensis Episcopi** ⁽⁸⁾ verbis utar.

Cessit igitur in melius naturae humanae invidia et dolus diaboli. Nam quae ab eo alienata fuerat iam summo Dei beneficio non tantum spiritaliter sed corporaliter etiam divinum esse participat. Noverat optime male eruditus Satan finem felicitatemque hominis consistere in perfecta eius ad Deum assimilatione, per quam suo tempore in ipsius gloriae participationem accersendus, suoque principio nexu interrupto coniungendus erat; ideoque ut sublimi gradu divinae imagine in qua a Deo homo conditus fuerat, eum deiceret, ut Deo non obtemperaret, persuasit, et similitudinem hanc pollicitus est inquis ⁽⁹⁾: « *Scit enim * Deus quod in quacumque die comederitis ex eo aperientur oculi vestri et eritis sicut Dii* ». Mendacium a patre mendacii in perniciem hominis confictum, in totius hominis salutem ipsamet veritas convertit ut iam dictum est. Nam Unigenitus Dei Filius per carnis sumptionem factus homo, in cibum qui non Deo similem tantum sed Deo quodammodo posset hominem efficere seipsum homini dat, salutem nempe ex inimicis nostris adferens. Ergo quae prius imago spiritus tantum fuerat iam spiritus et corporis pariter similitudo et unitas quodammodo fit.

Totius ergo huius arctissimae naturalisque cum Christo coniunctionis non aliud Dei consilium extitit quam ut Deitas Patris omnia excedens, cum qua humana natura ex se communione habere non potest, ut inquit **Cyrillus** ⁽¹⁰⁾, per Filium in Spiritu Sancto ad nos transeat, nemoque a participatione suae bonitatis repellatur. Ergo cum non minus magna et ineffabilis eius bonitas quam deitas sit omnibus se proponit, sic aperte ostendens velle ut omnes se fruantur ut singuli possunt; promittit etiam habiturum se in nobis et in filios adoptaturum; et quem suae deitatis praestantia imparticipabilem nobis reddit, eiusdem immensa bonitas et inenarrabilis clementia participabilem efficit. Patris itaque participatio per Filium, eodem **Cyrillo** auctore ⁽¹¹⁾, in Spiritu decenter et proprie fit,

⁽⁶⁾ Hunc locum reperire non valui. Quid simile apud **HESYCHIUM**, *In Lev.* 8, 13: PG. 93, 871-872.

⁽⁷⁾ Rectius: **AMBROSIVS**, *De sacramentis*, I, 6, c. 1; PL. 16, 475.

⁽⁸⁾ *De corpore et sanguine Domini* c. 18; PL. 150, 432.

⁽⁹⁾ *Gen.* 3, 5.

⁽¹⁰⁾ Cf. *In Jo.* I, 11, c. 11; PG. 74, 558-562; *In Jo.* I, 9, c. 1; PG. 74, 279.

⁽¹¹⁾ Cf. *In Jo.* I, 11, c. 11; PG. 74, 554; *In Jo.* I, 1, c. 5; PG. 73, 79-86.

f. 212^v ut et sole per splendorem, qui ex eo immittitur, nec sine calore participamus, qui imaginem operationis Spiritus Sancti gerit. Nam quemadmodum non potuit homo ad imaginem et similitudinem * Creatoris nisi Spiritu Sancto participaret, sic absque eiusdem Spiritus participatione ad imaginem pristinam similitudinemque restitui non potuit. Neque enim Deus in homine Spiritus Sancti experte manet. « *Qui servat mandata eius, inquit Joannes (12), in ipso manet et ipse in eo, et cognoscimus quod manet in nobis ex Spiritu quem dedit nobis* ». Si ergo servantes mandata Spiritu Sancto participamus, quo participantes ad imaginem Creatoris reformamur, perspicuum est non posse hominem Deo assimilari nisi quodam modo ipsi participet. Hinc Salvator hominem renovaturus insufflavit in Sanctos Apostolos dicens (13): « *Accipite Spiritum Sanctum* » nimirum quem statim, ut creatus est homo, a Deo accepit quum Dominus spiravit in faciem eius spiraculum vitae et factus est homo in animam viventem. Spiraculum enim illud a Deo profectum et vitam homini congruentem et Spiritus divini participationem praebebat.

Et quoniam divinam naturam atque imaginem homo participatione assequutus est, participatione quoque ad coelestis Patris imaginem reformatur. Igitur acquisita in nobis est, non naturalis deitas. Quod ergo acquisitum est quia prius non habebatur sed postea contigit atque accessit, amitti facile potest. Sic primo homini evenisse scimus; qui sua praevericatione atque inobedientia quum de vitio fructu gustavit, divinam illam Dei imaginem quam spiritus ipsius participatione habuit, amisit, et Deum ipsum in se manentem a se expulit, ut haec duo damna repararet Dei Filius homo factus, Christus f. 213^r Jesus propter * unionem humanae naturae cum viventi et coelesti verbo communem quodam modo rem posuit, ut Cyrillus ait (14), in dispensatione cum carne. Exsufflavit enim in Apostolos corporaliter dicens « *Accipite Spiritum Sanctum* ». Et, non ex mensura dat; « *Habet enim spiritum sine mensura* », iuxta Joannis testimonium (15), sed ipse ex se immittit quemadmodum et Pater. Ergo humanitate et divinitate pariter ad sanandum hominem totum peccato mortuum utitur. Nam non in solo hoc vivificare nos voluit quod particeps est Spiritus Sancti, sed et manducabilem quoque apposuit assumptam carnem Filii hominis. In hanc sententiam inquit Dionysius (16): « *Neque divina ut Deus, neque humana ut homo perficiens, sed Deo homine facto novam quamdam atque inusitam ex divinitate atque humani-*

(12) Jo. 15, 10; I Jo. 3, 24; 4, 13.

(13) Jo. 20, 22.

(14) De recta fide ad Theodosium Imperatorem, c. 37; PG. 76, 1187.

(15) Jo. 3, 24.

(16) Ep. 4 Cajo Monacho, PG. 3, 1074.

tate permistam operationem nobiscum quidem conversatus ostendit ». Hinc idem qui Spiritum Sanctum dat inquit ⁽¹⁷⁾: « *Amen amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem filii hominis et biberitis eius sanguinem non habebitis vitam in vobis. Ego sum panis qui de coelo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane vivet in aeternum. Et panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita* ». Quamvis caro manifeste de Virgine sumpta non descenderit de coelo, verum, ut idem Cyrillus ⁽¹⁸⁾ est auctor, qui Verbo Dei unita est qui de coelo venit, de coelo etiam caro venisse secundum dispensativam unionem dicitur. Rursus subiicit: ⁽¹⁹⁾ « *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem in me manet et ego in eo* ». Hac ergo carnis suae manducatione et sui sanguinis * potu, ad imaginem Dei et immortalitatem perfecte omnimoda similitudine eum referentes redimus atque in ipso carnis suae participes facti manemus, et ipse in nobis; quem, ut dictum est, manducantes prohibitum pomi esum a nobis morti et corruptioni obnoxii eleceramus. f. 213^v

Ceterum quia in nobis singulis qui individuis differentibus substitimus, corporaliter manere non potest qui integer et indivisus ad dexteram Patris sedet, suam unitatem signanter in Eucharistia multiplicat ut nobis eam distribuat per sacra haec corporis et sanguinis sui mysteria. Ergo digna Eucharistiae sumptio causa est societatis naturalis et unitatis cum Christo; qui cum in assumpta carne de Virginis utero solius unius hominis naturam sibi univit, ut saepius dictum est, hac via singulos homines naturaliter sibi connectit atque ut personali carnis ad Verbum unione Verbum carnem factum esse ostendit per inhabitantem ipsius Spiritum in nobis; ac per naturalem hanc singulorum hominum cum ipsius vivificatricis vere carnis per hoc Sacramentum sibi coniunctorum connexionem, totum hominem in Deum rapi ac transformari docet. Hinc Paulus Christi corpus Christum ipsum appellat, ut antea diximus, et iam non se sed Christum in se vivere palam testatur tamquam in Christum conversus unusque spiritus cum eo cohaerens membrumque corporis eius de carne et de ossibus eius existens ineffabili quadam compage. Haec si attentius consideraverimus spirituque illo non caruerimus, qui *profunda* * *Dei scrutatur* ⁽²⁰⁾, qui ad eius imaginem et similitudinem nos reformat perspicue intelligemus quam verae solius immensae Dei sapientiae ac ineffabilis eius bonitatis opus fuerit humanam naturam Filium Dei assumere ut per eam Deus, qui incorporeus erat, conspicuus fieret. Ait enim ⁽²¹⁾: « *Qui* f. 214^r

⁽¹⁷⁾ Jo. 6, 53 et 51.

⁽¹⁸⁾ Cf. In Jo. 1. 11, c. 11, PG. 74, 554.

⁽¹⁹⁾ Jo. 6, 56.

⁽²⁰⁾ I Cor. 2, 10.

⁽²¹⁾ Jo. 14, 19.

videt me videt et Patrem meum: » et rursus eandem quam assumpserat naturam distributionique repugnantem, beneficentissima sua clementia sub panis et vini speciebus praepotenti sua potentia ut dividi distribuique possit efficit, ut singulos hoc modo membra corporis sui de carne et de ossibus eius sibi congrua faciat, inque nobis secundum substantiam et naturam naturaliter maneat, nosque in ipso, ut fit, quum virtute parvulae benedictionis totus homo in Christi attrahitur eiusque gratia ac vi a vera sui corporis substantia in animam et corpus nostrum transmissa repletur.

His cognitis, magna ex parte sparsa videntur esse semina ad eam quaestionem indagandam quam in hoc libro exploraturos nos antea polliciti sumus, cuius videlicet gratia praefata naturalis unitas, coniunctio nimirum arcana artissimaque cum ipso Christo nobis necessaria Christoque ipso digna sit. Admoneri etiam his ipsis, ii potuerunt, quantae sit virtutis corporalis de qua agimus cum Christo coniunctio, quantumque nostra intersit hoc etiam modo Christo copulari. Sunt enim nonnulli qui parvum admodum fructum nobis adferre aiunt naturalem hanc coniunctionem; neque esse censent quidquam in ea cur a nobis adeo * decantetur. Utinam ii ex illorum numero non sint quos Paulus ⁽²²⁾ infirmos et imbecilles dormientesque ac indigne corpus Christi manducantes vocat, pro quibus *Basilii Magni* in sua Liturgia precatur inquis ⁽²³⁾: « Neminem nostrum Deus noster reum facias horribilium videlicet istorum coelestium mysteriorum, neque infirmum anima et corpore ob indignam eorum susceptionem ». Sed ut luculentius appareat quanta eiusmodi coniunctionis vis et virtus sit, adferantur rationes aliquot, quarum quidem omnis scopus est ut cuius gratia praefata naturalis unitas sit dilucidius ostendant.

CAPUT II.

Prima ratio: Unio naturalis de qua agimus praestat ut nostra unitas cum Christo, ac Christo mediatore cum Deo perficiatur, eoque ipso artissimo et ineffabili quodam nexu cum Patre et Spiritu Sancto uniamur.

Secunda ratio: Item ut Christus homo et Deus homini anima et corpore constanti, spiritu et corpore coniungatur: animae quidem ut Deus, corpori autem ut homo: eoque ipso duplici nexu ipse Christus sibi nos coniungat qui uno tantum Deo, Spiritu videlicet copulamur.

⁽²²⁾ 1 Cor. 11, 30.

⁽²³⁾ *Liturgia S. Basilii*; ed. BRIGHTMAN, *Liturgies Eastern and Western*, Oxford 1896, v. I, p. 338, n. 25-30.

Tertia ratio: Item ut sanctum coniugium inter animam nostram et Christum * eius sponsus quod per baptismum contrahitur, per corporalem cum ipso coniunctionem perficiatur, ac non tantum contractum voluntatis consensu sit, sed etiam velut carnali copula consummatum dum per hoc Sacramentum una caro sponsa cum sponso sit. f. 215^r

Quarta ratio: Item cum mystici sui corporis membra mente et spiritu Christo incorporata uno pane vescentia, uno calice participantia arctissimo unitatis nexu inter se invicem conglutinentur.

Quinta ratio: Item ut in eo sacrificio quod Deo acceptissimum offerimus, nosmetipsos non spiritu solum, sed etiam corpore Filie eius Unigenito insitos, gratam quoque Deo hostiam, carnem scilicet nostram peccato mortuam carni Christi mundae unitam atque unum cum ea effectam offeramus.

Sexta ratio: Item ut naturae humanae dignitatem quam in divinae personae unitatem tractam adeo extulerat, nobis vivificae suae carnis pretiosique sanguinis eius per Eucharistiam communionem corporaliter sibi unitis, singulariter communicaret.

Septima ratio: Item ut nihil in nobis ex Adae massa infectum remaneat, quod congruenti remedio non curetur atque sanctificetur *. f. 215^v

Octava ratio: Item ut quos diaboli perversitas a Deo separatos procul obduxerat, Christi benignitas ipsi Christo omni separatione exclusa conglutinet.

Nona ratio: Item ut arctiore corporis sui coniunctione ipsi spiritualiter coniunctos uniat, quam qua secundum communem carnis humanae proprietatem sceleratus quisque ei communicat.

Decima ratio: Item ut carni nostrae vim ac virtutem vivificativam peculiari huius Sacramenti ratione insereret, quae quasi semen quoddam ab ipsa gratia sacramentali in corpus per animam insparsum in ea esset, quod ad immortalitatem et incorruptionem corpus nostrum praepareret atque renovaret.

CAPUT III.

Probatio prima.

Unio naturalis de qua agimus praestat ut nostra unitas cum Christo, de Christo mediatore, cum Deo perficiatur, eoque ipso arctissimo et ineffabili quodam nexu cum Patre et Spiritu Sancto uniamur.

Duo nobis hic consideranda sunt: alterum ipsa unitatis perfectio per hoc Sacramentum cum Christo nobis praestita, alterum arctissimus ille ineffabilisque nexus qui per Christum * Deo Patri ac Spiritui f. 216^r

Sancto nos unice copulat. Primum quidem ipsius Eucharistiae nomen satis docet: vocatur enim *σύναξις* a Graecis, a Latinis vero coadunatio et communio dicitur. Quare autem *σύναξις* vel coadunatio et communio dicatur, quare etiam perficiat hoc sacramentum unitatem cum Christo, Dionysius ille Pauli discipulus, quem Damascenus theologorum maximum vocat, exponit quum inquit ⁽¹⁾: « In fine omnium Hierarcha ad sacratissimam Eucharistiam vocat eum qui est sacris initiatus ac perficientium mysteriorum eum donat ». Ecce perficiendi vim habere Eucharistiam ait; quod statim ipsemet Dionysius disertis verbis declarat ⁽²⁾: « Sed benefactum, quod eius mentionem fecimus, quae praetermissa mihi nefas est, aliquid aliud eorum, quae pontificis propria sunt, ante illam laudibus ornare. Est enim clarissimi praeceptoris nostri sententia: Sacramentum omnium praestantissimum; debetque is qui eam ante cetera sacra descriptione exposuerit ex divina, quemadmodum Sancta Scriptura tradit, pontificiaque scientia ad sacram eius contemplationem cognitionemque divino spiritu duci et ascendere. Atque hoc primum quidem sancte videamus, cur nomen, quod etiam aliis hierarchiae Sacramentis commune est, ei praecipue prae ceteris attributum sit, ac praerogativa quadam et communio et synaxis, id est collectio nominata, cum unumquodque Sacramentum etiam divisa secretasque vitas nostras in unum illum statum quo Deo coniungimur colligat, divinaque divisorum connexionem nobis eius quod unum est societatem et, ut ita dicam, * unionem impertiat. Nos quidem sic statuimus aliorum signorum quae pontificio muneri attributa sunt, communionibus perfectionem atque efficacitatem ex divinis huius perficiendique vim habentibus donis accedere. Neque enim fere licet ullum Sacramentum perfici hierarchici muneris nisi divina Eucharistia et initio illorum quae singillatim perficiuntur, eius, qui initiatus est, cum unum coniunctionem collectionemque sancte efficiat et divinitus tradito Sacramentorum perficiendi vim habentium munere, eiusdem cum Deo operetur societatem ac communionem. Quod si unumquodque Sacramentum eorum quae pontificis munus attingunt inchoatum manens nostri cum uno coniunctionem communionemque non perficiet, nomenque Sacramenti quod minus perfectum sit amittit, finis autem unicuique propositus atque summa est divinatorum mysteriorum Sacramentorum cum eo qui initiatur communio, iure ac merito pontificia prudentia proprium ei nomen invenit ex rerum veritate ».

Idem Dionysius cap. 3 caelestis hierarchiae ⁽³⁾ sic ait: « Illud quoque sacratius intueri quod impositis sancto altari venerabilibus

⁽¹⁾ De Ecclesiastica Hierarchia, c. 2, § 8; PG. 3, 403.

⁽²⁾ De Ecclesiastica Hierarchia, c. 3, n. 1; PG. 3, 423-426.

⁽³⁾ Rectius: De Ecclesiastica Hierarchia, c. 3, § 9; PG. 3, 438.

signis per quae Christus et signatur et sumitur, idest protinus ac incunctanter sanctorum descriptio, coniunctionem eorum individuum unionemque cum eo altissimam et sacratissimam indicans ». Ac paulo post, postquam tradidit arcissimam communionem nobis cum Christo per haec sacra mysteria addit (4): « Nobis enim si eius societatis cupiditate ducimur, divinam vitam, quam * ut homo egit, proponere debemus; et eius in non peccando imitatione ad divinum integrumque statum currere. Hoc enim nobis pro captu nostro societatem cum simili concedet. Haec pontifex iis quae sancte perficiuntur significat, dum obiecta quidem munera ostendit. Quod autem in eis unum est, in multa dividit; et summa eorum quae distributa sunt, cum iis, in quibus fiunt coniunctione illorum socios efficit eos qui illa sumunt. His enim Jesum Christum dum eum subiicit oculis, qui est vita nostra, quasi in signo describit et designat sensuum iudicio ex eo quod in divinitate obstrusum est, absoluta ac non confusa humanitatis nostrae assumptione pro sua humanitate nostri generis ac speciei factum; et ad id quod dividuum concretumque habemus, sine commutatione ab eo quod natura unum est profectum; ac pro sua benigna humanitate genus hominum vocante ad sui honorumque suorum communionem si modo divinae eius vitae coniungamur illius quam praestare possumus imitatione, atque hoc modo vere in Dei divinarumque honorum societatem communionemque veniemus ». Ex his Dionysii verbis et indivisa in se Christi unitas et omnium membrorum inter se distinctorum Christo tamen coniunctorum unio naturalis abunde explicatur dum individui panis et singularis calicis in plura divisionem ipsemet Dionysius significare tradit, ut qui indivisus et integer est iuxta modum quo in plura dividi atque distribui posset divinae sapientiae ac bonitati congruentem singulos homines sibi perfecte uniret filiosque dispersionis divisos (5) in unum secum corpus per * unitatem quae in hoc Sacramento secundum naturam est, sine aliqua sui divisione redigeret.

Ceterum quoniam nemo est qui et unire et perficere ipsam Eucharistiam neget, naturali tamen hoc perfici coniunctione haeretici negant et nonnulli catholici dubitant, ostendendum superest Dionysium de naturali unitate intellexisse quemadmodum Hilarius, Cyrillus, Chrysostomus, et plerique alii intellexerunt (6). Atque in primis S. Maximi interpretationem praetermittamus, quam saepius antea recitavimus, ac Lincolniensem Episcopum (7) qui ipsum Dionysium interpretatur, audiamus. « Omnis, inquit, alia telete, virtutem huius-

(4) *De Ecclesiastica Hierarchia*, c. 3, § 12-13; PG. 3, 443.

(5) Cf. *Jo.* 11, 52.

(6) Testimonia supra allata sunt, passim.

(7) Haec Lincolnienensis (nempe ROBERTUS GROSSATESTA, de quo supra, p. 72) verba Mendoza exscribit ex THOMA WALDENSI, *Doctrinale de Sacramentis*, c. 25; Venetiis 1758; col. 557.

modi congregationis et reductionis ad Dei communionem et perfectionis ab hac telete suscipit; quae primo per se et principaliter est nostri ad Deum congregativa et communicationis ipsius effectiva. In hac enim telete est vera caro nostri Salvatoris, quam assumpsit de Virgine, in qua passus nos redemit non divisa ab anima neque a deitate sed inseparabiliter unita et sic est in ea Dei Filius Deus et homo perfectus, qui nostram counans sibi humanitatem communicare nos fecit secum in una natura; et redonans nobis carnem suam singularem ad comedendum congregat et counit nos cum sua singulari persona ut omnes simul unum in Christo in eius perfectione perfecti et in eius communicatione couniti et congregati. Merito igitur huic telete quia ipsa est primo principaliter nostri ad Deum congregativa et communicationis * ipsius effectiva et perfectiva, aliis teletis ex sua virtute tribuens horum efficientiam appropriatur per excellentiam nomen communionis». Haec Lincolnensis Episcopus.

f. 218^r

Sed magni refert non praeterire Thomam Waldensem qui de hac ipsa re disserens mirum in modum Lincolnensis expositionem commendat quemadmodum et in primo libro in sextae rationis probatione verba ipsius Thomae Waldensis a nobis illic relata ostendunt ⁽⁸⁾. Quod Damascenus ⁽⁹⁾ quoque confirmat quum asserit communionem et dici et vere esse, propterea quia communicamus nos per eam Christo et quia participamus eius carne et deitate. Participare itaque eius carne, quam de utero Virginis assumpsit, nihil aliud est quam nos cum singulari sua persona naturaliter couniri quemadmodum Thomas Waldensis inquit, et Hilarius ac Cyrillus et reliqui vetusti Patres docuerunt, quibus Albertus Magnus et B. Thomas, ut antea ostendimus ⁽¹⁰⁾, manifeste subscripserunt, dum hic omnimoda unione per cibum dominicum Christum homini coniunctum ait: « Ille per hunc cibum omnes homines sibi unisse, cum in incarnatione non univerit sibi, nisi unius solius hominis naturam » testatur. Hoc ipsum Innocentium papam III minime latuisse ex primo libro decretalium constat, in quo eius verba e concilio generali excerpta, ut antea etiam adscripsimus, ita habent ⁽¹¹⁾: « Una vera est fidelis universalis Ecclesia extra quam nullus omnino salvatur. In qua idem ipse sacerdos est et sacrificium Jesus Christus cuius corpus et sanguis in Sacramento altaris sub speciebus panis et vini veraciter continentur transubstantiatis pane in corpus et vino in sanguinem potestate * divina ut ad perficiendum mysterium unitatis accipiamus ipsi de suo quod accepit ipse de nostro ». Ecce perspicis inter ea quae

f. 218^v

⁽⁸⁾ *Supra*, p. 57.

⁽⁹⁾ *De fide orthodoxa*, l. 4, c. 13; PG. 94, 1154.

⁽¹⁰⁾ *Libro primo*, passim. Textus Alberti M. invenitur p. 56.

⁽¹¹⁾ DB. 430.

Innocentius asserit illud esse hoc Sacramento mysterium unitatis perfici, quia in eo accipimus de corpore et sanguine Christi, quae Filius Dei accepit de nostra natura, ut etiam S. Thomas eandem decretalem exponens his ipsis verbis comprobat ⁽¹²⁾.

Sed ut nullus dubitandi locus relinquatur, Innocentium intellexisse unitatem spiritualem per naturalem perfici, meminisse oportet eisdem Innocentii verborum quae antea a nobis allata sunt, ubi ait, per hoc, quod Christus suscepit de nostro et accepimus ipsi de suo, tam insolubile nexu coniungi, ut qui est unum cum Patre per ineffabilem unitatem, fiat unum nobiscum per admirabilem unionem; admirabilem non dixit neque scriptum: Christus de nostro suscepit quem nos de ipso accepimus: quod quidem de nostro suscepit et non ipsi de suo accepimus caro est; quare non de spiritali sed de naturali carnis unione Innocentium loquutum palam fit. Iam eadem unitate qua unum cum Patre est nobiscum unum effici ipsamet Innocentii verba evincunt si recte expendantur; quatenus tamen nostrae naturae congruit unitate scilicet carnis, cum Patre vero unitate deitatis. Haec unitas, qua Filius unum est cum Patre non est spiritalis tantum, ut superius ostendimus, unde nec nostra cum Filio spiritalis tantum est; atque ita qui eam decretalem interpretatur de ea naturali unione Innocentium loqui, intellexit, de hac Hilarius, siquidem pro eorum verborum * expositione caput «In Christo Pater» de consecrat. dist. f. 219^o 2 adfert, de quo saepius loquuti sumus ⁽¹³⁾. His omnibus adde perfectam veramque hanc cum Christo unionem proprie esse et dici, quia, ut antea a nobis ostensum est, ea est sola vera communio, qua, qui inter se communicant eodem tempore simulque iisdem rebus participant, cumque una Christus per sacram Eucharistiam in nobis maneat et nos in ipso una maneamus, vera et perfecta inter nos et ipsum praedicatur et est unio, quae verbis etiam non tantum perficitur ut per alia Sacramenta fit sed reipsa, ut superius docuimus. Quid enim aliud est quam reipsa sibi nos seque nobis per veram suam substantiam coniungere et proprias per se gratias impertiri pro uniuscuiusque dignitate et purgationis modo? Quare perspicuum remanet hac naturali unitate nostram cum Christo unionem exacte perfici. Satis ostensum esse arbitror corporali conjunctione qua digne Domini corpus sumentes ipsi uniuntur, unitatis mysterium perfici quandoquidem animo et corpore uniuntur Christo qui Deus et homo digne manducatus in summentibus ipsum eodem modo manet. Superest ostendere quomodo qui Unigenito Dei Filio naturaliter et corporaliter unitus est, cum Patre, etiam Spiritu Sancto arctissimo quodam et ineffabili vinculo

⁽¹²⁾ *Expositio in primam Decretalem Innocentii III.*

⁽¹³⁾ *Supra*, p. 38.

- f. 219^v unitur, nempe qui naturaliter Filio Dei coniunctus est, qui quidem Filius Dei unum cum Patre et Spiritu Sancto est, individua cum utraque deitatis natura, non potest spirituali illo nexu * per quem Deo unitur, per hanc naturalem unitatem cum dilecto Unigenito eius Filio non arctius constrictiusque copulari. Hoc ipsum S. Pater Hilarius ⁽¹⁴⁾ animadvertit, a quo Joannes de Turrecremata edoctus, per unitatem naturae nos proprio uniri Filio, et Filio mediante quodammodo Patri et Spiritui Sancto asserit ⁽¹⁵⁾. Sed hoc obscure dictum est. Quare ut intelligamus quanto arctius constrictius Deo Patri et Spiritui Sancto Christo mediatore per corporalem cum ipso coniunctionem uniamur, opus est meminisse verborum Apostoli quae sunt ⁽¹⁶⁾: « *Videte ne quis vos decipiat per philosophiam et inanem fallaciam secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, et non secundum Christum, quia in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter* ». His verbis Paulus docet in Christo habitare non divinitatem simpliciter, sed omnem plenitudinem divinitatis corporaliter, non autem ut in elementis secundum efficientiam, ordinem, perpetuitatem. Unde insignes theologi perspicientes Paulum dicere in Christo omnem plenitudinem divinitatis inhabitare corporaliter, non autem dixisse esse corporaliter, duo observarunt. Alterum habere ipsam deitatem substantiale esse corporeum in Christo dicente Joanne: *Verbum caro factum est*, quod Paulus significat inquires corporaliter; alterum absque quacumque sui mutatione deitatem habere in Christo illud substantiale esse corporeum, quod
- f. 220^r verbum *inhabitat* aperte ostendit. * Inhabitatio enim nullam mutationem significat in habitante. Itaque Paulus absque quacumque mutatione deitatis non extrinseca denominatione sed secundum esse substantiale corporis deitatem in Christo esse tradit. Hinc cum ea unitas deitatis sit inter Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, qua Pater et Filius et Spiritus Sanctus unum sunt, perspicuum est non posse nos naturaliter uniri Christo in quo secundum esse substantiale corporeum deitas est, quin arctissimo et ineffabili vinculo Patri et Spiritui Sancto per Christum mediatorem naturaliter nobis coniunctum uniamur, quandoquidem Christus cum Patre et Spiritu Sancto unitate deitatis unum sit. Sed quid opus est alio testimonio quam ipsius Domini nostri dicentis ⁽¹⁷⁾: « *Ut sint unum sicut et nos unum sumus. Ego in eis et tu in me ut sint consummati in unum.* »? Christus in nobis per corporis et sanguinis sui Sacramentum secundum naturam in nobis est, secundum quam Pater est etiam in Filio ac per Filium quodammodo

⁽¹⁴⁾ *De Trinitate*, l. 8, c. 13-16; PL. 10, 246-249.

⁽¹⁵⁾ *Super Decreto*, pars 3, de cons., d. 2; Venetiis 1578, t. IV, p. 172.

⁽¹⁶⁾ *Col.* 2, 8-9.

⁽¹⁷⁾ *Jo.* 17, 22-23.

in nobis. Haec ita a nobis dicuntur ut non obliviscamur Christum in nobis esse et manere praecipue spiritus sui participatione. Qui servat mandata eius in ipso manet et ipse in eo, et cognoscimus quod manet in nobis ex spiritu quem dedit nobis.

Sed haec ideo attulimus quia non solum vivificat nos ut Deus, ut inquit Cyrillus (18), et nos paulo ante dicebamus, sed et manducabilem apponens carnem Filii hominis quae, quamvis de Virgine sumpta sit, de coelo descendisse dicitur, propter unionem tamen * f. 220^v cum vivente et coelesti Verbo vivifica est, et a nobis manducata Christum in nobis manere corporaliter efficit ac per Christum Patri et Spiritui Sancto uniri nos artissimo quodam vinculo et inenarrabili. Remanet ergo utraque pars in secunda ratione contenta abunde comprobata. Siquidem hac naturali coniunctione unitas nostra cum Christo perficitur quum ei spiritu et corpore pariter unimur ipsoque Christo mediatore cum Deo Patre et Spiritu Sancto artissimo quodam et inefabili nexu copulamur.

CAPUT IV.

De corpore Christi mystico et qua ratione Dei typus et figura dicatur, deque artissima membrorum illius cum Christo unitate.

Poteramus ad secundae rationis probationem transire nisi de ipso mystico Christi corpore quod est Ecclesia, ita ipsi Christo unita ut Paulus eam non corpus modo Christi sed Christum appellet ut in superiori libro ostensum est (1), solertius aliquid explorare vellemus ut divinam eius vim ac auctoritatem attentius consideremus, ac in ea tamquam membra corpori unita manere rebus omnibus praeferamus vicissimque intelligamus quam grave malum sit ab ea divelli, quo etiam pacto ad perfectam cum Deo unitatem perveniamus haud inutile erit subtilius indagare. Sunt enim haec et utilia et difficilia cogitu. Ecclesiam itaque typum et figuram Dei ferre nonnullis ex Sanctis Patribus scripsere. E quibus *M a x i m u s* (2) monachus nimis * subtiliter contempletur, ideoque typum et figuram Dei Ecclesiam f. 221^f esse censet, quia in imitatione et figura eandem habeat operationem: «Sicut enim Deus infinita sua potentia omnia fecit et invicem et sibi ipsi ea quae mente intelliguntur. et ea quae sunt sensibilia per providentiam constringit et connectit et circa se tamquam causam et principium et finem omnia continens, quae secundum naturam sunt a se

(18) Cf. *Adv. Nestorium*, l. 4, c. 5; PG. 76, 198.

(1) *Supra*, p. 178-179.

(2) *Mystagogia* c. 1; PG. 91, 663-666.

invicem seiunctissima, per unam ad ipsum tamquam ad principium referuntur facultatem, facit ut inter se invicem consentiant; per quam ad eundem motum et substantiam nec discriminis nec confusionis quidquam habentem omnia deducuntur, ita ut nihil ex his quae sunt principaliter in naturae vel motus differentia dissideat, vel disiungatur, cum omnia in una unius principii et causae, quae dissolvi non potest relatione et custodia inconfuse coaluerint. Qui est enim omnia in omnibus, qui infinitis mensuris omnia superat, Deus, vel maxime solus ab his, qui sunt, pura mente videbitur, quando mens naturales eorum quae sunt rationes contemplative colligens, in ipsum Deum desinet, ut qui sit causa, principium et finis totius productionis et generationis, et ad res omnes continendas basis inseparabilis.

- f. 221^r Eodem modo etiam sancta Dei Ecclesia, eadem quae Deus in nos facere a Maximo ostenditur ⁽³⁾: « Cum enim, inquit, sunt innumerabiles prope viri, mulieres, et pueri, genere, forma, gentibus, lingua et vivendi ratione, * aetate, studiis, animis, artibus et moribus; rursus autem scientia, auctoritate, fortuna, ordine, statu et habitu plurimum a se invicem seiuncti et differentes, qui in ea sunt, et ab ea spiritu rursus sunt generati et recreati unam ex aequo omnibus dat et largitur divinam formam et appellationem ut a Christo, scilicet, sint et nominentur; et ut per fidem simplex sit et quae dividi ac seiungi non possit, relatio et habitudo quae, multas atque adeo inenarrabiles quae sunt in unoquoque differentias, ne quod sunt quidem cognosci permittit, quod omnes in ea generaliter referantur et convenient; per quam nemo omnino sibi ipsi a communi seiunctus est, cum omnes inter se invicem coalescentes in una simplici et quae dividi nequit fidei gratia et potestate coniuncti sunt. *Erat enim omnium*, inquit ⁽⁴⁾, *cor unum et una anima* adeo ut ex diversis membris corpus unum et esset et videretur, et ipso Christo vero nostro capite vere dignum, in quo, inquit divinus Apostolus ⁽⁵⁾, *non est masculus neque foemina, neque Judaeus neque Graecus, neque circumcisio neque preputium, neque Barbarus neque Scythæ, neque servus neque liber, sed omnia et in omnibus ipse*, qui, omnia per unam simplicem bonitatis infinitam eandemque sapientissimam potestatem, in seipso includit, veluti centrum a quo dependent aliquot rectae lineae, una simplici et singulari de vivente causa et potestate eorum quae sunt principia, non sinens finibus seiungi, eorum productiones * circumscribens, et eorum quae sunt et ab ipso facta sunt definitiones ad seipsum deducens, ne sint omnino sibi inter se aliena et inimica unius Dei effecta et officia, cum non habeat quam in re et ubi amicitiam, pacem, et se
- f. 222^r

⁽³⁾ *Ibidem*, col. 666-667.

⁽⁴⁾ *Act.* 4, 32.

⁽⁵⁾ *Gal.* 3, 28.

inter se eadem possint ostendere, et venient in discrimen ne ipsa eorum substantia eo, ut non sit, recidat, si a Deo separentur. Est ergo Dei imago sancta, ut dictum est, Dei Ecclesia; ut quae eandem quam Deus in fidelibus unionem efficiat, etsi sint proprietatibus diversi, et ex diversis et locis, et moribus qui in ea per fidem sunt uniti, quam in eorum quae sunt substantiis inconfuse facit Deus eam quae est in ipsis differentiam, ea quae fit ad seipsum, tamquam ad causam, principium et finem, ut dictum est, relatione et unione, et consolans et idem faciens». Haec Maximus.

Haec quae dicta sunt ut qui sublimius contemplari cupiunt de Deo omnia distinguente atque uniente pariter, de Ecclesiae Dei typo, de homine et de eius anima, de coniunctione et unione per fidem, et sacrorum mysteriorum participationem tam cum Deo quam inter se, ex his, quae iuxta Maximi monachi sententiam adduximus, occasionem ea contemplandi capiat; quae omnia neque inutilia neque aliena a mystico Christi corpore, Ecclesia videlicet, esse videntur. Expectabat hic locus ut de ipsius Ecclesiae veritate et unitate plura dicerentur et errorem haeticorum confutarem, eosque a vera unaque Christi Ecclesia misere praecisos manifeste ostenderemus; ceterum quum in hoc a plerisque piis et doctis viris valde elaboratum sit atque ita eleganter, pie et erudite tractatum a disertissimo eodemque praestantissimo viro Hosio Stanislao Episcopo ⁽⁶⁾ vigilantissimo tunc Varmiensi nunc autem S.R.E. praesbitero * Cardinali f. 222^v magno honorum omnium gaudio, magna etiam horum infelicissimorum temporum felicitate, quae alterum hodie Hosium eiusdem nominis cum illo Episcopo Cordubensi non minoris certe fidei et industriae habeant, nihil opus video, ut in eo longius immorer. Superest adhuc disserere quo pacto ad hanc de qua agimus cum Deo unitatem pervenire possimus.

CAPUT V.

Quo pacto homines unum cum Deo efficientur.

Quum altius aliquid de nostra cum Deo unitate disserere proposuerimus, absque qua neque salus neque felicitas nobis contingere potest, haud ab re erit nonnulla ex ipsis reconditoris philosophiae arcanis adferre. Ergo in primis animadvertere oportet nihil Dei omnimodam ineffabilemque perfectionem magis ostendere quam unitatem

⁽⁶⁾ *Confutatio prolegomenon Brentii*, l. 4 de Catholica Ecclesia; Opera omnia, Lugduni 1564, p. 639-662.

ipsam quae a Dionysio supra essentiam et mentem constituitur, principiumque universi propter inaeestimabilem simplicitatem eminentiamque ipsum unum cognominatur. Unde Dionysius⁽¹⁾: « Hac igitur, inquit, ratione theologia totam ipsam deitatem, omnis principem deitatis, tamquam omnium causam unius appellatione celebrat. Unus itaque Deus et Pater, unus Dominus Jesus Christus et unus atque idem Spiritus propter excellentem totius divinae unitatis individuum eminentemque simplicitatem, in qua quidem omnia unice collecta sunt excellenterque unita et supersubstantialiter ante comprehensa. Quapropter et omnia ad istam iuste et unice admodum referuntur atque rediguntur, a qua * et ex qua et per quam et in quam et ad quam omnia sunt et constituta sunt et permanent. atque continentur et replentur atque convertuntur. Nihil denique in rebus invenies quod non ipso uno. (secundum quod deitas omnis superessentialiter nominatur) et sic hoc ipsum quod est. et perficiatur atque servetur ».

f. 223^r

Porro unum hoc longe ab uno illo Procli Lycii in sua theologia⁽²⁾ diversum et excelsius asseritur quoniam ens qua ratione ens est, neque multipliciter neque divisionem necessario refugit, sed vel praesentem sustinet vel futuram. Ipsum vero unum et universi principium ab his omnibus longe abest. Iamvero quaecumque ab hoc proxime procreantur, intellectus scilicet intellectualesque animae unitatem hinc quamdam quasi paternum characterem sortiuntur, quo quasi capite vel centro suo, Deum quandoque tamquam universi centrum possint attingere quemadmodum et Plotinus una cum Dionysio asserit⁽³⁾. Quare nec rationis nec intellectus usu Deo frui possumus, siquidem ratione intellectuque superior est. Unum enim hoc modo et summum bonum unum sunt cum ipso Deo. Unde et illud a summis theologis animadversus est Moysen in ipsa rerum creatione cuncta Dei opera bona ipsi Deo visa testatum esse.⁽⁴⁾ praeterquam secundi diei opus in quo divisae aquae ab aquis dicuntur, utpote ab ipsa unitate divisione sua discedentes. Qui beati futuri sunt ipsius unius eiusdemque summi boni participes oportet. Eius enim sola participatio beatos efficit; non participabimus autem nisi intellectus et voluntas abiecta omni imperfectione prorsus perficiantur, ille quidem veri cognitione perficitur, haec vero ipsius boni ad-

f. 223^v(1) *De Divinis Nominibus*, c. 13, § 3; PG. 3, 979.(2) Melius: *Instit. Theol.*, prop. 2; ed. E. R. Dodds, *The Theology of Proclus*, Oxford 1932, p. 2.(3) *De Divinis Nominibus*, c. 1, § 4; PG. 3, 592.(4) *Gen.* 1, 31.

tatis in intellectu nostro est ipsa rerum natura ab eo perceptarum. Haec autem natura non ab ipso intellectu dependet sed a Deo, quae cum non sit bona simpliciter et absolute sed per participationem, plurimumque potentiae admistum habeat potentiaque absolute ipsius boni naturae repugnat, consequitur rerum naturam intellectam comprehensamque a nobis, intellectum et voluntatem nostram haud perficere. Bonum enim quo anima nostra perficitur summum est, Deus scilicet ipse: quod appetit intelligibile, in quo etiam quiescit, sicut vitam essentia et vita mentem expetit.

Sed quemadmodum intelligibiles res sensu non percipimus, ita neque bonum intellectu adipiscimur. Naturalis autem conatus profectusque et ipsa spes beatitudinis quandoque nos summo ipso bono fruituros pollicetur. Sola ergo unitas quae intellectu praestantior est hoc ipsum praestare potest per quam ipsi bono unimur quum posthabitis caeterarum virium actionibus, animae totius attentionem totam in hanc unitatem tamquam ad centrum a circumferentia collegerimus. Hoc unum illud est quo Christus Jesus Dominus noster necessarium esse dixit ⁽⁵⁾; et hoc etiam divinum illud silentium a Mercurio, Pythagora, Socrate, Platone, Plotino, Apollonio decantatum. Huic tamen uniri solo amore possumus, cuius propria vis est traductoria et * unifica, per quam animus ab inferioribus transferatur ad supremum suum unum. Amor enim ipsius dumtaxat unius quod est universi principium, nihil enim esse potest quod non participet uno, amor, inquam, directus ad unum, animam a multitudine tum aliena tum sua ad propriam revocat unitatem per quam ipsi uni tunc tandem copuletur, quando amorem nunc in multa bona divisum in unum bonum perfecte coniecerit bonorum omnium principium ac finem, ut ipsimet Dionysii interpretes ex ipsis Platonicorum adytis asserunt. Hunc amorem Dionysius ⁽⁶⁾ extensionem animae appellat, quo Deo coniungi possumus. Haec omnia quae Dionysius atque Platonici amori tribuunt Sancti Patres Spiritui Sancto ascribunt, per quem Christus in nobis manet atque una cum Filio Patre, per quem etiam homo ad imaginem Creatoris, terreni Adam imagine et corruptione exuta, reformatur, inque Deum transit filius Dei participatione Spiritus eius factus, ut latius Cyrillus ostendit ⁽⁷⁾.

Sed Platonis sententiam haud a Dionysii mente abhorrentem persequamur. Hanc itaque cum Deo coniunctionem intellectus efficere non potest quia cognosci vere Deus in praesenti tempore nequit. Vere au-

⁽⁵⁾ Lc. 10, 42.

⁽⁶⁾ *De Mystica Theologia*, c. 1, § 3; PG. 3, 999-1002; cf. *De Divinis Nominibus*, c. 4, § 13; PG. 3, 711.

⁽⁷⁾ Cf. *De recta fide ad Theodosium Imperatorem*, c. 20 et 36; PG. 76, 1166, 1187.

f. 224^v tem Deum amari quamquam haud satis cognitum et possibile est et facile Platoni videtur. Ignorat nempe Plato perfectam illam caritatem erga Deum quam viventes assequi non possumus. Praeterea in coelum illi tantum veniunt qui summo regi placuerunt; placent autem illi qui summopere diligunt. Nam qui Deum cognoscunt * nondum illi placent nisi cognitum diligant; porro qui cognoscunt diligunt non quia cognoscunt sed quia diligunt amantur a Deo; Dei enim gratia ipsum diligimus, nosque non eos qui noverint nos sed qui nos amaverint diligimus. Quod ergo nos coelo restituit non sola Dei cognitio est sed amor; cognitio enim in presenti nimis est imperfecta.

Hinc illud Platonis (8): «Divinum, inquit, verbis doceri non potest quemadmodum cetera quae discuntur, sed ex diuturna circa rem ipsam consuetudine vitaeque coniunctione subito tamquam ab igneo scintillante accensum in animo lumen seipsum iam alit». Disputationes verò doctrinae meditationesque tamquam collisiones quaedam mutuae luminum sunt ipsius primi boni gratia factae quae amorem ad ipsum in animo sic accenso superne divinum lumen effulget; et quemadmodum ardor non sequitur lucem soli insitam proxime sed splendorem aëri infusum, ita amor erga bonum ipsum ardens non aliter ab ipso accenditur quam per intelligibile lumen intellectui rationique insertum. Accensus autem amore summi boni animus, superni caloris vi ab inferioribus his purgatus et tum ab affectibus tum ab imaginationibus rerum corporearum emundatus ad divini amoris fastigium ascendens cum amato feliciter copulatur in ea videlicet nube ubi postquam naturales oculi sub exuberanti lumine caligaverunt, bonum ipsum benefica gratia illucet et aspirat amanti; qui omni prorsus actione affectioneque et ad alia et ad ipsum deposita * et forma sua exuta et divina induta, iam sic agit ut Deus et ut illud *aurum ignitum* Apoc. c. 1, v. 18 (9) agit ut ignis, et animatum corpus ut anima, atque anima sublimi intellectu formata ut intellectus: sic intellectus transformatus agit ut Deus. Tunc animus humanus Platoni videtur tamquam speculum esse in quo facile vultus divini imago relucet. Ascensum hunc ad Deum per animi purgationem atque per transitum intelligibilium specierum, Dionysius, ex his quae Exodo continentur colligit. Dionysii verba sic habent (10): «Iure igitur divinus Moses divinitus admonetur: primo quidem ut mundetur ipse, rursusque ut se separet ab immundis, ac post omnem expiationem, buccinarum varios clangores audit cernitque lumina multa purosque ac multiplices radios diffundentia. Post haec a turbis vulgaribus segregatur atque cum electis sacerdotibus ad divinarum ascensionum fastigia sese con-

f. 225^r

(8) Allegationem deprehendere non potui.

(9) Cap. 3, vers. 18.

(10) *De Mystica Theologia*, c. 1, § 3; PG. 3, 999-1002.

fert, ibique non cum ipso quidem Deo commercium habet nec ipsum cernit, non enim est visibilis, sed locum potius ubi stetit. Hoc autem, ut reor, significat divinissima et suprema quaeque visibilium ac intelligibilium esse rationes quasdam suppositorias significativasque eorum quae subiecta sunt omnia transcendenti Deo, per quae Dei praesentia omnem intelligentiam superans superintelligibiles sanctissimorum ipsius locorum summitates incedit. Tunc igitur quoque ipsa visibilia et videntia intelligibiliave dimittens ipsam ingreditur ignorationis mysticam revera caliginem, ubi omnes cognitivas perceptiones excutit, atque in eo qui tactum * penitus visumque refugit, iam consistit totusque evadit ipsius quit omnia supereminet. Tunc sane nec sui juris est nec est alterius, sed ipsi qui penitus est incognitus cognitionis omnis vacatione per aliquid cognitione praestantius est unitus. Ex eo enim quod cognoscit, nihil intelligentiam transcendendo cognovit». Haec Dionysius.

f. 225^v

Ergo cum haec unitas animae, quam mentis caput Plato nominat sit, per quam summo illi bono, hoc est Dei, connectendi sumus, ut sic connexi et in requiem illius ingressi eo fruamur; in hoc unum oculos conicere, nervos intendere, mentem dirigere oportet, ut ab omnibus operibus humanis vacantes, amore summi boni inflammati, in requiem illam nos introituros sperare possimus a quo nonnullos Dominus iureiurando arcuit ⁽¹¹⁾, ut late Paulus persequitur ⁽¹²⁾: «Ibi enim, inquit, verus agitur sabbatismus» atque hisce gradibus ascendendum est. Primum ergo separare oportet corpus ab anima, deinde ab anima corporeas passiones. Tertio imaginationes a ratione. Quarto rationales discursus ab intellectu. Quinto intellectualem multiformitatem ab ipsa animae unitate. Sexto ab hac unitate animale intellectualeque conditionem; nam his gradibus superatis in septimo tandem conquiescimus verum sabbatum cum Deo agentes qui septimo die ab opere quievit; tunc inveniemus ipsam simpliciter unitatem, idest Deum, sub tali quadam unitate latentem, ut Dionysius significat ⁽¹³⁾: «Dum hanc, inquit, praelucidam caliginem nos ingredi precamur atque per visus cognitionisque vacationem videre et nosse quod est visioe * notitiaque superior, ex hoc ipso videlicet, quod neque videamus neque aliquid cognoscamus. Hoc enim est revera videre ac nosse et eum, qui essentia eminentior est, modo quodam super essentiam ex omnium videlicet quae sunt ablatione laudare». Iam qui verius hanc praelucidam caliginem ingrediuntur et per visum sensuumque omnium vacationem Deum vident ac noscunt quam qui corpus et sanguinem Christi in Eucharistia digne sumunt in unumque corpus cum Christo capite rediguntur.

f. 226^r⁽¹¹⁾ Ps. 94, 5.⁽¹²⁾ Hebr. 4, 9, cf. Lev. 25, 2; 26, 35.⁽¹³⁾ De Mystica Theologia, c. 2; PG. 3, 1026.

CAPUT VI.

De unitate quae per manducationem obtinetur.

Sit satis ex priscorum sententiis ad maiorem cum Deo unitatem assequendam haec attulisse quae non parum nostram in Deum conversionem de qua in superioribus libris plura diximus explanant; ad quam nos amor perducit, qui quanto excellentioris est excellentioribus nos dapibus vesci efficit, ut *Plato* etiam sensit ⁽¹⁾, sine labore et absque satietate. Unde in Deum spiritu ipso dilectioneque transformatis divina esca praestatur quanto divina terrenis, aeterna caduceis excellunt. Haec per manducationem cum Deo coniunctio in Iethro Moisis socero tanquam primitiis gentium praefigurata extitit. Etenim, ut *Exodi* ⁽²⁾ libro refertur, post legem datam ad Moisen venit cognatus ad cognatum. Deinde osculo exceptus ingressusque in tabernaculum a Moyse audivit quae fecerat Dominus propter Israel ut liberaret eum a Pharaonis iugo. Post haec ipse Iethro laetatur super omnibus quae f. 226^v fecerat * Dominus Israel; eo quod eruisset eum de manu Aegyptiorum, Dominum benedicit et magnum super omnes Deos confitetur, mox holocausta et hostias Domino offert. Denique veniunt Aaron et omnes seniores filiorum Israel ut comedant panem cum eo coram Domino.

Magna profecto mysteria haec sunt quae nobis adeo obscure declarant, in Moysis et Iethro personis, Christi mediatoris verique Moysis et fidelis Christo credentis partes. Mediator credentis fidelis iuxta carnem cognatum venientem ad se excepit, intra Ecclesiam recipit, osculatur, pacificis verbis salutatur, fidelis etiam vicissim cognato mediatori fidem adhibet, agnoscit liberationis beneficium, reliqua omnia praestat quae pia mens in Deum conversa exhibere debet, donec pontifex summus non longe a tabernaculo Moysis in loco quo tabernaculum foederis erigendum erat, cum Iethro, hoc est cum viro Moysis cognato Deo per fidem unito panem comedit. Non quidem verum illum panem qui de celo descendit, sed veri illius figuram qui a summo ipso Christo sacerdote in Ecclesia eius sponsa editur, postquam ipsius caro hostia Patri gratissima in ara crucis pro omnium hominum salute oblata fuit. Hoc summi sacerdotis convivium cum Iethro, manifestus est typus sacrae Eucharistiae coenae, in qua ipse idem et cibus et conviva Christus est, sacerdos et hostia, convivam suum ab omni peccati labe sanguine suo emundans eius animam et corpus divinae reficit, unumque secum per vivificae sui carnis commestionem efficit; ac una secum Patri reconciliatum hostiam gratissimam offert,

(1) *Symposium* 180 B (in fine orationis Phaedri).

(2) *Cap.* 18, vers. 7-12.

cum quo unum artissima et inenarrabili unione etiam fit. Perspicuum iam esse existimo quam vere nos Deo uniat ipsa dilectio corporalisque Christi in nobis per * corporis sui esum et sanguinis potum inhabitatio quod ex sequentis rationis probatione compertius remanebit. f. 227^v

Antea tamen quam ad eam transeamus, respondere oportet obiectioni quae fieri potest contra hanc unitatem quae ex corporali nostri cum Christo coniunctione sequitur. Dicit aliquis Sacramentum hoc in remissionem peccatorum et mortis Domini memoriam institutum constare ex Matthaeo et Paulo (3). De hac autem unitate per Eucharistiae coniunctionem nihil a Sanctis Apostolis dictum. Haec ratio parum aut nihil unitati praedictae obstat. Nam quamvis Eucharistia sacramentum dominicae passionis, sine qua nec peccata dimittuntur, dicatur, quemadmodum et baptismus, Eucharistia tamen, ut S. Thomas (4) ait, est sacramentum passionis Christi prout homo perficitur in unione ad passum Christum et dicitur sacramentum caritatis, quae, auctore Paulo (5), est *vinculum perfectionis*. Exprimit enim hoc sacramentum Christi caritatem quam in nobis efficit. Baptismus vero dicitur sacramentum mortis et passionis Christi ut homo regeneratur virtute passionis eius. Diversa itaque ratio in utroque, tamen si utrumque passionis sacramentum dicatur, quemadmodum et utrumque sacramentum etiam fidei obiectum. Sola enim fide credimus sanguinem Christi secundum veritatem in hoc Sacramento esse; ipsa Christi passio etiam per fidem iustificat. Baptismus autem dicitur sacramentum fidei quia est quasi quaedam fidei protestatio. Sed ut planius intelligatur quare dicatur calicem dominicum effundi in * remissionem peccatorum, animadvertendum est non pro potatione calicis in cena, sed pro effusione sanguinis in cruce peccata generaliter remitti quoad sufficientiam, ut theologi docent (6), quamquam ad particularem uniuscuiusque peccatorum remissionem necessaria est potatio vel in re vel in voto, si non suppetit facultas sumendi ipsum sanguinem: bibendo itaque unimur Christo, consecrando autem effusionis sanguinis in cruce memoriam agimus. Illi vero qui Sacramentum hoc remissionis peccatorum asserentes esse non expurgata conscientia ad ipsum accedunt *iudicium* certe sibi *manducant* (7), quemadmodum catholici omnes sentiunt et usus Ecclesiae tenet. f. 227^v

(3) *Mt.* 26, 28; *1 Cor.* 11, 24-25.

(4) *S. Th.* 3, q. 79, a. 1, ad 1.

(5) *Col.* 3, 14.

(6) Cf. S. ALBERTUS MAGNUS, *Sent.* 3, d. 19, a. 1, ad ob.; ed. Borgnet, v. 28, col. 338.

(7) *1 Cor.* 11, 29.

CAPUT VII.

Probatio secundae rationis.

Item ut Christus homo et Deus homini anima et corpore constanti, spiritu et corpore coniungatur: animae quidem ut Deus, corpori autem ut homo, eoque ipso duplici nexu ipse Christus nos sibi coniungat qui uno tantum Deo, spiritu scilicet copulabamur; quo etiam Angeli ipsi Christo coniunguntur.

Huius rationis comprobatio perspicua valde est. Nam Christus ut nos invicem diligeremus mandato suo novo constringit, legemque omnem in dilectione proximi adimpleri Paulus testatur ⁽¹⁾; noster frater factus est utraque hominis substantia animae scilicet et corporis assumpta, atque ita proximam sibi carnem atque spiritum efficit. Qui igitur adeo proximum diligi iniungit, quique quae dedit mandata suis Apostolis * servanda, ipso opere prius implevit; quo pacto credemus eum carnis adeo sibi proximae factae oblitum fuisse ac noluisse sui corporis manducatione sanguinisque potu carnem quoque nostram sibi connectere, qui pro nobis homo factus est ut nos Deo Patri filios adoptivos et sibi confratres conciliaret? Corporaliter nempe Filius Dei per benedictionem mysticam nobis, inquit Cyrillus ⁽²⁾, ut homo unitur, spiritualiter autem ut Deus sui spiritus gratia nostram ad novam vitam et divinae naturae participationem spiritus redintegrans. Chrysostomus quoque ait ⁽³⁾: «Vester ergo frater esse volo, communicavi carni propter vos et sanguini, et per quae vobis coniunctus sum ea rursus vobis exhibui». Idem Rupertus Abbas, ut antea meminimus ⁽⁴⁾, testatus est. Damascenus ⁽⁵⁾ itidem: «Dupliciter Deo unimur, mysteriis participantes. Et alibi: Participamus eius carne et divinitate, quia communicamus et unimur invicem per illa». Ad haec S. Thomas ⁽⁶⁾ dedisse se Christum in cibum asserit ad omnimodam unionem absque separatione aliqua. Omnimoda autem unio est quam praeter coniunctionem eam qua ut Deus spiritui nostro coniungitur, caro eius nostrae carni unita et incorporata unum nos secum corpus per carnis suae esum efficit. Haec itaque illa unio plerisque summis viris esse

⁽¹⁾ Rom. 13, 10.

⁽²⁾ De SS. Trinitate, dialogus 1; PG. 75, 697.

⁽³⁾ Hom. 46, in Jo. n. 3; PG. 59, 260.

⁽⁴⁾ Supra, p. 85.

⁽⁵⁾ De fide orthodoxa l. 4, c. 13; PG. 94, 1154.

⁽⁶⁾ Ps. THOMAS, De sacramento altaris; Opera omnia, Venetiis 1593, t. 17, 50; cf. S. THOMAS, Sent. 4, d. 3, q. 1, a. 3, ad 1 q.

videtur quam sponsa amore coelestis sponsi flagrans toto pectore, magnis suspiriis, inenarrabilibusque gemitibus per oris osculum ab amato sponso expetit, a quo, veluti e sui potestate prae amore exiens efflagitat inquiens ⁽⁷⁾: « *Osculetur me osculo oris sui* ». Non * satis sponsa incomprehensibili amori quo erga Christum sponsum suum ardet fieri putat, quamvis ab ipso tenere diligatur nisi etiam osculo dato sponsi os sponsae ori reipsa coniungatur. Intimissimam cum Deo coniunctionem antiquiores philosophi oris osculo significarunt. Quique ex Hebraeis secretiore illa disciplina excellerunt, tradidere, eos qui Deo intimius coniuncti fuerunt, quibus cum etiam Deus familiarius egit, morte osculi tantopere a sponsa desiderati obiisse, Abraham scilicet, Isaac, Jacob, Moysen, Aaronem, et Mariani nonnullosque alios. Mortem etiam « Buisce » nomine appellarunt, quod idem est atque osculum. Intellexerunt nimirum per osculum amorem eximum in « Deum qui perfectior esse non poterit quam quum, ut inquit Chrysostomus ⁽⁸⁾, ipsum corpus in supremum thronum extulit, quod etiam nobis exhibuit et ut teneremus et ut manducaremus, quod maximum dilectionis signum est. Nam quos amamus aliquando morsu petimus. Quare *Job* ut servorum amorem in se ostenderet dicebat illos saepe prae nimio in se amore dixisse: *Quis det de carnis eius ut saturemur* ⁽⁹⁾. Quod Christus fecit ut nos maiore caritate astringeret et suum in nos ostenderet desiderium, non se tantum videri permisit desiderantibus, sed et tangi et manducari et dentes carni suae infigi et desiderio sui omnes impleri. Parentes enim saepe suos aliis alendos dederunt, ego autem mea carne meos alo, me his exhibeo ». Haec Chrysostomus.

Quare non additori mysterio carere arbitror osculum pacis quod * inter sacra mysteria porrigitur, quo non tantum pacis et concordiae inter nos ipsos retinendae commonemur, sed intima etiam cum ipso Christo per sacrorum mysteriorum communionem unionis memoriam agimus: quare his pacis ipsius mentio fit quum dicitur ⁽¹⁰⁾: « *Pacem meam relinquo vobis, pacem meam do vobis* ». Neque etiam oscula quandoque vera Christum in hoc sacramento refugisse certum est, si sanctorum historiis quas viri etiam sancti conscripserunt fides habenda est. De Aegyptio enim quodam presbytero valde religioso referunt ⁽¹¹⁾ quod quum sanctam duceret vitam coepit piis precibus pulsare Deum ut sibi monstraret naturam corporis et sanguinis Domini. Venit ergo dies ut idem more solito divina celebraret, et post

⁽⁷⁾ *Cant.* 1, 1.

⁽⁸⁾ *Hom.* 46 in *Jo.* n. 3; PG. 59, 260.

⁽⁹⁾ *Job* 31, 31.

⁽¹⁰⁾ *Jo.* 14, 27.

⁽¹¹⁾ Huius narratiunculae fontem reperire non valui.

« Agnus Dei » procumbens genibus: Creator, ait, et Redemptor omnipotens Deus, pande mihi exiguo in hoc mysterio naturam corporis Christi, ut mihi liceat eam prospicere in forma pueri, quem olim sinus matris tulit vagientem. Et ecce Angelus de coelo veniens affatur: Surge propere si vis Christum videre, adest praesens corporeo vestitus amictu, quae sacra puerpera gessit. At presbyter pavidus surgens vidit super aram puerum sedentem, cui Angelus: Quia Christum videre placuit quem sub specie panis verbis consecrasti mysticis, nunc oculis inspice et tracta manibus. Tunc coelesti lumine sacerdos fretus, quod mirum dictum est, in ulnis tremantibus puerum accepit, et pectus proprio pectori Christi adiunxit: deinde perfusus in amplexus dat dulcia Deo * oscula et suis labiis pressit pia Christi labia. Quibus ita peractis, restituit puerum altari et rursus humi prostratus deprecatur Dominum ut dignetur ipse verti in speciem pristinam. Et surgens invenit corpus Christi remeasse in formam priorem, et sic sub specie debita communicavit eidem.

f. 229^v Intimissimam hanc cum Christo coniunctionem significare potest quod in Chrysostomi Missa ⁽¹²⁾ sacerdos deosculatus sanctum altare et reliqui similiter accedentes idem deosculantur et sacerdos et diaconi osculantur se invicem. Sanctorum quippe altare Christus est, qui et hostia et sacerdos ipse est. Huius osculi Chrysostomus mentionem facit quamquam de mystica hac significatione non meminerit. Quod Isidorus Pelusiotus de hoc pacis osculo tradat, brevis eius *epistola ad Dorotheum comitem* declarat ⁽¹³⁾, cuius sunt haec verba: « Ειρήνην ὁ ἱερεὺς ἀπὸ τοῦ ὕψους τῆς καθέδρας τῆ ἐκκλησίας ἐπιφθέγγεται τὸν Κύριον τῆς καθέδρας, μιμούμενος ἀναλαμβάνόμενον, εἰρήνην τὴν οὐκείαν ἀφιέντα καὶ διδόντα. Τὸ δὲ « καὶ τῷ πνεύματι σου », παρὰ τοῦ λαοῦ ἀποκρινόμενον, τοῦτο δηλοῖ. Εἰρήνην μὲν ἡμῖν παρέσχες, Κύριε, τὴν ἐν ἀλλήλοις ὁμόνοιαν. Εἰρήνην δὲ δὸς ἡμῖν, τὴν πρὸς σὲ ἀδιαίρετον ἔνωσιν, ἵνα τῷ πνεύματι σου εἰρηνεύοντες, ὃ ἡμῖν ἐν ἀρχῇ τῆς δημιουργίας ἐνέθηκας, ἀχώριστοι τῆς σῆς ἀγάπης τυγχάνωμεν » Hoc est: « Sacerdos ab excelso altaris gradu Ecclesiae dicit: Pax vobis, dominum altaris imitans qui suam ad se recipit pacem, et * mittit et dat quum vult. Quod autem populus sacerdotis voce excipit dicens: Et cum spiritu tuo, illud significat. Pacem da nobis, Domine, idest concordiam inter nos. Pacem vero nobis imperti, idest tecum et cum spiritu tuo inseparabilem unionem; ut pacem habentes cum spiritu tuo, cui nos a primordiis generis humani copulasti, inseparabiles semper in tuo amore simus ». Haec Isidorus.

⁽¹²⁾ *Liturgia Iohannis Chrysostomi*; ed. BRIGHTMAN, *Liturgies Eastern and Western*, Oxford 1896, v. I, p. 320, n. 25-30, p. 221, n. 5-10.

⁽¹³⁾ PG. 78, 263.

Sed ad coniunctionem de qua res est redeamus; et revera ut corpori corpore, spiritui spiritu uniatur par est, quandoquidem, ut inquit Augustinus ⁽¹⁴⁾, «mediatorem Dei et hominum hominem Christum Jesum carnem suam nobis manducandam bibendumque sanguinem dantem fideli corde atque ore suscipimus» ut cordi spiritu, ori, hoc est carni, corpore coniungantur. Magnus hic se aperit campus ad ostendendam divinae sapientiae benignitatem quae non indignam carnem nostram carnis suae coniunctione duxit, neque indignam oris sui osculo sponsam existimavit, pro qua non recusavit omnibus aerumnis et cruciatibus mortis corpus suum tradere. Sed quia inferius quod hic praetermittitur latius explicabitur, sufficiat quod dictum est ad comprobendam secundae rationis veritatem, qua asseritur eam ob causam Christum corporaliter sibi onus coniunxisse, ut animae ut Deus, corpori ut homo nobis uniretur. Ea vero pars eiusdem secundae rationis, quo hoc ipso effectum ait quia ut cognatus homo sibi duplici nexu, carnis scilicet et spiritus, non spirituali tantum unione ei incorporaretur quemadmodum Patri unitur cum quo spiritu tantum coniungitur, ratio ipsa evincit nec alia probatione * eget quemadmodum et tertium illud quod in eadem secunda ratione asseritur de una tantum Angelorum cum Christo coniunctione, spirituali scilicet. Rationi enim consentaneum est ut una tantum coniunctione cum Dei Filio copuletur, qui unicum habet cum illo vinculum, duplici autem qui duplex. De hoc autem nonnihil a nobis dictum est libro primo in sextae rationis probatione.

f. 230^v

CAPUT VIII.

Tertiae rationis probatio.

Item ut sanctum coniugium inter animam nostram et Christum eius sponsum quod per baptismum contrahitur per corporalem cum ipso coniunctionem perficiatur, ac non tantum contractum voluntatis consensu sit, sed etiam veluti carnali copula consummatum dum per hoc Sacramentum una caro sponsa cum sponso fit.

Superioribus libris ostensum a nobis est per sacra corporis et Christi sanguinis mysteria pie sumpta animam nostram sponso immortali velut nuptiarum copula coniungi, quemadmodum sancti Ephrem aliorumque Patrum auctoritate comprobavimus ⁽¹⁾. Diximus etiam hanc ob causam quod Gen. 2 ⁽²⁾ scriptum est: «*Erunt duo in carne*

⁽¹⁴⁾ *Contra adversarios Legis et Prophetarum*, l. 2, c. 9, n. 93; PL. 42, 658.

⁽¹⁾ *Supra*, p. 80.

⁽²⁾ *Vers.* 24.

f. 231^r *una* » ad Christum et Ecclesiam D. Paulum transtulisse. Nam quemadmodum vir et uxor per carnalem commistionem post contractum matrimonium una caro dicuntur, ut B. Thomas⁽³⁾ et Bonaventura⁽⁴⁾ et plerique alii tradunt et aperte ex Decretalibus⁽⁵⁾ * colligitur, haud dissimili ratione sanctum inter animam nostram et Christum coniugium quod per baptismum contractum fuit per corporalem hanc coniunctionem consummari dicitur, cum spirituali vinculo quo anima Christo copulata est corporalis nexus addatur. Haec animae cum sponso immortalis sponsalia haud ignota fuerunt Veteris Legis Patribus atque Prophetis. De his enim Oseas laecutus est⁽⁶⁾ « *Sponsabo te mihi in sempiternum et sponsabo te mihi in iustitia et iudicio et misericordia et miserationibus, et sponsabo te mihi in fide, et scies quia ego Dominus* ». Ezechiel quoque⁽⁷⁾: « *Ecce tempus tuum, tempus amantium; et expandi amictum meum super te et operui ignominiam tuam et spondi te mihi iure iurando, et ingressus sum pactum tecum, et lavi te aqua et mundavi sanguinem tuum ex te et unxi te oleo* ». David etiam de Christo loquens⁽⁸⁾: « *Tamquam sponsus, inquit Dominus, procedens de thalamo suo* »

f. 231^v Huius sponsi in Evangelio⁽⁹⁾ non tantum frequens est mentio sed et nuptiae describuntur quas homo rex filio suo fecit, ad quas invitati venire renuerunt, qui vero venerunt a servis congregati vestesque nuptiali induti discubuerunt ac cum eis sacrum convivium consummatum est quum corpus suum edendum et sanguinem bibendum Dominus dedit. Sacramentum hoc magnum nimirum D. Paulus non iam sponsalia sed nuptias consummatas esse ait inquit: « *Erunt duo in carne una* »⁽¹⁰⁾. Recordabatur certe * gentium doctor, quod maxime coniugum carnaliter commistorum est, vitam una transigere, Christumque Ecclesiae suae non iam sponsae solum, sed consummato etiam coniugio dilectissimae coniungi perpetuam praesentiam per Eucharistiae Sacramentum ei exhibitum pollicitum fuisse. Nam in coelum ascensurus ne eam orbatam viro relinqueret inquit⁽¹¹⁾: « *Data est enim mihi omnis potestas in coelo et in terra. Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, docentes eos servare omnia quaecunque mandavi vobis. Et ecce vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi* ». Qui ut ad dex-

(3) *Suppl.* q. 44, a. 1, sed contra 2.

(4) *Sent.* 4, d. 27, q. 2, dub. 5.

(5) C. 8, X, de *divortiiis* III, 19.

(6) *Ose.* 2, 19-20.

(7) *Ez.* 16, 8-9.

(8) *Lc.* 20, 1-19.

(9) *Ps.* 18, 6.

(10) *Eph.* 5, 31.

(11) *Mt.* 28, 19-20.

teram Patris sedeat, mox evolaturus est praesentiam pollicetur suam usque ad consummationem saeculi, nimirum eam quam in sacris mysteriis ipsis non solum contemplandam sed manducandam, in stomachum traiciendam atque corporis et animae intimis visceribus unieundam relinquit. De hac enim sacramentali praesentia Christum loqui praeterquam quod complurium Patrum consensus comprobatur, ut **Urbanius** quoque IV, **Clemente V.** referente ⁽¹²⁾, his Domini verbis Apostolos et eorum sequaces confortatos ait quod remaneret et esset cum eis etiam praesentia corporali. Hoc ipsa Christi verba satis etiam nos docent. Nam quum ut baptizarent Apostolis praecepit, iubet etiam ut eius doctrinam et mandata doceant, aperte in his Eucharistiam complectitur. Iam enim corporis sui * manducationem commendaverat edendumque dederat. Iubens itaque ut credentes baptizarent et mandata ipsis caeteros docerent, manifeste; quod maximum mandatorum erat manducationem videlicet corporis et sanguinis ipsis comprehensam voluit. Sed quid opus est in re adeo conspicua plura addere? Redeamus ergo ad explicandam causam quare antiquis Patribus tantum sponsalia cum Christo innotuerunt, non autem consummatae nuptiae. Equidem hanc fuisse rationem arbitror: fuerat illis solum promissus Christi adventus. Sic enim scriptum est, dictum fuisse **Abraham** ⁽¹³⁾: « *Benedicentur in nomine tuo omnes gentes* ». Alibi etiam ⁽¹⁴⁾: « *Iuravit Dominus Deus David veritatem et non frustrabitur eum; de fructu ventris tu ponam super sedem tuam* ». Post Christi vero adventum perfectae nuptiae fuerunt quum natura humana mutuo hinc inde consensu, quum **Virgo** dixit ⁽¹⁵⁾: « *Ecce ancilla Domini* ». Et hae perfecte cum piis omnibus consummatae sunt quum carnem quam de Virgine sumpsit suis in Eucharistia edendam dedit, et edentes unum corpus et unam carnem iuxta naturam suam, modo ante a nobis exposito, secum effecit. Quare recte nimis de hoc sacramento **Bernardus** loquens inquit ⁽¹⁶⁾: « *Hic efficitur una caro, sponsa cum sponso* ». Ceterum ut a metaphora carnalium nuptiarum ad veritatem spiritualis corporalisque cum Christo coniunctionis transeamus, haud ab re erit in memoriam revocare quod antea etiam tetigimus. Nam * quemadmodum per copulam carnalem matrimonium consummatur, quod contractum tantum per consensum dicitur, sic etiam coniunctio quae per fidem et dilectionem nos Christo spiritualiter unierat, per corporis et sanguinis eius dignam perceptionem perficitur et consummatur dum fides ipsa ac dilectio mirum in modum

f. 232^rf. 232^v⁽¹²⁾ *Clementin.* l. 3, tit. 16.⁽¹³⁾ *Gen.* 12, 3.⁽¹⁴⁾ *Ps.* 131, 11.⁽¹⁵⁾ *Lc.* 1, 38.⁽¹⁶⁾ *Supra*, p. 82.

augetur ac perfectissime per Sacramentum consummatur, in quo non modo humana ratio divinae veritati contra omnes naturae leges cedit, sed sensus ipse in obsequium fidei subiicitur. Neque enim in alio fidei articulo ita mente sensuque pariter ipsius hominis fides exercetur, atque in hoc in quo ipse sensus quodammodo deficere cogitur ut in hymno quem canit Ecclesia refertur, quare et lumen sensibus infunde praecatur in alio hymno.

f. 233^r Praeterea quid aequae nostram fidem testatur, quam hoc sacramentum, quod Chrysostomus plane egregie asserit inquitens ⁽¹⁷⁾: « Sed sicut in Veteri Lege, eodem hic modo in beneficio reliquit memoriam mysteriorum colligendo et hic haeticorum ora frenando; nam quod dicunt: unde patet immolatum fuisse Christum, et alia multa mysteria. Haec enim asserentes ora ipsorum consumimus. Si enim mortuus Jesus non est, cuius symbolum etiam ac signum hoc sacrificium est? ». Vides quantum studium fuerit ut semper memoria teneamus pro nobis ipsum mortuum fuisse. Nam quoniam Marcion, Valentinus, Manichaeus, eorumque * sequaces negaturi erant hanc dispensationem in memoriam passionis, per hoc semper ita reducit mysterium ut nemo non insanus seduci possit, ita per sacratissimam istam mensam et salvat et docet. Hoc enim caput honorum omnium est. Quare de hoc Paulus voluit ac repetit, sed tradito iam mysterio. Ad haec in huius sacramenti perceptione recordamur dilectionis et miserationis divinae ad nos Christi incarnationis, conversationis eius in hoc saeculo, ultimae cenae, ac institutionis istius sacramenti, passionis, resurrectionis, ascensionisque eius, quorum omnium divinissimum hoc sacramentum memoriale est. Iam vero ipsa hominis voluntas qua alia in re magis in amorem Creatoris sui accendi potest quam quum cernit adeo ab ipso Unigenito Dei Filio hominem amari ut non renuat dari se in cibum ut in unitate corporis quemadmodum cibus et sumens, ut Thomas inquit ⁽¹⁸⁾, cum eo nos uniat. Ex hoc tam eximii amoris pignore Chrysostomus caritatem Christi commendans ait ⁽¹⁹⁾: « Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes eius? ⁽²⁰⁾. Quis pastor oves pascit proprio sanguine? Et quid dico pastor? Matres multae sunt quae post partus dolores filios tradunt aliis nutricibus. Hoc autem ipse non est passus sed ipse nos proprio pascit cruore, nos sibi coagmentat unicuique fidelium per hoc mysterium se commiscet, et quos genuit per se ipsum nutrit neque alteri tradit ». Haec Chrysostomus. Quid itaque inter coniuges invicem se tenerime amantes desiderari amplius potest quod in hac per Eucha-

⁽¹⁷⁾ Hom. 82 in Mt. n. 1-2; PG. 58, 739.

⁽¹⁸⁾ Sent. 4, d. 8, q. 1, a. 3, resp. ad 1 q.

⁽¹⁹⁾ Hom. 82 in Mt. n. 5; PG. 58, 744.

⁽²⁰⁾ Ps. 105, 2.

ristiam cum Christo coniunctione desit? Quare verissime sane sacramentorum mysteriorum esus copula nuptiarum animae cum Christo copulae nuncupatur. Per hanc enim divinissimam copulam, * fides et dilectio mirum in modum consummatur, et lumen illius fidei quae per dilectionem operatur et augetur et perficitur. Nam fidei dilectionisque perfectio ipsa plane coniunctionis consummatio est, quae tunc perfectissima habetur quum carni Christi mundae caro nostra peccato mortua, unita et incorporata, ut Augustinus ait ⁽²¹⁾, unum cum illo effecta ut de spiritu eius vivamus efficit, sicut unum corpus de suo spiritu cui coniunctum est vivit. f. 233^v

Exposuimus hucusque, quatenus per ingenii nostri imbecillitatem licuit, exemplo humanarum nuptiarum coniunctionem, qua per baptismum Christo coniungimur, per divinum Eucharistiae mysterium perfici, fidem etiam dilectionemque ipsam quae Deo per Christum nos connectit per sacra mysteria augeri consummarique eum in modum ut per eam unum cum ipso effecti, caro Christi et nostra una caro velut coniugum carnali copula commistorum caro dicatur. Reliquum est ut ad quartae rationis probationem transeamus.

CAPUT IX.

Quartae rationis probatio.

Item ut mystici corporis sui membra mente et spiritu ipsi incorporata uno pane vescentia unoque calice participantia arctissimo unitatis nexu inter se conglutinent.

Quemadmodum synaxis vel communio Sacramentum Eucharistiae dicitur quia nos Christo Deoque per Christum unit, ita etiam synaxis et communionem membrorum omnium mystici corporis sub Christo capite efficit, quae non solum coadunatio membrorum singulorum sub uno capite est, verum etiam honorum omnium quae vel in singulis membris vel in toto sunt corpore communicationis cuiusdam * arctissimae causa ut eruditissimis viris videtur. Nam hoc mysterio participantibus, unum in Christo corpus efficiuntur, quemadmodum et Paulus inquit ⁽¹⁾: « *Unus panis et unum corpus multi sumus* ». Et rationem continuo subiicit: « *Nam omnes ex eodem pane participamus* ». Paulum non de pane triticeo loqui sed de pane qui Christus est nemo qui non communi sensu careat inficiabitur. Ille enim divinus panis quamvis nos omnes alat, integer tamen semper manet et vere iunctos f. 234^f

⁽²¹⁾ In Jo. tr. 26, n. 13; PL. 35, 1612.

⁽¹⁾ 1 Cor. 10, 17.

atque hoc sacratissimo mysterio sibi communicantes in unum corpus redigit. Sic ergo ex hac incorporatione communionem quamdam bonorum omnium consequuntur qui divinissimi huius Sacramenti cum fide et pietate participes fiunt. Nam qui seipsum nobis corporaliter participandum dedit, quomodo non omnia pariter secum sui participibus donabit? Quamobrem divinitus illum fidei articulum confitemur quo credimus Sanctorum omnium communionem. Hanc certe communionem Sanctorum per dignam huius Sacramenti sumptionem Christo incorporati obtinent. Ab ipso enim tamquam a capite vitalis gratiae spiritus in singula membra emanant, et quod unicuique membro exhibetur non ipsi tantum confert sed singulis etiam prodest modo fide et dilectione Christo copulati sint. Nam sine fide et dilectione hanc quam dicimus communionem non obtineri, aut certe non tam affluenter praestari atque Eucharistiae pia fidelisque sumptio praestat orthodoxorum omnium sententia est. Ob hanc communionem D. P a u l u s saepius corpus unum et spiritum unum credentes omnes appellat ⁽²⁾. Nam etsi multi sumus unum tamen corpus in Christo sumus omnes qui uno pane participamus, quippe uno * Christi spiritu peruncti sumus quorum omnium caput est Christus a quo omnis vis in membra oritur, venit, et manat. Et quemadmodum cuncta membra quae sub uno capite sunt et ab uno spiritu reguntur unum corpus efficiunt, ita christianorum omnium una est communitio in caritatis unitate permanentium.

Hinc sermonem Christus, auctore Chrysostomo ⁽³⁾, in unanimitate concludit quem a dilectione incepit dicens ⁽⁴⁾: « *Mandatum novum do vobis ut diligatis invicem* » cuius dilectionis finis est unitas quam in nobis optat quum ait ⁽⁵⁾: « *Ut omnes unum sint sicut et nos* ». Haec unitas a Paulo describitur ad Rom., cap. 12 ⁽⁶⁾, et 2 Cor. 12 ⁽⁷⁾, et ad Ephesios, cap. 4 ⁽⁸⁾, et Actuum 4 ⁽⁹⁾: « *Multitudini autem credentium erat cor unum et anima una, neque quisquam eorum quae possidebat aliquid suum dicebat esse, sed erant illis omnia communia* ». Haec igitur spiritualis unitas est quae ex ipsis Pauli verbis excerpitur. Praeterea « *unus panis*, Apostolus ait, et unum corpus multi sumus omnes qui de uno pane et de uno calice participamus ». Participamus autem qui caritate ecclesiae unitatis hoc Sacramentum sumimus; panes enim propositionis qui singulis sabbatis

⁽²⁾ Cf. S. THOMP, *Corpus Christi quod est Ecclesia*, Romae 1937, p. 69-79.

⁽³⁾ Hom. 82, in Jo. n. 2; PG. 59, 443.

⁽⁴⁾ Jo. 13, 34.

⁽⁵⁾ Id. 17, 22.

⁽⁶⁾ Vers. 4-5.

⁽⁷⁾ Vers. 12-27.

⁽⁸⁾ Vers. 4-16.

⁽⁹⁾ Vers. 32.

in mensa ponebantur, calidi coram Domino proponebantur ⁽¹⁰⁾. Significabatur enim hoc ipso panis sacramenti novi qui sumendus cunctis fidelibus proponitur, in calore caritatis et in mensa altaris Ecclesiae sumendus. Ecclesia hoc corpus Christi tam mysticum quam verum unica est ex multis membris composita, cuius * participatio eius est in idipsum. Unitatis Ecclesiae sacramentum sub speciebus panis et vini contentum etiam significatur, cuius unitas quantum per hanc naturalem coniunctionem perficiatur ex Innocentii ⁽¹¹⁾ testimoniis in hoc ipso libro adductis constat. f. 235^r

Mysterium hoc adeo intimae inter nos coniunctionis Cyrillus satis aperuit asserens ex eo proficisci quod in nobis illum qui est indivisibilis accipimus. Cum itaque indivisibili Christi corpore omnes vescamur, ita inter nos separari possit. Sed Cyrillum ⁽¹²⁾ ipsum audire praestiterit, cuius verba, etsi alibi adducta sunt, diversa tamen ratione hic quoque referre nihil oberit. « Ut igitur, inquit, inter nos et Deum singulos uniret quamvis corpore et anima simul distemus, modum tamen adinvenit consilio Patris et sapientiae suae congruentem. Suo enim corpore credentes per communionem mysticam benedicens et secum et inter nos unum nos corpus efficit. Quis enim eos qui unius sancti corporis unione in uno Christo uniti sunt ab hac naturali unione alienos putabit? Nam si omnes unum panem maducamus, unum omnes corpus efficimur ⁽¹³⁾. Dividi enim ac seiungi Christus non patitur. Idecirco etiam Ecclesia corpus Christi facta est et nos singuli membra Christi, secundum Paulum ⁽¹⁴⁾. Uni enim Christo per corpus suum coniuncti, quoniam in nobis illum qui est indivisibilis accipimus, ipsi potius quam nobis membra nostra accomodantur. Quod autem Ecclesia corpus a singulis hominibus * tamquam membris compositum, Salvator vero caput sit, Paulus ostendit dicens ⁽¹⁵⁾: *Ut iam non simus parvuli fluctuantes neque circumferamur omni vento doctrinae in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris, veritatem autem sequentes in caritate, crescamus in illo per omnia qui est caput Christus ex quo totum corpus compactum et connexum per omnem iuncturam subministrationis secundum operationem in mensuram unuscuiusque membri augmentum corporis facit in aedificationem sui in caritatem.* Quod autem corporalis haec unio ad Christum participatione carnis eius acquiritur, ipse rursus Paulus de mysterio pietatis disserens testatur ⁽¹⁶⁾: *Quod aliis, inquit, generationibus agnitum non est* f. 235^v

⁽¹⁰⁾ 1 Reg. 21, 6.

⁽¹¹⁾ DB. 430.

⁽¹²⁾ In Jo. 1. 11, c. 10; PG. 74, 559. Vide supra, p. 214.

⁽¹³⁾ 1 Cor. 10, 17.

⁽¹⁴⁾ Cf. Col. 1, 18; Rom. 12, 27; Eph. 5, 30.

⁽¹⁵⁾ Eph. 4, 14-16.

⁽¹⁶⁾ Eph. 3, 5.

filiis hominum, sicut nunc revelatum est sanctis Apostolis eius et Prophetis in spiritu, esse gentes cohaerentes et concorpores et participes promissionis in Christo. Si autem omnes inter nos in Christo unum sumus corpus, nec inter nos solum verum etiam cum eo qui per carnem suam ad nos transivit, quomodo universi et inter nos et in Christo unum non erimus? Christus enim est huius unionis vinculum qui Deus simul et homo est. Haec Cyrillus.

f. 236^r Eutimius ⁽¹⁷⁾: « Quod si de uno corpore, ait, et sanguine omnes fideles participamus, omnes unum sumus per ipsam omnium mysteriorum participationem, et in Christo omnes, et Christus in omnibus ». Compertum antiquis Patribus satis erat Eucharistiae communionis participationem, communionis, caritatis et unitatis certissimum esse symbolum; quando si discrimen aliquod inter ipsos de rebus sacris oriebatur nec inter se convenire poterant ad significandum non se discedere ab ea * unitate, quae eodem pane participantibus decebat, communionem inter se celebrabant, ut quamvis opinionibus dissidebant unum se esse caritate atque communione ostenderent. Hoc ipsum fecisse veteres Patres historiis sacris traditum est. Irinaeus ⁽¹⁸⁾ enim his verbis historiam annectit, Nicephoro Callisto ⁽¹⁹⁾ teste, dignam profecto quae hic quoque inseratur: « Enim vero, ait, qui Soterem praecesserunt praesbyteri, et Ecclesiam quam nunc tu gubernas administraverunt, Anicetum dico, Pium, Higinum, Telesphorum et Sixtum: neque ipsi ita Pascha et ieiunium observarunt, nec eos qui cum illis fuerunt observare permiserunt. Sed nihilominus ipsi non observantes pacem tenuerunt adversus eos qui ad se ex Ecclesiis quae ita observarent venerunt. Atque equidem maximopere inter se ista, observare scilicet et non observare, dissidebant, numquam tamen eam ob rem aliqui sunt reiecti. Quin ipsi non observantes qui ante te fuerunt presbyteri, advenientibus ex Ecclesiis observantibus Eucharistiam miserunt. Ac quum B. Polycarpus peregre Romam sub Aniceto venisset, et aliquantulum illi inter se de rebus non magnis dissiderent, eis statim compositis deinceps nihil quidquam controversiae inter se de hoc capite moverunt. Neque enim Anicetus Polycarpo persuadere potuit ut non ita observaret quippe id post Joannem Domini nostri discipulum cum quibus vix erat semper observasset, neque Polycarpus Anicetum ut observaret induxit consuetudinem eorum qui nos praecesserunt presbyterorum retinendam esse allegantem. Quae cum ita se haberent, communionem inter se celebrarunt, et in ipsa Ecclesia Anicetus Eucharistiae ministerium Polycarpo honoris gratia f. 236^v permisit, atque ita in pace * per discessum sunt coniuncti, pacem

⁽¹⁷⁾ In Jo. 6; PG. 129, 1255.

⁽¹⁸⁾ EUSEBIUS, *Historia Ecclesiastica*, l. 5, c. 24, n. 15-16; PG. 20, 506-507.

⁽¹⁹⁾ *Historia Ecclesiastica*, l. 3, c. 30; PG. 145, 955-958.

quoque Ecclesiis sive observarent sive non observarent retinentibus ». Haec Nicephorus.

Quae quidem quoties in mentem veniunt, a lacrymis vix temperare possumus cernens corpus Christi sanctissimum quod unitatis caritatisque perfectae et causa et symbolum est, hoc tempore a magna parte hominum non sine execranda impietate expulsum esse, cui, quamdiu communicarunt respicientiae reditusque ad Ecclesiam spes aliqua erat. Hoc enim ipsum Christi corpus dum a Pilato Herodi et ab Herode Pilato illudendum, conspuendum, flagellandum, cruci- que affigendum ultro citroque mittitur, homines, ut Sanctus Cyprianus ait ⁽²⁰⁾, impios, hostili etiam animo vicissim inter se infensos confestim omni veteri odio deposito reconciliavit atque foedere amicitiae copulavit.

Comprobatum esse opinor quartam rationem quare coniunctione hac cum Christo naturali, mystici Christi corporis membra mente et spiritu ei incorporata, corporaliterque coniuncta uno pane vescentia unoque calice participantia arctissimo unitatis nexu inter se inuicem conglutinentur. Quae cum corporalia membra sint, corporaliterque capiti coniungantur, atque per Sacramentum Eucharistiae digne sump- tum unum cum capite Christo efficiuntur. Et cum participet vere ipsius carnis, naturae etiam ipsius quodammodo participare tum vetusti Patres tum recentiores eximii doctores censent, quemadmodum antea ostensum est. Sed quoniam tam de hac coniunctione inter nos, quam de omnibus aliis coniunctionibus quibus Christo Deoque coniungimur, longiorem sermonem superius fecimus, de reliquis corporis Christi mysticis membris, Angelis scilicet et beatis, tractare hic non est opus.

CAPUT X.

* Quintae rationis probatio.

f. 237^r

Idem ut in eo sacrificio quod Deo acceptissimum offerimus nosmetipsos una non spiritu tantum, sed et corpore Filio eius Unigenito insitos, gratam quoque hostiam carnem scilicet nostram peccato antea mortuam carni Christi mundae unitam atque unum cum eo effectam offeramus.

Cum satis inter catholicos constet Eucharistiam et convivium et sacrificium esse quod et ipsius Christi verbis docemur. Nam quum inquit: *Hoc est corpus meum quod traletur, accipite et manducate*

⁽²⁰⁾ Haec allegatio reperiri non potuit.

aperte designat cibum dominicum, ut Hilarius appellat ⁽¹⁾, et convivium et coelestes epulas, ut Hieronymus ad Hedibiam scribens ⁽²⁾ vocat. Quum vero ait: « *quod tradetur* », et, « *hic est sanguis meus qui pro vobis effundetur* » clarissime sacrificium esse ostendit et hostiam quae offerenda fuit, describit. Hoc ergo Eucharistiae sacrificium successit omnibus Veteris Testamenti sacrificiis quae in huius umbra immolabantur, ut Augustinus ⁽³⁾, Cyprianus ⁽⁴⁾, Chrysostomus ⁽⁵⁾ et alii confirmant, licet nostri temporis haeretici satanice insaniant. Quod autem D. Paulus testatur ⁽⁶⁾ *unica oblatione Christum perfectos effecisse in perpetuum eos qui sanctificantur*, sic accipiendum est ut unica oblatio dicatur; quia et ea quae postea in hunc usque diem oblata est et usque in consummationem saeculi offeretur eadem cum illa est quam singulis diebus offerimus ut certi reddamur summi illius sacrificii in ara crucis oblatis meritum nobis communicari. Nam, ut et antea dictum est, vis ac virtus quae ex Domini passione * profluit atque emanat singulis per Sacramenta applicatur, sine quibus remissionis peccatorum gratiaeque per Christi mortem nobis comparatae, participes esse nequaquam possemus. Hanc sacrificii rationem Augustinus optime exprimit inquit ⁽⁷⁾: « Semel Christus mortuus est iustus pro iniustus, et scimus et certum habemus et spe immobili retinemus quia *Christus resurgens a mortuis iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur*. Verba ista Apostoli sunt, tamen non obliviscamini quod semel factum est in memoria nostra sit, omni anno quoties Pascha celebratur numquid toties Christus occiditur? Non, sed anniversaria recordatio repraesentat quod olim factum est et sic nos facit moneri tamquam videamus praesentem Dominum in cruce ». Item ⁽⁸⁾: « Semel immolatus est in semetipso Christus, et tamen quotidie immolatur in Sacramento ». Quod ita intelligendum est quia in manifestationem sui corporis, in distinctionem omnium membrorum suorum versus Deus et versus homo semel tantum in cruce pendit offerens Patri seipsum hostiam vivam et passibilem mortalem, vivorum et mortuorum redemptionis efficacem, eorum scilicet quos altitudo divini consilii redimendos iudicavit, praescivit, praedestinavit, vocavit, modis atque temporibus quibus id fieri congrebat.

⁽¹⁾ *De Trinitate*, l. 8, c. 13; PL. 10, 246.

⁽²⁾ *Ep.* 120, c. 2; PL. 22, 986.

⁽³⁾ *Contra Faustum*, l. 20, c. 21; PL. 42, 385.

⁽⁴⁾ *Ep.* 63, 4-7, PL. 3, 387-390.

⁽⁵⁾ *Hom.* 17 in *Hebr.* n. 3; PG. 63, 131.

⁽⁶⁾ *Hebr.* 10, 14.

⁽⁷⁾ *Enarr.* 2 in *Ps.* 21, n. 1; PL. 36, 170-171.

⁽⁸⁾ *Ep.* 98, n. 9; PL. 33, 363.

Item Ambrosius (9): « In Christo semel oblata est hostia ad salutem sempiternam potens. Quid ergo nos? Nonne per singulos dies offerimus? Scilicet ad recordationem mortis eius et una est hostia et non multae. Quomodo est una non * multae? Quia semel oblatus est Christus. Hoc autem sacrificium exemplum est illius ad ipsum semper. Proinde hoc idem est sacrificium, alioquin dicitur: quoniam in multis locis offertur multi sunt Christi, nequaquam; sed unus ubique Christus et hic plenus existens et illic plenus. Sicut enim quod ubique offertur unum est corpus et non multa corpora, ita et unum sacrificium. Pontifex autem ille est, qui hostiam obtulit nos mundantem. Item ipsum offerimus etiam nunc quae tunc oblata est et consumi non potest; quod nos facimus, in commemorationem fit eius quod factum est. *Hoc enim facite, ait, in meam commemorationem* ». Chrysostomus idem confirmat inquit (10): « Calix benedictionis cui benedicimus nonne communicatio sanguinis Christi est? Horum haec sententia est: quod est in calice, idest quod a latere fluxit illius, sumus participes eorum, in Veteri Testamento, quum imperfectiones essent, quem idolis offerebant sanguinem cum ipse accipere voluit ut ab idolis eos averteret; quod etiam inenarrabilis amoris signum erat. Hic autem multo admirabilius et magnificentius sacrificium praeparavit quum et sacrificium ipsum commutaret et pro brutorum caede seipsum offerendum praeciperet ». Idem alibi (11): « Lex iubebat semper offerre propter infirmitatem et ut memoria peccatorum fieret. Quid ergo nos? Nonne per singulos dies offerimus? Offerimus quidem sed ad recordationem facientes mortis eius. Hoc autem quod facimus * fit eius recordatio quod factum est; hoc facite in meam commemorationem ». Haec Chrysostomus, Augustinus, Ambrosius, Chrysostomus reliqui omnes consentiunt. Consentit etiam canón Nicaeni Concilii (12).

Illud tamen ad nostri propositi confirmationem advertendum est non posse Christi corpus et sanguinem in Sacramento Patri offerri, quin ut una mysticum Ecclesiae corpus cum capite Christo, cui inseparabiliter unitum est, offeratur. Cumque offerens Christi corpus pars et membrum eiusdem mystici corporis sit, in eo simul seipsum offert, ac quemadmodum Christum manducans a Christo manducatur, ita quoque Christum offerens in eodem Christo offertur: quod Patri coelesti gratissimum et acceptissimum nimirum munus est, qui tale donum hominibus dedit, quod vere donum absque ulla spe retributionis datum ab ipso fuit, qui adeo dives suapte natura est ut bonorum

(9) Locus est CHRYSOSTOMI, *Hom. 17 in Hebr.* n. 3; PG. 63, 131.

(10) *Hom. 24 in 1 Cor.* n. 2; PG. 61, 201.

(11) *Hom. 17 in Hebr.* n. 3; PG. 63, 131.

(12) Apud GELASIIUM CYZICENSEM, *Historia Ecclesiastica*, l. 2, c. 30; PG. 85, 1318.

nostrorum non egeat; et quidquid sua immensa benignitate in nos confert, ita confert ut nihil umquam a nobis in suum usum recipere speret. Hoc ipsum bonum ab ipso datum nobis munus est quod ipsi rursus offerimus. « *Tua sunt omnia, inquit rex David* ⁽¹³⁾, *et quae de manu tua accepimus dedimus tibi* ». Hoc ipsum munus a nobis illi oblatum nequaquam respuit; tum quia Filium suum Unigenitum respuere non potest, tum quia nos filios insitos carnemque nostram unam cum Filii carne effectam nimirum iam peccato mortuam et vivificae

f. 239^r Christi carnis virtute * vivificatam aversari nequit quin Filium reiicere videatur, a quo idem naturae proprietate cum eo existens separari non potest.

Hinc divinus Cyrillus nos ex quadam similitudine, quam cum Christo habemus, mortui mundo et interempto in nobis peccato, sacra sacrificia esse asserere, idque oblationem principum significare viventes autem Deo vitam in religione et sanctitate, non dubitavit voluisse, *lib. X de adoratione in spiritu et veritate* ⁽¹⁴⁾ scripsit, cuius verba in primo libro ut graece habent retulimus ⁽¹⁵⁾. Quam vero acceptabiles Deo simus ob hanc cum Unigenito eius Filio coniunctionem B. Bernardus significavit ad sororem scribens ⁽¹⁶⁾: « Moneo te tamen, inquit, aliud gustando intelligas quando corpus Domini recipis quam quod ore sentis. Audi quid sacerdos dicat in consecratione corporis Christi: Rogamus hanc oblationem fieri benedictam per quam nos benedicamur, adscriptam per quam nos in coelo conscribamur, ratam per quam in visceribus Christi censeamur, rationabilem per quam a bestiali sensu exuamur, acceptabilemque facere dignetur quatenus et nos per hoc quod in nobis displicemus, acceptabiles in eius unico filio Iesu Christo simus ».

Acceptam nostri oblationem Deo Patri ipse Bernardus ait qui in eius Filio sumus. Hanc ipsam etiam nostri oblationem in ipsius Christi sacrificio praefigurasse procul dubio videtur aries ille immolari iussus in summi sacerdotis consecratione cuius sanguis super altare effundebatur, atque ipse aries divisus in frusta lotaque

f. 239^v intestina eius ac pedes super concisas carnes et * super caput illius imposita Domino offerebantur in incensum super altare, oblatioque Domino erat et odor suavissimus victimae Domini. Per hunc arietem et eius frusta Christum intelligi et fideles Christi corporis membra de carne eius et de ossibus eius et per omnia in unum congesta Christum et Ecclesiam, caput et corpus in primo libro quum de proba-

⁽¹³⁾ *l Par.* 29, 14.

⁽¹⁴⁾ *PG.* 68, 707.

⁽¹⁵⁾ *Supra*, p. 28-29.

⁽¹⁶⁾ Hanc epistolam invenire non potui.

tione quartae rationis ageremus exposuimus ⁽¹⁷⁾. Quare eodem hic repetere supervacuum est quandoquidem ex his satis constat partes arietis, Christi scilicet membra, in ipsomet ariete offerri. Restat itaque confirmatum quod in quinta ratione asseruimus, videlicet ob naturalem cum Christo unitatem, oblationem quam de nobis ipsis Deo facimus gratum ipsi munus esse, in quo tanto cum nostro foenore ipsi Deo nos tamquam munus quoddam praebemus; quod muneris proprium est retributionis enim spe munus datur. Ob hanc igitur cum Unigenito eius Filio corporalem unionem gratissimum ei munus sumus, utpote membra corporis eius de carne eius et de ossibus eius. Hoc est qui cum iuxta communem carnis proprietatem ei communicabimus, singulari modo vivificae eius carnis participes effecti per Eucharistiam, vera et nova ratione eius membra ipsi capiti aptata et temperata sumus. Haud latuit haec naturae participatio Gregorium Nysse num, Basilii Magni fratrem, qui sic inquit ⁽¹⁸⁾: « Qui Ecclesiae caput Christum esse dicis, in primis cogita unum esse capitis et subiecti corpori naturam et singula membra cum toto naturali quadam necessitudine coniuncta esse ». Rationi quoque consentaneum est ut quemadmodum Dei Verbum ante assumptam carnem mysticum tantum * corpus habebat, ita post eius incarnationem quum corpus verum ipsum Verbum habuerit, decuit inmodum ut corporis ipsius mystica membra veri Christi corporis participantia corporaliter ei unirentur, verumque hoc etiam pacto corpus mysticum per suae etiam carnis communicationem cum membris corporaliter ei coniunctis consequeretur. Ex iis quae hactenus dicta sunt satis constare puto quare Christi corporis oblatio sacrificium etiam sit et appelletur. f. 240

CAPUT XI.

Sextae rationis probatio.

Item ut naturam humanam quam in divinae personae unitatem tractam adeo extulerat nobis vivificae suae carnis sanguinisque pretiosi eius communionem corporaliter sibi unitis singulariter communicaret.

Inter reliquas rationes a summis theologis redditae propter quas oportuit hominem reparari per Christum, hoc est Dei Filium hominem factum, et illa est, quod cum homo a Creatore suo recessisset, totum se creatis ab eo rebus addixit per quae redire ad eum minime poterat. Quare divinae sapientiae consilio effectum est ut homo qui a corporeis rebus avelli nequaquam poterat, per naturam carnis a Verbo Dei as-

⁽¹⁷⁾ *Supra*, p. 52-53.⁽¹⁸⁾ *Supra*, p. 65.

f. 240^v sumptam a carne ad spiritum, a terra in coelum eveheretur, eoque ipso quod Deus homo fieret ipse homo humanae suae naturae dignitatem agnosceret, qua agnita daemōnis iugum excuteret terrenaque tamquam caduca et vilia contemneret spemque conciperet, se aliquando in Deum ascensurum si particeps Christi divinitatis et humanitatis fieret sicut Verbum Patris in carnem descendens, factum est omnium particeps, ut inquit Augustinus, * quae verae sunt nostrae humanitatis. Hoc ipsum Gregorius Nyssenus confirmat qui ita scribit ⁽¹⁾: « Deus autem qui nobis se patefecit idcirco naturae mortali seipsum coniunxit ut eam conjunctione sua divinam redderet. Ideo cunctis credentibus gratiae dispensatione seipsum impertit per carnem quae ex vino et pane constituitur fideliumque corporibus coniungitur ut ea conjunctione cum immortalis homo etiam immortalitatis particeps fiat. Haec autem tribuit virtute benedictionis in illud rerum quae videntur naturam mutans ». Haec eadem verba et antea a nobis recitata sunt.

Manifestius hoc ipsum quod nostra propositio affirmat, Albertus Magnus Episcopus Ratisbonensis ac plerique alii gravissimi viri affirmant, ut superius vidimus ⁽²⁾. Quare impius admodum est quisquis cenae dominicae particeps Christi divinitatis et humanitatis participem se non credit, quisquis maximam in qua evectus est dignitatem non agnoscit, neque vim illam divinam in se non sentit ac temporalia et terrena cuncta spernit, quisquis aeterna et coelestia toto pectore non anhelat, quisquis Verbum illud quod caro factum est suimet inhabitatorem per corporalem suam praesentiam non videt, quisquis denique tamquam de Dei Filio per adoptionem Deique Filii se eiusdem cum eo naturae esse fratrem non cogitat. Exemplo sit nobis virguncula illa Agnes quae nondum decimum tertium aetatis annum egressa, de carne, de mundo, de diabolo triumphans, cum Christo per cibum dominicum una caro effecta, tyranni filii nuptias detrectat, respuit, abominatur et ab alio iam se amatore praeventam testatur: cuius amplexibus castis adstricta corpus eius corpori suo sociatum et sanguinem ipsius iam eius genas ornasse inquit. Quare ipsi soli fidem se ser * vaturam pollicetur. Agnoscit nimirum beata virgo castarum nuptiarum divinam dignitatem, et ob id ad carnales amplexus ab ea se deici non patitur ⁽³⁾.

f. 241^r

Sed in re adeo manifesta comprobanda plura adferre supervacuum est, praesertim quum in primo libro in probatione decimae rationis de hac ipsa dignitate disseruerimus ⁽⁴⁾. Sunt tamen nonnulli

(1) *Oratio catechetica*, c. 37; PG. 45, 98.

(2) *Supra*, p. 20.

(3) Cf. *Breviarium Romanum*, 21 ianuarii.

(4) *Supra*, p. 93-97.

adeo deliciis voluptatibusque carnalibus affixi, quod maxime dolendum est, ut nihil sublimius de se cogitent quam quod carnis natura eis suadet et tantum quod oculis cernunt animo complectuntur; atque ita demisse de se sentiunt ut indigna Dei maiestate res ipsis videatur haec quam asserimus divinitatis humanitatisque Dei Filii per carnis suae esum sanguinisque sui potum participatio, sanguinisque coniunctio. Tanto intervallo Deum ab homine distare aiunt ut Christi donationis, ut *Irinaei* (5) verbis utar, carnem nostram minime capacem esse existiment. Isti summam nostrae naturae vilitatem cum inenarrabili divinae naturae maiestate conferentes, huic corporali cum Deo coniunctioni prorsus refragantur. Nimis profecto errant quicumque aut indignam carnem nostram tanta gratia censent, aut Deo prorsus indignum esse ita intime nos sibi coniungere, parum perspectam isti habent rationalis animae naturam ad quam homo ad imaginem Dei factus corpus cui ut forma unitur, spirituale quodammodo reddit. De divina etenim maiestate ignorare videntur nihil divinae eius voluntati placere quod Deo indignum esse possit. Tanta enim est illa maiestas ut nec augeri valeat nec minui. Quaecumque autem vult omnia iusta sunt et se digna. Ut vero quam iusta quamque Deo digna hominis reparatio coniunctioque haec cum Deo sit perspiciamus, meminisse oportet Deum non temere hominem condidisse cum * sit sapiens et sapientis opus nullum sit temerarium. Neque ob suum usum et necessitatem; nullius enim indigeret, unde nullum usum captare potest ex rebus a se creatis.

f. 241v

Neque ad gratiam ullius suorum operum, ut *Athenagora* (6) philosophi Atheniensis verbis utar. Nihil enim eorum quod ratione et iudicio utitur ad alterius usum creatum est sed ad suam ipsius vitam et incolumitatem. Bruta vero hominibus usum ad quem nata sunt de se praebent. Quam ob rem si neque sine causa temereve creatus est homo, satis liquet primariam et universalem rationem ob quam Deus hominem creavit esse ob se ipsum suamque et bonitatem et sapientiam quae in omnibus creatis reluet. Propinquior certe et cohaerens ipsi creato homini causa est, ut viveret non autem vita eiusmodi quae paulisper calesceret mox in perpetuum extingueretur, quemadmodum brutis animantibus accidit. Homini autem, qui Deo imaginem in seipso circumfert, unaque cum eo mentem rerum creatricem possidet iudicioque rationis instructus est, perpetua diuturnitas assignatur, ut, suo Creatore cognito, eius potentiam et sapientiam legibus iustitiaeque imitetur et una feliciter in aeternitate pereuntem vitam agat. Hic vero absque corpore aeternam vitam ha-

(5) *Adv. Haereses*, l. 5, c. 2, n. 2-3; PG. 7, 1126-1127.(6) *De resurrectione mortuorum*, n. 12; PG. 6, 998.

bere non dicetur; neque enim hominis anima ab ipso corpore seiuncta perfectionem suam consequetur. Siquidem prima animae perfectio fuit ipsius unio cum corpore ut corporis forma, quamobrem corporis etiam aeternitas ad perfectam hominis vitam necessaria est. Hinc quoque liquet, eadem ratione qua hominem Deus creavit, corporis etiam beatam immortalitatem fuisse intentam quam cum diaboli fraude et suo peccato homo amisisset recuperare minime poterat nisi, ut inquit f. 242^r Augustinus (*) humana eius caro quae * erat ob peccatum mortua, carni Christi mundae unita ac unum cum illo effecta, de spiritu eius viveret. Nemo enim vivit de spiritu Christi qui de eius corpore non est, quemadmodum nullum corpus vivit nisi de suo spiritu. Si ergo indignum artificis non est opus suum ad finem ab ipso conceptum perducere, indignum Deo non erit unum secum corpus efficere hominem quem ut aeternum vivat creavit? Aeternum autem vivere non potest nisi de spiritu suo vitam accipiat. De spiritu autem suo nemo vivit nisi qui de corpore suo est, ut ex Augustini (†) sententia constat.

Superest ergo expendere quae tanta nostri corporis vilitas sit ut ob eam indigna haec cum Christo coniunctio censeatur. Certe postquam humana caro Verbo Dei unita est, haud absque magna erga Deum ingratitude, magna etiam humanae naturae iniuria, indigna tanta eius gratia dicetur; cum et rebus insensatis, puta, aquis, ut aeternam homo consequatur vitam ad quam creatus est, divina benignitas vim quamdam contulerit, quae in eis latet. Una enim cum fide eius qui baptizat et qui baptizatur per sanctam invocationem plenas sanctificatione Spiritus et divini ignis cogitandas esse aquas admonemur; quemadmodum de baptismo Nicaeni Concilii canon (‡) testatur, quem graece etiam adscribere praestabit, quoniam ab haereticis male in latinum transfertur negantibus vim illam divinam aquis baptismi conferri: « Τὸ βάπτισμα ἡμῶν οὐ τοῖς αἰσθητοῖς ὀφθαλμοῖς κατανοητέον, ἀλλὰ τοῖς νοεροῖς. Ὑδὼρ ὄρεῖς, νόησον τὴν ἐν τοῖς ὕδασι κρυπτομένην τοῦ Θεοῦ δύναμιν. Ἐν γὰρ Πνεύματι ἁγίῳ καὶ πυρὶ βαπτίζεσθαι ἡμᾶς οἱ ἱεροὶ διδάσκουσιν λόγοι * ἐν γὰρ πιστεῖ τοῦ βαπτίζοντος, καὶ ἐν πιστεῖ τοῦ βαπτιζομένου διὰ τῆς ἱερᾶς ἐπικλήσεως, πλήρη τοῦ ἁγιασμοῦ τοῦ Πνεύματος καὶ τοῦ θεοῦ πυρὸς νοεῖ τὰ ὕδατα. « Αὐτὸς γὰρ, φησὶ, βαπτίσει ὑμᾶς ἐν Πνεύματι ἁγίῳ καὶ πυρὶ. Κατέρχεται μὲν οὖν ὁ βαπτιζόμενος ὑπεύθυνος ἁμαρτημάτων, καὶ τῇ τῆς φθορᾶς δουλείᾳ ἐνεχόμενος ἄνερχεται δὲ ἐλευθερωθεὶς τῆς τε τοιαύτης δουλείας καὶ τῆς ἁμαρτίας. Υἱὸς τοῦ Θεοῦ καὶ κληρονόμος χάριτι αὐτοῦ γεγονὼς συγκληρονόμος δὲ Χριστοῦ, αὐτὸν ἐνδυσάμενος

(*) In Jo. tr. 26, n. 13; PL. 35, 1612.

(†) Loco modo allegato.

(‡) Textus allegatus a GELASIO CYZICENSI, *Historia Ecclesiastica*, l. 2, c. 30; PG. 85, 1315.

τὸν Χριστὸν, καθὼς γέγραπται. «Ὅσοι εἰς Χριστὸν ἐβαπτίσθητε, Χριστὸν ἐνεδύσασθε» Hoc est: «Baptisma nostrum non sensibilibus oculis sed mentalibus considerandum est. Aquam vides? Considera divinam vim quae in aquis latet. Nos enim Spiritu Sancto et igne baptizati tradunt sacra eloquia. Nam in fide eius qui baptizatur et eius qui baptizatur peccatis obnoxius et corruptionis servitute detentus ascendit autem ab ea servitute et a peccatis liber filius Dei et haeres gratia Dei factus, cohaeres autem Christi, ipsum indutus Christum sicut scriptum est: *Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induti estis*». Haec tenus canon.

Perspicias * concilium considerare vim illam latentem in aquis f. 243^r
iubere, plenasque sanctificatione Spiritus et divini ignis cogitare aquas? Neque prohibere sensu carere aquas ut nullam gratiam Spiritus habeant, et hoc ea ratione ut per eas Spiritui Sancto domicilium in baptizati anima paretur, in qua per fidem in baptismo habitaturus est. Concilii Nicaeni sententiae veteres plerique Patres consentiunt ac in primis Tertullianus qui sic ait (10): «Igitur omnes aquae de pristina originis praerogativa sacramentum sanctificationis consequuntur, invocato Deo. Supervenit enim statim Spiritus de coelis et aquis superest sanctificans eas de semetipso; et ita sanctificatae vim sanctificandi combibunt quamquam ad simplicem actum competat similitudo ut quoniam vice sordium delictis inquinamur aquis abluamur». Irinaeus (11) etiam auctor est per lavacrum baptismi corpora nostra ad incorruptionem tendere, animas vero per Spiritum qui est in aquis. Unde utraque necessaria, et spiritus et aqua, ut in vitam Dei proficiamus. Chrysostomus quoque (12): «In nobis, inquit, baptizandis, non simplex aqua operatur, sed quum aqua Spiritus gratiam accipit omnia abluit peccata». Et alibi (13) baptismi aquam asserit fieri sacramentum quum acceperit Spiritum Sanctum, et iam non esse aquam potationis sed sanctificationis. Cyrillus etiam ait (14): «Per Spiritus Sancti operationem ad divinam virtutem aquas reformari quae Spiritus virtutem combiberunt». Sunt innumeri alii qui eandem sententiam confirmant. Ergo quum insensatae etiam res Spiritus sanctificationis voluntate * divina sint capaces, ut per eas et f. 243^v
Spiritus invisibilis gratiam et per fidem homo vitam aeternam consequatur, quanto magis ipsa hominis caro capax erit huiusmodi gratiae quae ipsam corporaliter cum Christo connectit cum anima quae ipsius corporis forma est Spiritus Sancti templum sit?

(10) *De baptismo*, 4; PL. 1, 1312.

(11) *Adv. Haereses* 1, 3, c. 17, n. 2; PG. 7, 930.

(12) Cf. *Hom.* 36 in *Jo.*, PG. 59, 204.

(13) Cf. *Hom.* 11 in *Mt.*, PG. 57, 197; *Hom.* 82 in *Mt.*; PG. 58, 743; *Hom.* in *quadragesimum Lazarum*; PG. 50, 644; *Hom.* in *Ps.* 96, 4-5 (spuria); PG. 55, 609.

(14) In *Jo.* 1, 2, c. 1; PG. 73, 243-246.

Caeterum ut ipsius carnis dignitas per se sumpta et tamquam hominis altera pars luculentius innotescat, unius Tertulliani testimonium accersatur, cuius haec verba sunt ⁽¹⁵⁾: « Anima ita carni inserta est et immista ut incertum haberi possit utrumne caro animam, an animam circumferat carnem; utrumne animae caro an anima pareat carni; per carnem anima depascitur omnem naturae usum, omnem mundi fructum, omnem saporem elementorum, per carnem omnium sensuum instrumento fulcitur. Sermo de organo carnis est. Artes per carnem, studia, ingenia per carnem, opera, negotia, officia per carnem; ita caro Domini ministra et famula animae deputatur, consors et cohaeres invenitur. Si temporalium, cur non aeternorum? Carni christiani hominis magna praerogativa apud Deum est. Nulla anima salutem adipiscitur nisi dum est in carne crediderit. Caro abluitur ut anima emaculetur, caro ungitur ut anima consecretur, caro signatur ut et anima muniatur, caro manus impositione adumbratur ut et anima spiritu illuminetur. Caro corpore et sanguine Christi vescitur ut et anima de Deo saginetur. Ieiunat caro, de suo proprio incommodo instauratur. Virginitas, viduitas, modesta in occulto matrimonio

f. 244r * dissimulatio, de bonis carnis Deo adolentur. Caro pro numinis fide in medium extracta et odio publico exposita pro ea decertat. Caro supplicis erogatur enixa reddere viscera Christo moriens pro ipso ».

Christus mandans dilectionem post suam in proximum, facit ipse quod praecepit, diligit carnem tot modis sibi proximam etsi infirmam, sed virtus in infirmitate perficitur ⁽¹⁶⁾ etsi imbecillam, sed medicum non desiderant nisi male habentes ⁽¹⁷⁾ etsi inhonestam, sed inhonestioribus maiorem circumdamus honorem ⁽¹⁸⁾, etsi peccatricem, sed veni, inquit, ut quod periit salvum faciam ⁽¹⁹⁾, etsi peccatricem, sed malo, inquit, salutem peccatricis quam mortem ⁽²⁰⁾, etsi damnatam, sed ego, inquit, percutiam et sanabo ⁽²¹⁾, Legitur ⁽²²⁾: « Omnis caro fenum » legitur etiam ⁽²³⁾: « Omnis caro videbit salutare Dei ». Legitur ⁽²⁴⁾: « Non manebit Spiritus meus in hominibus istis, quia caro sunt » at legitur per Joelem ⁽²⁵⁾: « Effundam de spiritu meo super omnem carnem ». Denique ⁽²⁶⁾: « Verbum caro factum est »: En percipis corpora-

⁽¹⁵⁾ De resurrectione carnis 8; PL. 2, 852.

⁽¹⁶⁾ 2 Cor. 12, 9.

⁽¹⁷⁾ Mt. 9, 12; Mc. 2, 17.

⁽¹⁸⁾ 1 Cor. 12, 23.

⁽¹⁹⁾ Lc. 19, 10.

⁽²⁰⁾ Ez. 33, 11.

⁽²¹⁾ Deut. 32, 39.

⁽²²⁾ Is. 40, 6.

⁽²³⁾ Lc. 3, 6.

⁽²⁴⁾ Gen. 6, 3.

⁽²⁵⁾ Joel. 2, 28.

⁽²⁶⁾ Jo. 1, 14.

lem hanc Christi unionem Dei maiestate indignam non esse, imo Dei sapientia bonitateque dignam; qui eam ob causam hominem creavit ut in eo sapientia bonitasque eius perspiceretur, homoque aeternum duraret. Perspicis etiam carnis nostrae naturam haud incapacem indignamve esse summae Dei gratiae qua homo per cibum dominicum corporaliter Christo iuxta carnis etiam naturam unitur. Demonstravimus igitur quod sexta ratione affirmavimus, effectum videlicet praedictae naturalis unitatis esse ut natura humana quae in divinae personae unitate * tracta adeo exaltata est dignior in unoqueque nostrum f. 244^v vivificae Christi carnis pretiosique sanguinis eius per Eucharistiam communionem corporaliter sibi unita efficeretur.

CAPUT XII.

Septimae rationis probatio.

Item ut nihil in nobis ex Adae massa infectum remaneat, quod congruenti remedio non curetur atque sanctificetur.

De curatione morbi alicuius tractaturum, oportet naturam morbi cognitam prius habere ut medici vere docent. Cum igitur congruenti remedio per corporalem cum Christo coniunctionem asseramus curatum quidquid corruptum ex origine in nobis fuit, non ab re foret de hac corruptione altius aliquid explorare, de qua si diligentius disserendum nobis esset, longa nimis lucubratione opus esset ad declarandam corporis corruptionem et animae aegritudinem ex peccato Adae provenientem. Tot enim sententiae ac opiniones de concupiscentia et contagione quae in posteros Adae transfunditur sunt, ut nec brevi recenseri, nec facile de his iudicium ferri possit. Perquam difficile enim Beato Augustino (1) visum est, ut ipse confitetur, intelligere cur odibilis Deo fiat peccato originali infectus, qui ignarus et quasi invitus hoc fermento conspersus est, licet constet originale peccatum ex voluntate esse quia ex voluntate primi hominis seminatum est, ut in illo esset et in omnes transiret.

Difficultas enim ipsius rei, Pelagii et Juliani erroris causa fuit, * qui docuerunt concupiscentiam et defectus in quibus nascimur esse naturales, talesque nos nasci quales essemus, si Adam non peccasset. Atque ideo sicut homo naturaliter est mortalis propterea quod ex contrariis est compositus, ita ex contrarietate appetituum sensitivi et intellectualis, naturaliter et necessario inferiores f. 245^r

(1) *Retractiones* l. 1, c. 13, n. 5; PL. 32, 604.

vires insurgunt contra superiores ⁽²⁾. Non longe ab hoc dogmate abest qui foedam illam pruriginem et veneris stimulos non a peccato sed a natura proficisci scripsit. Obliti sunt isti Deum fecisse hominem rectum et inexterminabilem ad imaginem suam, virtute iustitia et veritate ab eo ornatum. Per hunc autem hominem peccatum in hunc mundum intrasse et iustitia ac virtutibus ob hoc ipsum spoliatum.

Nostro autem tempore haeretici Martinus Lutherus et Bucerus contrarium Pelagio dogma docuerunt, asserentes concupiscentiam etiam habitualement, quam naturae depravationem vocant, iniustum et odibilem hominem reddere ⁽³⁾. Qui naturam sanam esse affirmarunt, ut Pelagius et Julianus, homini, qualis in creatione erat, non opus esse medico et redemptore censuerunt. Qui vero iniquitatem vel peccatum per gratiam tolli volunt, ut Lutherus, Christi gratiam valde extenuant, quam magis abundasse, quam peccatum Adae Paulus testatur ⁽⁴⁾. Quod si constituti in Adam peccatores iniqui et Deo odibiles post baptismum sunt, abundat profecto peccatum super gratiam. Utramque haeresim Ecclesia damnavit.

f. 245^v Inter catholicos vero etsi variae sint opinioniones ⁽⁵⁾ de hac concupiscentia, sibi que invicem adversari * videntur, sententia tamen et re ipsa si pie intelligantur consentiunt, varietasque eorum obscurissimae rei explicationi plurimum profuit. Quidam putant peccatum originale esse poenae reatum, id est debitum quo addicti sumus poenae temporali et aeternae pro peccato actuali primi hominis nisi per gratiam liberemur, et reatum poenae peccatum nominant qui peccati est effectus.

Alii recentiores peccatum originale quod in omnes posteros transit, peccatum Adae esse inquit, non quidem propagantis et prolem generantis sed inobedientiae quo praeceptum in Paradiso datum transgressus est; hoc enim solum eius corrumpit posteritatem, et omnibus ex eo secundum seminalem rationem propagatis imputari ad damnationem, eandemque re ipsa esse concupiscentiam eorum, quae carni suavia et commoda sunt, ante et post baptismum, imo ante peccatum, effectus tamen esse et supplicium inobedientiae Adae, iustitiae originalis privationem. Unde carnis adversus spiritum concupiscentia, calamitates omnes ortae quibus obnoxii sumus. Secundum hos, huiusmodi concupiscentia non est peccatum Deo odibile quod supplicium me-

⁽²⁾ De errore pelagiano cf. G. DE PLINVAL, *Pélage*, Lausanne 1943; P. PARENTE, *De creatione universalis*, Taurini 1943, p. 196-199.

⁽³⁾ De errore lutherano cf. P. PARENTE, *Anthropologia supernaturalis*, Taurini 1943, p. 38-41.

⁽⁴⁾ *Rom.* 5, 20.

⁽⁵⁾ De diversis opinionibus saec. XVI circa peccatum originale subortis cf. A. GAUDEL, *Péché Originel*, DTC, 527-531.

reatur, sed sequi concupiscentiam, aiunt, principia naturae hominis, iustitia originis destitutae.

Tertia aliorum opinio est desiderantium Catholicorum et Lutheranorum controversiam circa hoc componere. Hi enim aiunt quod reatus est formale in peccato originali et ideo hoc soluto per baptismum non manere proprie peccatum quamvis in se maneat qualis erat prius; et hanc opinionem referunt in Augustinum, quem male intelligunt. Augustinus enim intelligens reatum inseparabiliter comitari peccatum, scripsit quod non habere peccatum est * non esse reum peccati: nam f. 246^o alioquin quum reatus peccati sit effectus et peccatum reum faciat et dignum supplicio, non potest reatus esse formale ita ut eo soluto ex hoc solo tollatur ratio peccati: formale, privationem gratiae appellant; materiale autem ipsum ipsum fomitem. Ad haec, a reatu fornicatio non est mala, nec peccatum Deo odibile nec concupiscentia, sed quae peccata sunt ex hoc reos faciunt secundum leges quia sunt peccata.

Quarta B. Thomae opinio recensetur, cuius in prima secundae (*) sententia est. Primum primi hominis peccatum originaliter transire in posteros, transire autem ut in eis vere peccatum sit quum transfunditur; quod hoc ipsum est, quod ex origine aliquem defectum habere ea culpa ratione fieri, quod corruptio ista totius posteritatis voluntaria est Adae voluntate, qui rectitudinem pro ea tota acceperat. Et quamvis externa voluntas non videtur sufficiens esse ad peccati rationem, cum tamen eius sit voluntas qui iustitiam et rectitudinem voluntatis accipit, pro aliis sufficiens censetur. Unde secundum B. Thomam peccatum originale solum in posteris est in quantum recipitur natura a primo parente. Quare naturae peccatum vocatur. Et Paulus (?) « *Eramus natura filii irae* ». Quod itaque per originem non esset increpabile, si consideraretur qui nascitur peccato infectus, secundum se fit increpabile, relatum ad aliquod principium. Est igitur secundum Thomam concupiscentia peccatum in parvulo, nuper nato ut est filius Adae et eius quasi membrum, respectu habito ad eius inobedientiam, ad quam in ipso et tota posteritate rebellio et virium corruptio sequuta est, et eius consideratione voluntaria sicut actus peccati exterior, voluntarii etiam peccati rationem habet sola comparatione ad voluntatem imperantem.

Diversitas harum sententiarum inter catholicos doctores hinc nascitur, quod quidam eorum peccatum originale considerant * secundum se ut in hoc homine est, iisque videtur esse morbus tantum et effectus quasi naturalis, non imputabilis. Alii vero ipsum referunt ad inobedientiam Adae, et ii dicunt esse peccatum quamvis ita parum f. 246^o

(*) *Summa Theologica* I, II, q. 81, a. 1.

(?) *Eph.* 2, 3.

culpa imputabilis habeat ut vix dici debeat peccatum. Nonnullis videtur et ad actuale Adae peccatum referendum. Alii credentes magis quod docent, quam intelligentes Patrum dictis et Sacrae Scripturae, Conciliique Milevitani et Tridentini decretis ⁽⁸⁾ innitentes, peccatum ad poenam imputabile iudicant.

Quod igitur ad nostrae rationis comprobationem attinet est intelligere non omnes nasci peccatores et iniustos eo modo et qualis primus homo factus est ex mandati transgressione et non qualis erat peccando. In ipso enim solum peccavimus non in nobis personaliter etsi singuli ex nobis facti sumus peccatores et Dei inimici; quia primus homo a Deo factus fuit rectus in plena mentis ad ipsum subiectione, virium partis sensitivae ad rationem et corporis ad animam, hoc est in omni pace et tranquillitate totius hominis et in eo nos omnes esse possemus. Eo vero peccante quasi solutis habenis quae omnia moderabantur et intra rationis metas continebant unaquaeque virium in sibi commoda et suavia, nulla rationis vel legis Dei habitata ratione delata est. Homo igitur atque eius posteritas amissa iustitia a Deo ipsi indita expulsoque spiritu Dei in ipso habitante per quem ad Deum tamquam ad summum bonum convertebatur, ab eo aversus ad caduca conversus, totus immundus reus aeternae mortis factus est, viribus inferioribus adversus rationem rebellantibus, carne concupiscente adversus spiritum morti denique et innumeris calamitatibus in corpore et anima est subiectus. Eiusmodi hominis posteris carnea mole aggravata, nascimur filii irae, servi peccato, pronis ad malum ab adolescentia sensibus, terrenis intricati curis, carnalium voluptatum foecae infecti, peccatis involuti. * In omni bono opere frigidi, diversis malis prostrati et proclives ad quaecunque vitia inepti autem ad honesta. Per quae autem rimulas in posteros haec primi parentis labes promanavit, magnis se coarctatum angustiis, Augustinus testatur ⁽⁹⁾, quum de poenis parvulorum respondendum sibi esset.

Cum igitur fermento et peccato Adae omnes homines conspersi nascamur, quomodo id fermentum in nobis inspersum sit, scire parum refert, siquidem constat ipso originis vitio a Deo mente aversa inordinata conversione, macula et reatu ex Adae transgressione relicta, non solum bonis omnibus privari sed in contraria mala incurrere Deoque fieri odibiles in nobismetipsis et filios irae, modoque traductionis consequentis traditionem naturae. Inscrutabilia enim sunt iudicia Dei et ideo Scripturae ea docenti et Sanctis Patribus eam interpretantibus credimus magis quam intelligimus. Ergo quae de huius corruptionis

⁽⁸⁾ Cf. DB. 101-108; 787-792.

⁽⁹⁾ Cf. N. MERLIN, *S. Augustin et les dogmes du péché originel et de la grâce*, Paris 1931, p. 416-425.

ratione diximus sufficienti, et iam de perfecta per novum Adam curatione aliquid dicamus. Primum animadvertendum est diverso modo nasci a Christo filios gratiae atque ab Adam filios irae. Ab hoc enim per traductionem, a Christo vero merito passionis et victimae eius per fidem filii Dei efficimur. Nam quum Christus Deus et homo sit naturae humanae limites superat et eius personae divinae actus toti naturae mereri potest. Est itaque sanctorum doctorum sententia humanam uniuscuiusque naturam suo peccato et labe damnari. B. A n s e l m u s de damnatione infantium loquens ita inquit ⁽¹⁰⁾: « Nam si ipse non haberet suum peccatum non damnaretur et ita non portat iniquitatem Adae sed suam propriam quamvis illius iniquitas istius peccati causa fuerit ». A u g u s t i n u s ⁽¹¹⁾: « Parvulus, ait, contrahere poenam et eius meritum ». Per meritum dignitatem intelligit eo quod meritum proprie in sola consistat * operatione. Nam sicut parvulus baptizatus ex interna dispositione dignus est haereditate et vita aeterna quam non meretur, sic parvulus non baptizatus dignus est damnatione ob suum peccatum suamque dispositione sine merito suo et parentum. In altero tamen qui vitam aeternam consequitur Christi meritum operatur. Unde errasse eos patet qui asserentes peccatum Adae esse inobedientiae non quidem propagantis et prolem generantis, nihil in parvulo intrinsece existens agnoscent propter quod esset odio dignus, considerantes dumtaxat quod in Adam peccavit; et ob solum eius peccatum, in quo communicabat, esset Deo odibilis.

f. 247v

Est nempe in unoquoque suum peccatum et sua corruptio tam in corpore quam in anima, ad quam curandam Unigenitus Dei Filius factus est homo ut toti homini corpori et animae aegrotanti simul mederetur quemadmodum D a m a s c e n u s ⁽¹²⁾ scribit: « Deum, inquit, perfectum et hominem perfectum dicentes Christum, omnino cuncta tribuemus et patris naturalia et matris. Nam factus homo est ut quod victum vincat. Non enim impotens erat qui omnia potest et omnipotenti potestate et virtute eripere a tyrannice detinente hominem, sed accusationis et querelae erat materia tyrannizanti qui vicerat hominem si a Deo vim pateretur. Eum ipsum igitur qui lapsus est victorem demonstrare volens miserator Deus et amator hominum homo factus est simile simili reparans. Quod autem rationale animal et intellectuale homo nemo reclamatur. Quomodo igitur homo factus carnem inanimatam aut animam intellectualem assumpsit? Non hoc enim homo. Quid autem ab humanitate utilitatis accipimus eo qui primo passus fuerat non salvato neque coniunctione divinitatis renovato et roborato? Quod enim assumptione destitutum est, incurabile est. * As-

f. 248r

⁽¹⁰⁾ *De conceptu virginali*, c. 26; PL. 158, 460.

⁽¹¹⁾ *Enarrat. in Ps.* 50, n. 10; PL. 36, 1592.

⁽¹²⁾ *De fide orthodoxa* l. 3, c. 18; PG. 94, 1071-1074.

sumpsit igitur totum hominem et quod eius optimum quod ob infirmitatem ceciderat ut toti salutem condonaret. Mens autem sine intelligentia et privata cognitione fuerit nunquam. Nam si inefficax omni operatione destituta et immobilis et inexistens omnino fuerit. Quod secundum suam imaginem est, renovare volens Deus Verbum homo factus est. Quid autem secundum imaginem nisi mens? Quod melius igitur relinquens deterius assumpsit. Mens enim intermedia est Dei et carnis; huius quidem ut inhabitatrix, Dei vero ut imago. Mens igitur menti miscetur et intermediat mens puritati Dei et crassitie carnis. Si enim animam intellectualem menteque carentem Dominus assumpsit, irrationalis animantis animam assumpsit. Quod si sic, quo pacto dicit evangelista Verbum carnem factum esse? Sciendum autem quod in Sacra Scriptura quandoque anima dicitur homo ut hic ⁽¹³⁾: *In septuaginta quinque animabus intravit Jacob in Aegyptum*. Quandoque autem caro dicitur homo ut hoc in loco ⁽¹⁴⁾: *Et videbit omnis caro salutare Dei*. Non caro igitur inanimata neque mente destituta, sed homo factus est Dominus. Inquit enim ipse ⁽¹⁵⁾: *Quid me caedis hominem qui veritatem vobis loquutus sum?* Assumpsit igitur carnem animatam anima rationali et intellectuali. Moderatrix siquidem ipsa carnis est moderata vero a Verbi divinitate ».

f. 248^v. His Damasceni verbis id omne quod in homine corruptum erat a Filio Dei assumptum asseritur ut per ipsum renovaretur; et ne quid in homine incurabile remaneret, corpus simul * et animam assumpsit. Et ut congruenti remedio homini depravato opem ferret, cum non simplex sed compositus ex corpore sensibili et intellectuali anima homo sit, duplici quoque ad eius reintegrationem indigebat modo, qui, ut inquit Cyrillus ⁽¹⁶⁾, duplicitate sua ad utrumque possit accomodari. Spiritu enim Sancto spiritus hominis, corpore vero corpus sanctificatur ⁽¹⁷⁾. Quam vero fuerit necessaria Christi corporis cum nostro coniunctio idem Cyrillus optime declarat inquit Christum plumbo assimilari, quia plumbum ad ligandum connectendumque aptum est, argentumque reprobum plumbo misto et simul liquefacto purgatur. Utrumque hoc in nobis Christus efficit corporaliter et spiritaliter nobis immistit. Cyrilli verba sic habent: « Συνήψε δὲ ἡμᾶς δι' αὐτοῦ τῷ Θεῷ καὶ Πατρὶ, καταλῶσας τὴν ἔχθραν ἐν τῷ σώματι αὐτοῦ, καθὰ γεγραπταὶ καὶ γούν ἔφη πρὸς τὸν ἐν οὐρανοῖς Πατέρα καὶ Θεόν, περὶ τῶν ἐν πίστει τῇ, εἰς αὐτὸν δεικναιμένων: « Πάτερ, θέλω ἵνα ὡσπερ ἐγὼ καὶ σὺ ἔν ἐσμεν, οὕτω καὶ αὐτοὶ ἐν ἡμῖν ἐν ὧσι »

⁽¹³⁾ Gen. 46, 27.

⁽¹⁴⁾ Is. 40, 5.

⁽¹⁵⁾ Jo. 8, 40.

⁽¹⁶⁾ De adoratione in spiritu et veritate, l. 3; PG. 68, 297-300.

⁽¹⁷⁾ Eph. 2, 16.

Κέκληται ταύτη τοι κασσιτέρινος λίθος, κασσιτέρω γάρ κολλάται τά κολλώμενα. Ἐφη δε που Θεός δια φωνῆς Ζαχαρίου, τόν ἴδιον ἡμῖν καταδεικνύων Υἱόν, ὡς κατὰ καιροὺς ἤξοντά τε καὶ πορευσόμενον: « Καὶ χαρήσονται, καὶ ὄψονται τόν λίθον τόν κασσιτέρινον ἐν χειρὶ Ζοροβάβελ' ». Οὕτω τοιγαροῦν κἀντάδε τάλαντον μολίβδου φησὶν αὐτόν. Καὶ τίς ὁ τοῦδε λόγος, ἐρῶ δὴ Πάλιν. Ὁ ἀδοκίμος ἀργυρος ἀναμιξέ μολίβδω τηρόμενος, εἰ μάλα διακαταίρεται, εἰς ἐαντὸν ἀρπάζοντος τοῦ μολίβδου φυσικῶς, τοῦ συγκαιομένου τὸν ὄψον* τοιοῦτόν τι κα' εἰς f. 249^o ἡμᾶς αὐτοὺς ἐπλήρωσε Χριστός. Ἀδοκίμοις γάρ οὔσιν ἐμίχθη σωματικῶς τε ἅμα καὶ πνευματικῶς, οὕτω τε λοιπόν τὸν ἐν ἡμῖν κατέτηξε ὄψον. Αἰρεῖ γάρ ἡμῶν τὰς ἁμαρτίας, ἵν' ἡμεῖς δι' αὐτὸν τε καὶ δι' αὐτοῦ, καθαροὶ τε ὦμεν καὶ λελαμπρυσμένοι. Καὶ γοῦν ὁ προφήτης Ἰερεμίας τοὺς τῶν Ἰουδαίων λαοὺς τήν δια Χριστοῦ κάθαρσιν οὐ προσιεμένους, ἐποτινάτο λέγων. « Εξέλιπε φουσητήρ ἀπὸ πυρός, ἐξέλιπε μολίβδος, εἰς κενόν ἀργυροκόπος ἀργυροκοπεῖ, πονηρία αὐτῶν οὐκ ἐτάκησαν ἀργύριον ἀποδοκιμασμένον καλέσατε αὐτοὺς, ὅτι ἀπεδοκιμασεν αὐτοὺς Κύριος ». Συῖης οὖν ὅπως οὐκ ἠγγόηκεν ἡ θεία Γραφή τήν ἐπ' ἀργύρω κάθαρσιν οὐ δίχα μολίβδου πράττεσθαι δυναμένην. Οὐκοῦν ἐπειδήπερ ἀδοκίμους ὄντας ἡμᾶς ἐξεκάθηρεν ὁ Χριστός, μολίβδω παρεικάλεται, καὶ αὐτός ἐμφράττει τῆς ἁμαρτίας, τὸ στόμα τῆς ὡς ἐν εἶδει γυναικός. Γυνή δε σύμβολον ἀσθενείας τε ἅμα καὶ ἡδονῆς ἀνομίας τε πάσα διὰ τούτων πράττεται. Ἦδονῆ γάρ τινι τῆ εἰς τὸ τυχόν, ἢ τότε προκαταφθαρμένος ὁ νοῦς, οὕτω τε ἀπονευρούμενος, τοὺς εἰς ὄρετην ἀποφέροντας ἀνήσει πόνους, πίπτει δέ πρὸς ἁμαρτίαν ἢ τοῦ ἀνθρώπου ψυχῆ. τοιγάρτοι φιλήδονοι μᾶλλον ἢ φιλόθεοι λεγονταίντες. Ἐπιφωγεὶ δὲ καὶ ὁ προφήτης τοῖς ἐξ ἀσθενείας ψυχικῆς κατηρόσθηκοσι τήν ἁμαρτίαν, καὶ τήν εἰς φανλότητα πάρεσιν. « Ἰσχύσατε χεῖρες ἀνειμέναι, καὶ γόνατα παραλελυμένα ». * Hoc est: « Univt nos per seipsum Deo et Patri dirimens inimicitias in corpore suo, ut scriptum est. Unde ad coelestem Patrem et Deum iniquit de his qui per fidem iustificati sunt (18): « Pater, volo ut quemadmodum ego et tu unum sumus sic et ipsi in nobis unum sint ». Qua ratione appellatus est stanneus lapis. Stanno enim agglutinantur ea quae inter se iunguntur, quod indicat Dominus voce Zachariae (19) proprium nobis ostendens Filium destinato tempore venturum et adfuturum et in praesentia eundem ipsum suum Filium Deus plumbi talentum nominat; et quid prae se ferat haec oratio dicam rursum. Argentum reprobum nisi cum plumbo et expurgari non potest, cum plumbo liquefactum purgatur optime, quia plumbum sordes et purgamenta ad se trahit et excoquit. Tale quiddam in nos praestitit Christus. Reprobi enim cum essemus et vitiorum sordibus cooperati nobiscum mi-

(18) Jo. 17, 24.

(19) Zach. 4, 10.

stus est et corporaliter et spiritualiter. Unde effectum est ut nostras omnes liquefaceret sordes. Tollit enim peccata nostra ut nos per ipsum et ex ipso puri simus et in splendorem redacti. Unde propheta Hieremias Judaeorum populum qui per Christum expiari recusat, miseratur inquires (20): « Defecit sufflatorium, in igne consumptum est plumbum, frustra conflavit conflator, malitiae enim eorum non sunt consumptae. Argentum reprobum vocate eos quia Dominus proiecit illos ». Intelligis igitur quomodo non ignoraverit divina Scriptura argenti purgationem quae sine plumbo excoqui et expurgari non potest. Quoniam igitur nos reprobos Christus peccatis * expiat, plumbo comparatur et ipse os peccati obturat in muliebri specie. Femina porro imbecillitatis signum est et voluptatis atque deliciarum. Unde omnis iniquitas habet ortum quod a voluptate omnis vitiositas dimanat. Ut enim corrupta mens voluptate et in hoc et in illud ruit nefas, sic eadem mens voluptate enervis laboribus succumbit quibus ad virtutem itur. Unde plures voluptatis quam Dei sectatores reperias. Instigat igitur hos propheta, qui ex imbecillitate mentis demittunt animos et in peccatis et vitiis volutantur: « Confortamini manus remissae et soluta genua ». Haec Cyrillus. Qui apertis verbis corporali cum Christo coniunctione immunditiam nostram expurgari ait.

Quod et Augustinus in epistola ad Irinaeum iam toties a nobis citata testatur (21). Joannes itidem Damascenus de hac per corporis Christi coniunctionem nostrarum sordium expurgatione ita scribit (22): « Hoc est purum illud profecto et incruentum sacrificium quod ab ortu solis usque ad occasum sibi oblatum iri per prophetam Dominus ait; corpus nimirum et sanguis Christi ad animi et corporis nostri firmamentum cedens quod non consumitur nec corrumpitur nec in secessum progreditur, absit, sed in essentiam nostram et conservationem depulsionemque omnium incommodorum et omnium sordium expurgationem. Si aurum deprehendat adulterinum, inflammationis censura illud purgat ne in futuro saeculo cum mundo damnemur. Curat enim morbos et genus omne calamitatum ut D. ait Apostolus (23): Si nos ipsos iudicaremus * non utique iudicaremur; dum iudicamur autem a Domino corripimur ne cum mundo damnemur. Idque est quod ait: Itaque qui sumit corpus et sanguinem Domini indigne iudicium sibi manducat et bibit. Per ipsum purgati Domini corpori et ipsius Spiritui coniungimur et Christi corpus efficimur ». Sed et clarius quantum nostri corporis renovationi haec coniunctio

(20) Cap. 6, vers. 29-30.

(21) Supra, p. 79.

(22) De fide orthodoxa, l. 4, c. 13. PG. 94, 1150-1151.

(23) I Cor. 11, 29, 31-32.

necessaria fuerit intelligatur, Cyrilli verba ad Calosyrium adscribam ⁽²⁴⁾: « Decebat ergo, inquit, cum nostris quodammodo uniri corporibus per sacram eius carnem et pretiosum sanguinem quae accepimus in benedictione vivificativa in pane et vino. Ne enim horreremus carnem et sanguinem apposita sacris altaribus, condescendens Deus nostris fragilitatibus, influit oblati vim vitae convertens ea in veritate propriae carnis, ut corpus vitae, quasi quoddam semen vivificativum inveniatur in nobis. Unde subdit: *Hoc facite in meam commemorationem*. Idem nexus igitur, inquit, unionis nostrae ad Deum Patrem, Christus est, nobis quidem ut homo, Deo Patri ut Deus naturaliter unius. Non erat enim possibile corruptioni subiectam hominis naturam ad immortalitatem condescendere nisi natura immortalis atque incommutabilis ad eam descendisset ac communione participationeque sui a mortalitatis nostrae terminis ad suum bonum reformatos elevaret ».

Gregorius quoque Nyssae pontifex, quem Euhimius ex oratione catechetica refert, nostram propositionem prorsus confirmat. Inquit enim ⁽²⁵⁾: « Quemadmodum qui per insidias venenum hauserunt * alio medicamento vim illius extinguunt, oportet autem ut ad veneni medicamentum in viscera ingrediatur ut per illam totum in corpus auxilium diffundatur, ita a nobis faciendum est ut quum venenum quo natura nostra dissolvitur gustaverimus, medicamentum quo illa contrahitur suscipiamus ut virus illius contraria et opportuna huius vi pellatur. Quodnam et hoc medicamentum? Nullum aliud nisi corpus illud quod morte praestantius declaratum est et nostrae salutis causa. Quemadmodum enim *parum fermenti*, ut inquit Apostolus ⁽²⁶⁾, *totam massam* sibi similem reddit, sic corpus illud quod a Deo factum est immortale, in nostrum corpus ingrediens totum in se transfert atque commutat. Nam ut pestiferum cum salubri commistum illud efficit perniciosum, sic et corpus immortale reddit totum illud in quo susceptum est naturae simile immortali. In corpus autem ingredi non potest, nisi per cibum et potum visceribus immisceatur. Itaque necessarium est ut natura nostra quoad eius fieri potest, vim salutarem intra corpus admittat. Cum autem nullum aliud nisi divinum illud corpus eam gratiam susceperit, demonstratumque sit, fieri non posse ut nostra corpora consequantur immortalitatem nisi cum immortali corpore coniungatur atque ita incorruptionem acquirant ». Non indigent haec Gregorii verba expositione ad ostendendum quam congruens medicina fuerit corporalis cum Christo per Eucharistiam coniunctio ad extinguendam vim illam veneni quod in Adam omnes hausimus. Hanc de qua loquimur curationem necessariam inferioribus

f. 251^r⁽²⁴⁾ In Lc. 22, 19; PG. 72, 911.⁽²⁵⁾ Oratio catechetica, c. 37; PG. 45, 94.⁽²⁶⁾ 1 Cor. 5, 6.

f. 251^v etiam nostris viribus, vel ex eo intelligere possumus quod quatenus ad parendum rationi aptae natae sunt * non sunt culpae aut meriti expertes.

Verba Pauli huius per Christum curationis nos magnifice admonent ^(26bis): « *Videte, inquit, ne quis vos decipiat per philosophiam et inanem fallaciam secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, et non secundum Christum, quia in ipso habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter; et estis in illo repleti qui est caput omnis principatus et potestatis* ». Paulus his verbis manifeste significat divina dona ab ipso Christo ad nos pervenire tamquam a capite in membra, membra, inquam, tamquam capiti incorporata, eiusdemque cum eo naturae qui caput est omnis principatus et potestatis; quique, ut inquit *Damascenus* ⁽²⁷⁾, ortum secundum nobis dedit ut per ipsum corpus Domini purgati, eius corpori et ipsius spiritui coniungamur et Christi corpus efficiamur. Animae ergo corporisque nostri ab ipsa origine depravatione nullum potuit congruentius medicamentum excogitari ad utramque hominis partem sanandam quam ut natura, quae ex Adae massa veteri fermento conspersa erat, corrupta, novo secundi Adae fermento conspergeretur, ac nova conspersione effecta, nihil veteris Adae massae in nobis remaneret. Neque mirari oportet si post hanc conspersionem per quam ad Deum convertimur natura maneat aversa ac vitiosa, nam reparatio et sanatio solum sunt personales. « *Iustitia enim iusti, dicit Dominus, super eum, et impietas impij super eum* » ⁽²⁸⁾. Quare si Christi iustitiae participes esse volumus, necesse est ut singuli iustitiae ipsius participemus. Quae cum perfecta sit participationem et vitam in Christo participantibus aeternam confert.

f. 252^r Hac vero participatione quantum nostra corrupta caro sanitatis acquirat Nicolaus Episcopus Methonensis, vir eruditissimus, ad eos qui haesitant scribens optime declarat ⁽²⁹⁾: « *Quid enim * est, ait, panis? nimirum corpus Christi. Quid vero fiunt participantes? nimirum corpus Christi. Nam participantes corpore Christi nos etiam ipsum efficiamur. Nam quia caro nostra universa corrupta est a peccato, opus nobis fuit nova carne* ».

Non necesse, arbitrator, plura addere ad confirmandam primam huius rationis partem qua asservimus ex hac corporali coniunctione congruenti medicamine curatum, quidquid ex Adae massa in nobis corruptum erat. Superest secundam partem comprobare, quae sanctificari per hanc coniunctionem tutum hominem fatetur.

^(26bis) Col. 2, 8-10.

⁽²⁷⁾ De fide orthodoxa, l. 4, c. 13; PG. 94, 1151.

⁽²⁸⁾ Ez. 18, 20.

⁽²⁹⁾ Cf. De vita in Christo l. 4; PG. 150, 589-599.

CAPUT XIII.

De sanctificatione totius hominis per corporalem cum Christo unionem tam quoad animam quam quoad corpus.

Haec pars ex propria vi et significatione ipsius vocis sanctificandi sanctificationisque manifeste comprobatur. Sanctificare enim a sancto dicitur. Sanctus, idem est quod mundus, sive purus, ac sincerus. Unde a Dionysio ⁽¹⁾ sanctitas asseritur esse ab omni iniquatione libera et perfectissima et incontaminatissima puritas. Haec puritas Deo soli simpliciter et ex se convenit, quae trina sancti appellatione incessanter coelestes illos seraphicos spiritus laudare Sacrae Litterae testantur ⁽²⁾, in quo et essentiae unitatem et personarum trinitatem innui sancti doctores observarunt: in cuius laudem et gloriam in Synodo Calcedonensi ⁽³⁾ a sexcentis triginta Patribus hymnus ille quem « Trishagium » vocant: Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus et immortalis, celeberrimus decantatus est. Neque sanctus solum ob hanc puritatem Deus est dictus, sed sanctus sanctorum, quod duo Gregorii, theologus videlicet nuncupatus ⁽⁴⁾, alter Nyssae Episcopus ⁽⁵⁾, absolute dici asserunt, hoc est non secundum quid vel relative, sed simpliciter ex se ipso. Est enim Deus ipsa unitas, causa concordiae, naturalisque convenientiae et salutis universorum. Quicumque post Deum * sanctus dicitur, non absolute neque suapte natura sancti nomine nuncupatur, sed ob eam tantum sanctitatem quam, per Christum a peccato et immunditia liberatus, habet. Christum vero sanctum nasciturum vocandumque Filium Dei angelus praedixit ⁽⁶⁾. Unde et sanctus sanctorum vere Christus appellari potest, tum quia sanctus absolute et simpliciter est, tum ob sanctificationem quam hominibus confert, non absolutam quidem, qua divina solum natura pollet, sed participatam.

f. 252^v

A sancto sanctus et sanctificatio sanctificareque derivatum est. Cumque hominibus suapte natura sanctitas non competat sed secundum quid et relative, quod aiunt, variis modis accipitur. Significat enim sanctificatio, ipsam a peccato emundationem. Paulus ⁽⁷⁾: « Haec voluntas Dei, sanctificatio vestra ». Significat nonnunquam confirmationem in bono: Sancta, enim antiqui, quae legibus erant munita

⁽¹⁾ *De Divinis Nominibus*, c. 12, § 2; PG. 3, 970.

⁽²⁾ *Is.* 6, 3.

⁽³⁾ Ut refert I. DAMASCENUS, *De fide orthodoxa* l. 3, c. 10; PG. 94, 1022.

⁽⁴⁾ Cf. *Oratio* 31, n. 4; PG. 36, 133.

⁽⁵⁾ Cf. *In Cant. hom.* 11; PG. 44, 1007.

⁽⁶⁾ *Lc.* 1, 35.

^(6 bis) *1 Thess.* 4, 3.

quaeque violari non deberent, vocabant. Paulus (7): « Mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus perficientes sanctificationem in timore Domini ». Et Apocalypsis 22 (8): « Sanctus, sanctificetur adhuc ». Ezechiel 37 (9): « Percutiam cum eis foedus pacis, pactum sempiternum erit illis, et dabo sanctificationem meam in medio eorum in perpetuum ». Hanc confirmationem mirum in modum efficit sacrorum donorum digna perceptio. Est enim panis cor hominum confirmans, praefiguratus in subcinericio pane Heliae, cuius virtute robur tantum accepit ut quadraginta dierum iter sine alio cibo perageret usque ad montem Dei Oreb (10). Aliquando etiam significat deputationem ad cultum Dei ut (11): « Unges illud in sanctificationem ». B. Hieronymus in lib. *adversus Iovinianum* (12) exponens sententiam Pauli dicentis (13): « Sanctificatus est vir infidelis in muliere fidei », quod Paulo sanctum fide candidatum sine Christo iam * animo destinatione deputatum intelligit: « Candidatus, inquit, fidei est infidelis si nolit a credente discedere ». Et eodem modo interpretatur in *epistola ad Paulinum* (14) qui ab eo petiverat quomodo sancti sunt secundum Apostoli sententiam, qui de fidelibus, idest de baptizatis nascuntur cum sine dono gratiae postea acceptae et custoditae salvi esse non possint. « De hoc, ait ipse, problemate Tertullianus in libris *de Monogamia* disseruit, asserens sanctos dici fidelium filios quod quasi candidati sunt fidei et nullis idolatriae sordibus polluantur ». Haec Hieronymus.

Qui longe profecto est ab haeresi Calvini, Bulingeri, Hulrici Zuinglii, qui aliam Pauli auctoritatem in eodem loco infideliter intelligentes, docent nasci sanctos filios et haeredes Dei quotquot ex fidelibus nascuntur parentibus (15). Hallucinantur enim haud distinguentes sanctitatem quae est immunitas a peccato et spiritu inhabitante, a sanctitate illa, quae quia a sancto trahitur sanctitas appellatur. Haec talis non est ut parvulum a damnatione liberet si non baptizatur. Ergo non huiusmodi est sanctificatio. Nam et catechumenos secundum quemdam modum suum per signum Christi et orationem manus impositionis puto sanctificari. Et quod accipiunt, quamvis non sit corpus Christi sanctum, est tamen sanctius quam

(7) 2 Cor. 7, 1.

(8) Vers. 11.

(9) Vers. 26-27.

(10) 3 Reg. 19, 6-8.

(11) Ex. 30, 30, cf. Lev. 8, 12.

(12) Lib. 1, n. 10; PL. 23, 234.

(13) 1 Cor. 7, 14.

(14) Ep. 85, n. 5. PL. 22, 753.

(15) De quorum doctrina erudite A. WAGNER, *Reformatorum saec. XVI de necessitate baptismi doctrina*, Divus Thomas Plac. (1942) 5-34.

cibi quibus alimur. Quoniam sacramentum est. Ipsi etiam cibi, teste Paulo⁽¹⁶⁾, quibus corpora nostra reficiuntur, per Verbum Dei et orationem sanctificari dicuntur. Non tamen idcirco ista ciborum sanctificatio efficit ut quod intravit per os non in *ventrem vadat et in secessum emittatur* (17) per corruptionem, quia omnia terrena solvuntur. Alia est esca quæ non corrumpitur, alia quoque sanctificatio quæ ad intrandum in regnum coelorum aut ad remissionem peccatorum valet.

Redeamus itaque ad eam de qua loquebamur sanctificationem, quam deputationem ad cultum Dei significare diximus. * Hoc enim f. 253^v
 pacto non solum res animatae, sed inanimatae sanctificationis capaces dicuntur. Unde unguentum, hostia et pleraque alia inanimata in Lege Veteri sanctificationes et sanctificata vocabuntur. De animatis dicitur (18): « *Sanctifica omne primogenitum* », idest tribue ac describe tanquam sacrum. Christus passionem suam sanctificationem nuncupat (19): « *Et pro eis ego sanctifico meipsum* ». Quoniam, ut inquit Cyrillus (20), sanctificari secundum legem consuetudinem dicitur quod aut sacrum Deo ab hominibus offertur, ita sanctificare offerre quidquam Deo secundum legis consuetudinem significat. Cum igitur Christus obtulit seipsum Patri, sanctificavit se mudumque Patri reconciliavit. Ipse enim est pax nostra, participatione et sanctificatione Christi spiritus, lapsum genus humanum reductum est ad Deum. Paulus (21): « *Ex ipso autem vos estis in Christo Jesu qui factus est nobis sapientia a Deo iustitia et sanctificatio et redemptio* ». Pro nostris igitur peccatis Unigenitus Dei Filius homo factus tamquam sacram hostiam in odorem suavitatis Deo Patri seipsum obtulit ut cum e medio sublatum sit quod a Deo nos separat, idest peccatum, nihil nobis impedimento sit quin, si voluerimus, Deo adhaeramus et participatione ipsius per Spiritum Sanctum fruamur reformantes nos ad iustitiam, ad sanctificationem et ad imaginem primam. Hanc Christi oblationem, suam esse sanctificationem significatamque in vitulo sine macula et nondum stimolato, Cyrillus his verbis testatur: « *Δαμβάνεται τὸννυ ὁ μόσχος ἀμώμητος τέ καί ἀπληκτος εἰς τύπον Χριστοῦ τοῦ ἀληθῶς ἀμώμου καί τοῦ ἐκ τῆς ἀμαρτίας τραυματισμοῦ οὐκ ἀνασχομένου παθεῖν ἔρχεται γάρ φησίν, ὁ ἄρχων τοῦ κόσμου τούτου καί ἐν ἐμοί στηρίζει οὐδέν, οὐ γάρ ἐποήσεν ἀμαρτίαν κατά τὰς Γραφάς. Προσάγεται δέ πρὸς αὐταῖς τῆς ἁγίας σκηνῆς ταῖς θύραις ἔναντι Κυρίου τό παθεῖν ὥσπερ οὐ πταιούμενος ὑπερ γε τῆς ἁγίας σκηνῆς τούτεστι τῆς ἐκκλησίας* f. 254^r

(16) Rom. 14, 6.

(17) Mt. 15, 17.

(18) Exod. 13, 2.

(19) Jo. 17, 19.

(20) In Jo. 1, 11, c. 10; PG. 74, 543.

(21) I Cor. 1, 30.

ἀναρθευμένων τε ὑπὲρ αὐτῆς εἰς ὄσμην εὐωδίας τῷ Θεῷ καὶ Πατρὶ, τοιγάρτοι καὶ ἔφρασκεν ὑπὲρ αὐτῶν: ἐγὼ ἀγιαζῶ ἑμαυτὸν, τὸ ἀγιαζῶ λέγων τοῦ προσάγω ἀνατίθῃμι προσφορὰν ἀμώμητον τῷ Θεῷ». Hoc est: « Assumitur igitur vitulus immaculatus et sine vulnere in Christi figuram vere immaculati, ac a vulnere ex peccato immunis; venit, inquam ⁽²²⁾, mundi huius princeps et in me non habet quidquam. Non enim peccatum fecit secundum Scripturas. Adducitur ad ipsas sancti tabernaculi fores coram Domino ut patiat,ur, tamquam haud exceptus, pro sancto tabernaculo, hoc est Ecclesia, reponiturque pro ea in odorem suavitatis Deo Patri, quod et dixit ⁽²³⁾: Pro ipsis sanctifico meipsum. Sanctifico, dixit, pro offero, atque absolvo oblationem immaculatam Deo et Patri ». Haec Cyrillus.

Ergo ob corpus quod Christus Patri in ara crucis in sacrificium obtulit, sanctificare seipsum ait. Quae enim corporis eius sunt de ipsius persona referuntur. Non potuit Christus haec sui corporis oblatione ac morte non sanctificare seipsum, qui vitam et sanctificationem reliquis omnibus promittit et dat. « Mors enim illius, ut Athanasius ⁽²⁴⁾ ait, non poena peccati neque comparabilis cum morte Adae, sed peccati mortisque per peccatum nascentis expiatio fuit ». f. 254^v *Magnum pietatis mysterium a Paulo ⁽²⁵⁾ dicitur, Deum * manifestum esse in carne, iustificatum in spiritu, hoc est non humano more sed divina puritate propter iustitiam quam habuit Dominus in spiritu omni peccato liberam; qui, ut inquit idem Paulus ⁽²⁶⁾, factus est ex semine David secundum carnem; qui praedestinatus est filius Dei virtute secundum spiritum sanctificationis. Cum enim Christi humanitas in unitate personae Filii Dei, qui sanctus absolute est, subsistat, sanctificatio ipsius perfectissima est ac reliquas omnes sanctificationes longe superat utpote aqua aliae omnes sanctificationes proficiscuntur. Hebraei namque illud omne quod offerebatur in altari sanctificatum dicebant, quia ex quo tangebatur altare sanctificabatur et non poterat deservire communibus usibus. Levit. 6 ⁽²⁷⁾: « Omnis qui tetigerit illa sanctificabitur ». Hinc illa in Veteri Testamento manum super caput hostiae frequens impositio ⁽²⁸⁾, ut illi quorum manus hostiam Deo oblatam tangebant, hostiae participarent sanctificationem. In Nova vero Lege sine manuum impositione nemo sacris mysteriis initiatur. Si ergo appropinquatio ad sanctificantem sanctificationem efficit qui Deo cuius solum est sanctificare, in unitate personae coniunc-*

⁽²²⁾ Io 14, 30.

⁽²³⁾ Jo. 17, 19.

⁽²⁴⁾ Hoc testimonium invenire non potui.

⁽²⁵⁾ I Tim. 3, 16.

⁽²⁶⁾ Rom. 1, 3.

⁽²⁷⁾ Vers. 18.

⁽²⁸⁾ Cf. Lev. 1, 4; 3, 2.7.13; 4, 4.15.24.29.33.

tus est, vere et proprie sanctus et sanctificatus erit; iique eius sanctificationis participes efficiuntur a quo omnis sanctificatio emanat «*tamquam unguentum quod descendit in barbam, barbam Aaron et in oram vestimenti eius*» (29). Sanctitas atque sanctificatio haec Christo, ut Deo, et homini competens hymno illo qui sacrificio praemittitur, iuxta sententiam Gregorii (30) apte significatur; dicitur enim: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth. Benedictus qui venit in nomine Domini. Ab angelis et * hominibus pariter laudatur f. 255^v voce angelica, ut idem Gregorius ait, unitas essentiae et personarum trinitas in Deo commendatur, voce humana, unio deitatis et humanitatis in Christo commendatur. Sancti ac Domini exercituum laudantium angelorum vox est: *Benedictus vero qui venit etc.*, turbae praecedentis et subsequentis in solemnium illo Christi in Jerusalem ingressu acclamatio fuit.

Sed ad propositum redeamus. Coniunctionem appropinquationemque cum sancto sanctificationis causam esse satis declarat illud quod habetur *Levit.* 10 (31): «*Sanctificabor in his quae appropinquant mihi*». neque sanctificatio sine coniunctione neque coniunctio ad Deum sine sanctificatione unquam obtinebitur. *Hebr. ult.* (32): «*Pacem sequimini cum omnibus et sanctimoniam sine qua nemo videbit Deum*». Deum nemo ab eo separatus videre potest. Quod si ex secretioris philosophiae rationibus haec eadem affirmare licet, perspicuum est Platone(m) (33) sanctitatem eam esse statuisse qua Deo redditur quod ab ipso solo sine causa intermedia accipitur. Hoc Plato rationem, mentem Dei imaginem et divinum semen appellat, quod Deo reddendum existimat. Inter pietatem vero, sanctitatem ac religionem differentiam hanc esse ait quod pietas est summa Dei cognitio: sanctitas eius quod Dei est. Deo cognitio redditio, animae scilicet nostrae, eiusque virium ex quo vinculo indissolubili Deo nos copulari asserit. Religio vero eius, quod Deo redditum est, assidua meditatione iustisque operibus cum ipso Deo indissolubilis religatio. His tribus virtutibus adorationem et votum addit. Per adorationem intimius Deo nos coniungi vult, per animae nostrae cum divina virtute unionem. Et alibi Deo posse quemquam coniungi negat nisi per unitatem stabilitatem et simplicitatem. Haec tria * sanctificatio comprehendit. Adorationem sequitur votum, quod nihil aliud est, iuxta eiusdem Platonis sententiam, quam ad divinam illam vim bonitatemque se convertere toto mentis affectu. et indubia spe illius opem implorare. Non f. 255^v

(29) Ps. 132, 2.

(30) Hunc locum reperire non valui.

(31) Vers. 3.

(32) Cap. 12, vers. 14.

(33) In dialogo «*Eutyphrones*» passim Plato agit de sanctitate, at hunc definitum locum invenire non potui.

novit Plato votum quod Ecclesia catholica agnoscit. Sed de his satis.

Redeuntes igitur ad propositum concludamus sanctificationem adquiri appropinquatione et convictione ad sanctificantem. Ut ipsius sanctificationis fonti coniungi possimus Sacramenta instituta sunt per quae participes sumus illius sanctificationis quam Christus in cruce nobis promeruit, dicente Paulo ⁽³⁴⁾: « *In qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Jesu semel* ». Sine hac enim per Sacramentorum coniunctionem oblatione ipsa non consummamur, ut idem Paulus testatur, subiiciens ⁽³⁵⁾: « *Una enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos* ». Itaque cum Sacramenta Christo nos coniungant, passionisque eius vis et efficaciae participes efficiant, dubium non est quin quanto magis Christo coniuncti, magis in ipso confirmati et magis a terrenis ad coelestia sublevati, maiorem sanctificationem nanciscemur, magisque ac magis illud ipsum Dei nomen quod sanctificari quotidie precamur, in nobis sanctificabitur. Confirmat hoc quod ii qui in Sacra Scriptura leguntur in utero matris sanctificati, quanto propinquiori gradu Christo coniuncti sunt, tanto maiore sanctificatione praestiterunt. Beatae enim Virginis Mariae sanctificatio, quae praeservatio potius dicenda, quamplurimis insignibus viris videtur. Maria, inquam, quae vera Domini nostri mater fuit, sanctificationem Joannis Baptistae longe superavit. Hieremiae sanctificatio, qui ipsius Christi aperto vaticinio multo ante conceptionem praedixit, * inquit ⁽³⁶⁾ « *Novum faciet Dominus super terram, mulier circumdabit virum* », a Joanne Baptistae sanctificatione superata est. Baptista enim Christo in utero, existenti testimonium perhibuit. His ita traditis, perspicuum remanet quae vis ac virtus per corporalem in Eucharistia digne a nobis sumpta cum Christo coniunctionem, sanctificationi nostrae accedat, quando non tantum spiritu sed corpore etiam divinae communionis perceptio corporalisque nos intime adeo Christo coniungat. Unde Magnus Dionysius ⁽³⁷⁾: « *Ideirco, ait, et sanctorum sacra functio divinas participationes largitur utrique, animae quidem in speculatione purissima et vera eorum quae geruntur scientia; corpori vero per sacratissimum, ut in imagine loquamur, unguentum et per divinae communionis augustissima signa, totum sanctificans hominem integramque salutem ipsius operans, atque universalibus lustrationibus exactissimam eius resurrectionem fore denuncians* ». Haec Dionysius. Ex cuius verbis locus ille Pauli elucidatur ⁽³⁸⁾: « *Nolite, inquit, errare, neque fornicarii,*

⁽³⁴⁾ Hebr. 10, 10.

⁽³⁵⁾ Hebr. 10, 12.

⁽³⁶⁾ Jer. 31, 22.

⁽³⁷⁾ De Ecclesiastica Hierarchia, c. 7, § 9; PG. 3, 566.

⁽³⁸⁾ I Cor. 6, 9-11.

neque idolis servientes, neque adulteri neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures neque avari neque ebriosi, neque maledici neque rapaces regnum Dei possidebunt. Et haec aliquando quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi, et in spiritu Dei nostri ». Non satis fuit Paulo dicere abluti estis, sed addidit sanctificati estis. Nam quemadmodum utramque naturae humanae partem eiusdem assumptione Verbum Dei sanctificavit, ita utramque partem singulorum mente corporeque per sacra baptismi et Eucharistiae dona ei unitorum animas et corpora sanctificat. Utrumque cum Paulus de Christi corpore, quod est Ecclesia dilecta eius sponsa loquitur, intellexisse videtur inquitens ⁽³⁹⁾: « Sicut et Christus dilexit Ecclesiam * et seipsum tradidit pro ea ut ipsam sanctificaret mundans eam lavacro aquae in verbo vitae, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam aut rugam aut aliqua huiusmodi, sed ut sit sancta et immaculata ». Quae usque ad finem capituli Paulus addit manifestum faciunt de ea etiam sanctificatione etiam loqui Paulum quam per sacram Eucharistiam tam in anima quam in corpore membra corporis illius de carne eius et de ossibus eius effecti assequimur. Unde non absque magna ratione qui in anima et corpore vitam sanctam egerunt, sacris exactis certaminibus, ut sacer Dionysius ⁽⁴⁰⁾ ait, in locis dignissimus cum aliis sacris corporibus resurrectionem sanctificationi, quam viventes habuerunt, congruentem expectantia reponuntur. Remanet ergo satis ostensa secunda septimae assertionis pars in qua id omne quod ex Adae immunditia contraximus et ad peccatum imputatur, perfectissima hac cum Christo coniunctione sanctificatum remanere asseritur. Vae iis qui huiusmodi sanctificationis non sunt consortes, quibus summa cum ratione illud Isaiæ dici poterit ⁽⁴¹⁾: « Non appropinques mihi quia immundus es ». Sed vereor ne maior eorum numerus sit quia ut in libris Paralipomenon scriptum est ⁽⁴²⁾: « Non fuerunt sacerdotes sanctificati qui possent sufficere ». Orandus tamen est assidue Dominus qui universa illuminat et profunda de tenebris producit, ut miserimis hisce temporibus Ezechiam excitet, qui, cum Dominum oraret pro populo non sanctificato, ab eo exauditus placatusque est dicente ⁽⁴³⁾: « Dominus bonus propitiabitur cunctis qui in toto corde requirunt Dominum Deum patrum suorum, et non imputabit eis quod minus sanctificati sint ».

f. 256^v⁽³⁹⁾ Eph. 5, 26.⁽⁴⁰⁾ De Ecclesiastica Hierarchia, c. 7, § 9; PG. 3, 566.⁽⁴¹⁾ Is. 65, 5.⁽⁴²⁾ 2 Par. 30, 3.⁽⁴³⁾ 2 Par. 30, 18-19.

CAPUT XIV.

f. 257^r* *Octavae rationis probatio.*

Item ut quos diaboli perversitas a Deo separatos procul abduxerat, Christi benignitas ipso Christo omni separatione exclusa arctissima coniunctione conglutinaret.

Quisquis attente consideraverit quanto verior substantialiorque vita Deus sit, ipsaque vita in Deo verior quoque et perennior existat facile intelliget quanto animae spiritualis interitus maior quam corporis sit. Quanto enim anima sua diurnitate praestat corpori, tanto longius peccatum diabolique nequitia a Deo nos separavit, intellectumque nostrum a vera cognitione in densissimas tenebras immerisit, voluntatem ab ipsa bonitate in satanicam malitiam conciecit, vim illam irascibilem homini inditam quae noxia a se longe arceret imbecillam reddidit; alteram quoque concupiscendi facultatem quae ad commoda salutariaque homini prosequenda ipsum impellit, effrenem omni ratione legeque Dei contempta effecit. Horum omnium incommodorum ac malorum separatio alienatioque hominis a Deo causa et origo fuit; a quibus ut homo liberaretur similitudinemque acciperet qua hominem creare divinum consilium deliberavit, necessaria fuit arctissima cum Deo coniunctio quam Jesus Christus Dei Filius per spiritus sui participationem primum effecit, perfecit autem cum vivificatricis suae ipsius carnis esu sanguisque potu ab omni corruptione nos liberat, atque arctius perfectiusque spiritualiter et corporaliter unum secum effecit, quo maiorem cum ipso quam in hac vita excogitare possumus unionem

f. 257^v * adipiscimur. Qua, ut Paulus Apostolus scribit ⁽¹⁾, « *qui alicquando ab eo longe eramus, facti sumus prope in sanguine Christi. Ipse enim est pax nostra qui fecit utraque unum* ». Quare per hanc corporalem cum Christo coniunctionem quam maxime fieri potuit, nos sibi non tam propinquos fecit quam in unum corpus secum et spiritu et corpore sibi connexos redegit.

Quantum haec unio ceteris coniunctionibus praestet, praeter ea quae ante a me pluribus in locis dicta sunt, B. Thomas ⁽²⁾ non parum declarat quum me triplici differentia earum rerum quae sensu percipiuntur tractat, quarum quasdam esse, ait, quae sentientibus non uniantur neque coniunguntur quales haec sunt, quae per medium extraneum per earum species et similitudines ad sensum deducuntur: eiusmodi enim sunt ea omnia quae visus sensu percipiuntur. Alias esse res idem asserit quemadmodum in his rebus, quas tactu complec-

⁽¹⁾ Eph. 2, 13-14.

⁽²⁾ Sent. 4, d. 9, q. 1, a. 1, sol. 1.

timur, accidit. Tertium vero genus earum rerum addit quae et coniungi et uniri possunt sicut in cibo ac potu contigit; qui nobis non solum coniunguntur sed in unum quodammodo corpus nobiscum rediguntur. His tribus sensibilibus rerum differentiis coniunctionem distinguit, quam Veteris Testamenti figurae et Sacramenta Novae Legis atque adeo ipsa Eucharistia efficiunt, quae cum per modum cibi ac potus nobis impartiatur perfectam omnino unionem cum cibo manducato B. Thomae sententia efficit. Hanc Albertus Magnus⁽³⁾ praecipua gratiam vocat. Durandus⁽⁴⁾ Thomam et Albertum sequitur qui praecipuum * huius Sacramenti opus esse asserunt in eo quod Christus nobis et nos ipsi coniungimur. Neque dubitandum est de hac corporali coniunctione eos intelligere quam perfectam Joannes Teutonicus⁽⁵⁾ esse asserit: qua quae antea unitas naturae erat inter nos et Christum, per sacram communionem perfecta sit, eo quod per eam nos ipsi Christo uniamur. Hoc ipsum est quod idem auctor alibi scripserat, per Sacramentum Eucharistiae digne sumptum, effici nos unum cum Christo etiam in natura.

f. 258^r

Remanet ergo ostensum coniunctionem corporalem cum Christo, separationem omnem a Deo auferre, in quam diaboli nequitia incurramus maioremque propinquitatem nobis cum Christo conferre quam antea habebamus.

CAPUT XV.

Nonae rationis probatio.

Item ut arctioris corporis sui coniunctione sibi spiritualiter coniunctos uniat quam communi vinculo quo secundum communem carnis humanae proprietatem sceleratus quisque ei communicat.

Cum ostensum antea fuerit secundum carnis proprietatem omnes homines Christo communicare, quod et Paulus ad Hebraeos⁽¹⁾ scribens testatur inquit: « *Quia ergo pueri communicaverunt carni et sanguini et ipse similiter participavit eisdem* ». Christus enim et cuncti homines iuxta hanc participationem membra ipsius humanae naturae sunt, vere summae Dei clementiae, sapientiae et immensae eius erga nos misericordiae congruit ut maiori quodam carnis vinculo,

⁽³⁾ *De Eucharistia*, d. 6, tr. 3, c. 1, n. 2; ed. Borgnet vol. 38, col. 413 et passim, cf. A. PIOLANTI, *Il Corpo Mistico e le sue relazioni con l'Eucarestia in S. Alberto Magno*, Roma 1939, p. 168-179.

⁽⁴⁾ *In Sent.* 4, d. 12, q. 4, ad 1.

⁽⁵⁾ *Supra*, p. 68.

⁽¹⁾ *Hebr.* 2, 14.

- f. 258^v is * Christo uniretur, qui per fidem et dilectionem spiritus sui particeps effectus ipsi insitus est, quam alius qui gravissimis sceleribus intricatus, absque ulla fide et dilectione mystici etiam Satanae corporis membrum factus, iuxta communem carnis naturam cum eo communicat. Quod si per haec sacra mysteria Christi corporis pii fidelesque particeps non efficerentur, parem communicationem cum Christo quoad carnem pii et impii haberent; quod et divinae bonitati et rationi ipsi valde repugnat. « Nam, ut Gregorius Nyssenus ⁽²⁾ ait. Deus ideo naturam humanam sibi coniunxit ut per carnem quae ex vino et pane constituitur, fidelium corporibus uniretur ». Nysseni verba superius iterum atque iterum adduximus. Sollicitudo etiam illa eximia ob dracmam amissam quae tanta diligentia quaesita est ut cura illa ob ovem perditam, quae, relictis nonaginta novem, tanto labore adhibito inventa est et humeris imposita reducta fuit, laetitia quoque ingens ob reditum filii prodigi in paternam domum, conviviumque vitulo saginato interempto (quem in amicorum reditu ethnici etiam nunquam immolabant) aliqua ex parte hanc cum unoquoque nostrum corporalem connexionem significare videntur. Verum ut corporis et sanguinis Christi manducatio vere nos Christo uniat, immortalitatisque eius particeps faciat, ante oculos habere debemus quod et antea saepe testati sumus ita cibum hunc salutis et vitae esse ut quemadmodum pios Christo corporaliter et spiritualiter coniungit, sic quoque impios et iniustos longe ab eo separat eisque cibum iudicii et mortis efficitur iuxta Apostoli sententiam dicentis ⁽³⁾: * « Qui manducat et bibit indigne iudicium sibi manducat et bibit ». Quare omnem adhibere diligentiam oportet ut vitae ipsius particeps non iudicii rei fiamus, Christi carnes et non membra Satanae simus quemadmodum ii sunt qui indigne corpus Christi manducant et sanguinem eius bibunt. Indigne autem manducat, auctore Ruperto Abbate ⁽⁴⁾, quisquis non communicat Christi passioni. Ipse enim mysterium hoc suae passionis esse dixit inquitens ⁽⁵⁾: « Hoc est corpus meum, quod tradetur »; et quum dixisset ⁽⁶⁾: « Hic est sanguis meus » addidit: « Qui effundetur ». Qui veteris hominis desideriis implendis incumbit carnisque legi servit passioni Christi non communicat neque consepultus cum ipso in baptismo mundo mortuus Deo vivit ⁽⁷⁾. Enimvero qui Christo mortuus, mundo caroque et Satanae vivit, passionem Christi respicit et corpus Christi divinissimum quod ore percipit ore mentis non con-

⁽²⁾ Oratio catechetica, c. 37; PG. 45, 98.

⁽³⁾ I Cor. 11, 29.

⁽⁴⁾ De Trinitate et operibus eius. De operibus Spiritus Sancti l. 3, c. 22; PL. 167, 1664.

⁽⁵⁾ I Cor. 11, 24.

⁽⁶⁾ Mc. 14, 24.

⁽⁷⁾ Cf. Rom. 6, 3-11.

tingit, eoque ipso indigne manducans non Christo sed Satanae coniungitur: non Christi corpus in eius corpus neque corporis Christi vitae vere vita est, Verbum scilicet Deus, in indigne sumentis animam infunditur ut eam reficiat, sed Satanae iniquitas et eius vita quae vere mors est, in corpus et animam pariter indigne sumentis transferuntur. Diversus nempe admodum effectus est qui sequitur pie manducantem et indigne haec sacra mysteria sumentem. Siquidem illa Deo, haec Satanae connectit. De coniunctis Satanae David inquit ⁽⁸⁾: « *Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum et in retributiones et in scandalum. Obscurentur * oculi eorum ne videant, et dorsum eorum semper incurva* ». Haec si attente qui ad divinissimum hoc Sacramentum accedunt consideraverint non dubitamus ea cum pietate ac timore ad tam veneranda tremendaque mysteria accessuros, ut aperte intelligant quanto maiori unione per hanc corporalem unionem Christo connectantur quam qui communi illa iure naturae proprietate cum ipso communicant.

f. 259^v

CAPUT XVI.

Decimae rationis probatio.

Item ut carni nostrae vim ac virtutem vivificativam insereret quae quasi semen quoddam in ea esset, quod ad immortalitatem et incorruptionem praepararet ac renovaret.

Decima haec ratio ultimo tractanda loco reservata est quae ingentem fructum peculiaremque in nobis ad resurrectionem et immortalitatem adfert. Ea enim sola quanti naturalis cum Christo per Eucharistiam digne sumptam unitas facienda si satis admonet. Quoniam tamen in ea dilucidius disserenda, nimirum immorari oportet nonnullaque a nobis in medium afferenda sunt, quae non adeo in scholis trita probataque, ac ea quae haecenus attulimus plerisque videri poterunt, luculentiorum copiosiorumque commentationem quam hac de re conscripsimus in aliud reservamus tempus; quandoquidem si, ut rei gravitas et difficultas exigit, enucleanda est, integrum librum requirit, qui tamquam quatuor his, velut appendix statim consequetur. * Ante tamen quam ad hanc ipsam commentationem luculentius explicandam descendamus, satis perspicuum, candide lector, manere ex ante dictis arbitramur unionem cum Christo naturalem per Eucharistiam consequi non ex solis et nudis voluntatis propensionibus, sed et alia arcana et necessaria ratione ut antiqui Patres censu-

f. 260^r⁽⁸⁾ Ps. 68, 23.

erunt. Nam praeter spiritualem illam coniunctionem quam cum illo per fidem et dilectionem sortimur, et per quam spiritus ipsi adhaerentium unus cum ipsius spiritu est, unus quidem diversus natura, inhaerendo tamen fit unus spiritus ex diversis duobus. Nam Dei spiritus sine humano spiritu beatus atque perfectus est. Hominis autem spiritus nonnisi cum Dei spiritu potest esse beatus. Praeter hanc, inquam, spiritualem cum Christo coniunctionem naturali etiam quadam unione illi copulati participes efficiuntur vivificatricis, quae Verbi propria facta est, carnis et pretiosi sanguinis Christi, a quo in animam et corpus singulasque nostri partes tamquam a capite in membra virtus omnis defluit, quae perfecte spiritum et corpus nostrum configurat imagini illius qui est caput nostrum eo quod homo factus est propter nos. Qui si, ut ait Anselmus ⁽¹⁾, tantum humanam animam suscepisset, membra eius non essent nisi animae nostrae. Quia vero et corpus suscepit per quod etiam caput est nobis non secundum animam solum sed secundum corpus quoque nos totos totus in se rapit, atque, ut inquit Dionysius ⁽²⁾, totus totus amplexatus osculatur nos ex anima et corpore constantes.

f. 260^v Siquidem qui corpus eius sumimus illius, membra efficiuntur, atque in nobis Christus * ipse digne sumptus iuxta utramque naturam substantialiter manet, et nos in Christum non animam tantum ad primam imaginem restituente, sed carnem etiam nostram ad vitam, incorruptionem, immortalitatemque praeparante et renovante. Unde quemadmodum unitas spiritus per fidem et dilectionem nostri et Christi spiritus esse dicitur, ita etiam unitas corporis. et una caro nostra et Christi a Sanctis Patribus esse affirmatur. Hanc igitur unitatem carnis et spiritus digna corporis et sanguinis ipsius perceptio perfecte praestat ipso dicente ⁽³⁾: « *Qui manducat meam carnem in me manet et ego in eo* ». Et ita naturaliter ipsi Christo coniungimur ex eo quod a natura ipsius Christi nobis intime adeo coniuncta virtus omnis in nos promanans proficiscatur, quae nos ipsius naturae participes indissolubili quodam nexu, ut Innocentius III ⁽⁴⁾ ait, efficit. Ex eo quoque quod sit naturalis carnis ad carnem unio et contemperatio. Quid enim esse potest naturalius quam carnem carni copulari. Sed quia, ea quae Christi est, sacramentali modo per modum substantiae se habet, non potest, nisi per admirabilem unionem atque gratiae et ineffabilis virtutis vinculo carni quantae extensae et mortali uniri ut ipsam Christi naturae participem factam ad incor-

⁽¹⁾ Hunc textum inter opera S. Anselmi deprehendere non valui.

⁽²⁾ Cf. *De Ecclesiastica Hierarchia*, c. 3, § 12-13; PG. 3, 443. *Ep. 8 Demophilo Monacho*; PG. 3, 1088.

⁽³⁾ *Jo.* 6, 56.

⁽⁴⁾ DB. 430.

ruptionem et gloriam perducat. Et quia Verbum quod prodiit ex Patre non est solum sed homo sicut nos, non tamen destitutus proprietatibus deitatis, non unam hominis partem solum sanat, mentem scilicet sed corpus etiam. Nam beneficentissima dispensatione vivificat nos ut Deus non in hoc solo, ut inquit Cyrillus ⁽⁵⁾, quod particeps esset Spiritus Sancti, sed etiam ad nostram vivificationem et Dei participationem per sanctificationem in spiritu per ipsum factam, assumptam quoque carnem de Virginis utero addit, * manducantemque unicuique dat, ut antea diximus, ut totus utraque sui parte totum hominem utraque parte aegrotantem sanctificet, integramque ipsius salutem in eius spiritu et carne operetur. «Nec divina ut Deus, nec humana ut homo perficit, sed ut Deus et homo ut Dionysius ⁽⁶⁾ ait, novam quamdam atque inusitatam ex divinitate atque humanitate permistam operationem nobiscum conversatus ostendit».

f. 261^r

Ob hoc ergo naturae quam Incarnatione sibi soli univit, participes singillatim omnes eos substantiali naturalique ac corporali secum connexionem efficit, qui carnem et sanguinem ipsius in hoc Sacramento digne sumpserint. Haec vero, ut singuli percipere possint, ac unitatis quae in ipso individua est, participes immensa sua benignitate divinaque potentia praefatum superadmirabilem modum in hoc Sacramento beneficentissime excogitavit, per quem posset dividi distribuique, qui indivisus et integer semper manet, hominesque ita singulos sibi copularet tamquam membra corpori congruentia, iuxta id quod Apostolus scripsit ⁽⁷⁾: «*Quia membra sumus corporis eius de carne et de ossibus eius*». Et qui spirituali participatione spiritus unus cum Deo eramus, naturali carnis et sanguinis ipsius per haec sacra mysteria coniunctione una caro itidem essemus; quod idem Paulus postmodum subdit cum inquit ⁽⁸⁾: «*Erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est: ego dico in Christo et Ecclesia*» quae de sponsi carne prodiit quando ex latere crucifixi manante sanguine et aqua Sacramentum redemptionis et regenerationis accepit ut efficiatur homo corpus Christi quia et Christus corpus hominis est.

Haec Leonis Magni verba reliquorum Sanctorum Patrum testimonia id ipsum quod toto opere comprobavimus ⁽⁹⁾, corroborant, videlicet unitate naturali * unum per mysticam corporis, et sanguinis Domini benedictionem nos esse cum Christo non spirituali tantum nexu illi colligatos, sed etiam corporali. Unde et concorpores et cum

f. 261^v

⁽⁵⁾ Cf. *In Jo.* 1. 4, c. 2; PG. 73, 578-579.

⁽⁶⁾ *Ep. 4 Cajo Monacho*; PG. 3, 1071-1074.

⁽⁷⁾ *Eph.* 5, 30.

⁽⁸⁾ *Eph.* 5, 31-32.

⁽⁹⁾ *Supra*, p. 80 et passim.

ipso per similitudinem carnis revincti in virum perfectum evadentes, immortales et incorruptibiles in perpetuum permanebimus. Ac quamvis distincta sit uniuscuiusque ab alterius hypostasi subsistentia, omnes tamen cum Christo in gloria tamquam vir unus perfectus reputabimur. Siquidem cuncti simul Christus ipse cuius corpus sumus quodammodo erimus, multo arctius cum eo quam corpus ipsum animae est constrictum. Unde omnis perfectio per omnimodam cum Christo similitudinem unionemque nobis contingit, et cum, ut auctor est Athanasius⁽¹⁰⁾, cum ipso quatenus Verbum est existit, similitudinem habere nequeamus, Unigenitus enim est, nec sibi similes habere potest. Homo vero factus est ut propter similem et eiusdem generis ac naturae nobiscum substantiam cum eo et convenire et similes ei omnino esse possemus. Haec similitudo quae naturalis est cum Christo, unitas perfecta et omnimoda similitudo cum ipso Christo fit, cum carnem, quam de Virgine sumpsit, nos in Eucharistia digne edimus. Per dignam enim eius manducationem, unum secundum quod in ipso est corpus et secundum ipsius perfectionem et immortalitatem omnes fideles cum ipso Christo tamquam unus vir efficiuntur atque tamquam iuncti ab ipso gestati, ut idem Athanasius⁽¹¹⁾ ait, cuncti etiam unum corpus et unus * spiritus ex ipso participantes sumus et unum existimus cum unum Dominum in nobis ipsis habentes.

f. 262'

Unde B. Chrysostomus⁽¹²⁾ unitatem potius quam participationem naturalem hanc cum Christo communicationem esse dicendam censuit, ut haec ipsa communicationis unitas non tantum spiritualis sed et naturalis esset. Filius Dei corpore tamquam humano instrumento utitur, et eo cunctos homines sibi congeneres tamquam palmites viti aut ut lapides fundamento eiusdem cum eo naturae naturali necessitudine sibi quoque connectit, atque hoc pacto corruptio quae intra ipsum hominis corpus existit per veram vitam tollitur, et ut in corpore mors facta est, ita etiam in ipso vita fit: ac veluti naturalis hominis substantia alimento naturali conservatur atque perficitur, ita quoque divina eius ac supra naturam existens cibo divino ac supra naturali subsistit atque consummatur. Cibus enim omnis ea quae aluntur perficit, absolvit et explet id quod in eis minus perfectum est, ut ait Dionysius⁽¹³⁾, et indigentiam infirmitatem et imbecillitatem curat eorumque vitam tuetur, facitque ut reflorescant, renouentur et vitalem eis sympathiam atque consensionem impertit. Tristitiam vero atque id quod minus perfectum est expellit, ac laetitiam et perfectionem tribuit.

(10) *Oratio 3 contra Arianos*, n. 32; PG. 26.

(11) *Ibidem*.

(12) *In 1 Cor.* 10, 16; PG. 61, 200.

(13) Hanc allegationem reperire non valui.

Benignissima ergo Dei sapientia dominicum hunc cibum mysterii plenum apponit, sacrum eius poculum benignissime profundit, atque egentes perhumane invitatur duplicemque cibum sapientissime offert, solidum videlicet et fluctuantem. Solidum quidem ut perducat nos ad perfectionem mentis participem * stabilemque atque in eodem statu manentem qua divinarum rerum participes fiunt, sensus illi mentis praestantem, potentem, singularem, individuumque scientiam, quibuscumque divinus Paulus a sapientia acceptum revera solidum cibum communicat; liquidum autem fluxionem quae vim habet diffusionis et foras excurrere studet, ac eos qui educantur, pro captu et modo suo ad simplicem stabilemque Dei scientiam benigne deducit, dum fluxa nostra purgat atque tuetur. O sapientissima benignitas, o benignissima sapientia, quae sic nostri et generare et parvulos nutrire ac fovere et renovare ac perficere. O divina quodammodo ebrietas, quae omnem mentem superas, quae ad Deum accedentibus large perpetuo conviviorum affluentes suppeditas profundisque copias! Ergo in unum hoc omnes incurabamus, in hoc uno nervos omni conatu intendamus, ut hoc coelesti poculo omnes pariter inebriemur, ut mente et sensu dimoveamur, ut tantam Dei benignitatis exuberantiam toto pectore hauriamus, sanctorumque in regno Dei convivii accumbamus. « *Transiens enim, inquit ipse (14) faciet eos accumbere et ministrabit eis* »; nempe laborum omnium quietem, vitam tutam, divinumque vivendi genus in lumine ac regione vivorum, plenum omnis sanctae voluptatis largamque omnis generis et beatorum bonorum suppeditionem qua omni gaudii complebimur: atque id, Jesu nos exilarante et in mensa collocante, nobis in unum spiritum et corpus sibi connexis carne * sanguineque suo alitis et ministrante et aeternam quietem largiente. f. 263'


Hi itaque fructus sunt qui ex hac spiritus et corporis cum Christo unitate consequuntur. Hos ut percipiamus frequenter ad divinam hanc mensam accedamus, eaque assidue et corde et ore vescamur, necessariamque animae purgationem adferamus in Deum dilectione accensi, fide sincera praediti; mysterii desiderio ingenti ardentis, participationis denique eius fame sitique inextinguibili ferventes festinanter curramus, puris manibus sancta accipiamus, visceribusque nostris reverenter reponamus, atque ei Ecclesiaeque Catholicae unitati indivulsae adhaereamus. Isto enim pacto divino Domini cibo in perpetuum nos fruituros confido, si non in aures tantum subtiles et valde profundum de his sermonem et errantium cogitationibus incomprehensibilem immiserimus, sed iuxta prophetam *I s a i a m* (15)

(14) *Lc. 12, 37.*(15) *Cap. 7, vers. 9.*

credentes intellexerimus, intelligentesque pie ac sincere amplexati fuimus. Principium enim intelligendi fides est, qua qui carent aut parum firmam habent, negligenter legunt, ne dicam contemnunt coelestia et divina mysteria pro nihilo enim ducunt quae ob mentis suae imbecillitatem non assequuntur; cum potius omni admiratione persequi deberent, immortales pro iis Deo gratias agentes qui generi humano tam ingentia beneficia ex sola sua benignitate tribuit, cui honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.

LIBER QUINTUS

FRANCISCI A MENDOZA S. R. E. PRESBYTERI CARDINALIS
de vi ac virtute Sacramenti Eucharistiae ac naturalis per ipsam digne
sumptam cum Christo unitatis ac immortalitatis
et incorruptionis carnis nostrae.



CAPUT I.

Cum in ea, christiane lector, inciderimus tempora, quibus navicula Petri multo magis quam per multa retro saecula fluctuat ac undique oppugnatur, ne negligens ac officii mei plane immemor viderer, nolui eam quam potui opem pro virili ei non ferre. Cumque inter caeteras horum temporum blasphemias ea mihi potissimum impugnanda videretur quae naturalem nostram cum Christo per dignam corporis et sanguinis eius sumptionem unitatem aufert, eaque de re quatuor conscripserim libros in quibus satis meo iudicio et corporis et sanguinis Christi veritas in Eucharistia et naturalis ipsa unitas quam fideles digne ipsi * communicantes cum illo consequuntur, et f. 264^v adstructa et explanata sint, eximiique ex ea proficiscentes effectus a nobis declarati fuerint. Quoniam tamen nonnulli et doctrina et pietate praestantes viri non satis se percipere litteris ad nos suis testati sunt quo pacto asseruerimus peculiari huius Sacramenti ratione carni nostrae vim ac virtutem vivificativam inseri, quae quasi semen quoddam in ea sit quod ad immortalitatem et incorruptionem eam praepararet ac renovet, operae pretium nos facturos duximus si hac de re longiorem instituerimus sermonem ut nec Sacrae Scripturae sensui nec antiquae Ecclesiae doctrinae nec communi Sanctorum Patrum consensui repugnare ostendamus. Ac quamquam uno verbo difficultas haec omnis tolli posse videatur, scilicet si intelligatur semen illud quod ad immortalitatem et incorruptionem carnem nostram praeparat, non aliunde provenire quam ab ipsa gratia sacramentali quae digne Christi corpore sumpto proficiscitur in corpus nostrum per animam et inspergitur, ut magis et magis eximium adeo Dei in nos beneficium enucleetur ac veritas ipsa adversus impie insanientes haereticos elucescat, praestabit aliquot argumenta in medium proferre quae contra hanc vim et virtutem quam ad immortalitatem et incorruptionem corporis nostri ipsa cum Christo corporalis coniunctio praebet obiiiciuntur, ut iis a nobis solutis, nemo sit qui de veritate virtutis praefatae merito dubitare queat.

* Prima obiectio: Superius in sextae rationis probatione demonstratum est hominem creatum a Deo ut perenniter viveret. Vitam autem aeternam nequaquam ab homine obtineri posse, anima in perpetuum a corpore separata. Quare corporis immortalitatem incorruptionemque ipsius hominis naturae formaeque eius immortalis tribuen-

dam esse plerique eruditissimi viri censuerunt. Subiectum enim a forma esse substantiale accipit. Unde asseritur resurrectionem et immortalitatem quae suapte natura homini ob formae ipsius immortalitatis praestantiam competit non indigere Eucharistiae medicamento neque coniunctione ea corporali quae tamquam malagma quoddam corpori admodum ipsum ad vitam revocet. Confirmatur hoc argumentum eo quod piorum pariter atque impiorum corpora resurrectione esse fides catholica docet.

Secunda obiectio: Cum B. Augustini et Damasceni ac B. Thomae (1) et summorum theologorum sententia sit Verbum Dei humanam carnem sibi univisse per animam tamquam medium quoddam, ita quoque vim ac virtutem hominis quae ex Eucharistia promanat ac profluit in corpus, per animam transmitti dicendum est. Quam ob rem non opus esse videtur ut caro nostra carnem Christi attingat modo spiritu mentisque ipsi adhaereamus. Confirmatur Pauli auctoritate dicentis (2): « *Quod si spiritus eius qui suscitavit Jesum a mortuis habitat in vobis, vivificabit et mortalia corpora vestra propter inhabitantem spiritum eius in vobis* ». Ergo resurrectionis causa inhabitatio spiritus est, non autem corporalis ulla cum Christo coniunctio.

f. 265' Tertia obiectio: Passio Christi fuit causa destructionis utriusque mortis, animae scilicet * et corporis, et fons et origo utriusque vitae. Quid ergo opus est resurrectionem ad aliam cum Christo coniunctionem referre?

Confirmatur ex eo quod canit Ecclesia (3), Christum sua morte mortem destruxisse, ac sua resurrectione vitam nostram reparasse.

Quarta obiectio: Antiqui Patres et prophetae, infantesque atque innumeri christiani baptismo solo Christo insiti qui corpus Domini non acceperunt in eandem immortalitatem et incorruptionem resurgent. Ergo non est vis ac virtus naturalis unitatis cum Christo resurrectionis eorum causa.

Confirmatur hoc ipsum eo quod credenti et baptizato corporis resurrectio a Christo promittitur. Ergo non opus est ut eam praestet Eucharistia neque per eam carnis Christi carni nostrae immistio.

Quinta obiectio: Nullam talem vim in carne nostra ex carne Christi redundare videtur. Nam id fit per virtutem aliquam corpoream ex Christi carne in nostram promanantem, quae vel primum in animam illabitur ac dein in corpus defluit, vel proxime in corpore imprimitur. Primum haud est admittendum, quoniam quidem subiectum indivisibile qualitatem corpoream divisibile recipere non valet;

(1) *Supra*, p. 79, 84-85.

(2) *Rom.* 8, 11.

(3) *Praefatio Paschalis*.

nec etiam secundum, quia sicut ibi est invisibiliter et indivisibiliter non ad modum quantitatis sed substantiae potius, ita indivisibiliter et ad modum spiritus operatur. Haec argumenta satis sint ad ostendendum non carere difficultate id quod assertitur, vim scilicet et virtutem quamdam vivificativam corporibus nostris inseri ad immortalitatem et incorruptionem ea * praeparantem et renovantem. Respon- f. 266^v
sio tamen harum obiectionum facilius multo erit si prius praefatae virtutis veritatem corroboraverimus. Quare ut dilucidius eam stabiliamus, sequentes rationes subiiciuntur.

Prima ratio: Rationibus aliquot comprobatur vis illa vivificativa.

Secunda: Ex Christi et Pauli verbis dicitur.

Tertia: Patrum testimoniis Ecclesiaeque traditione fulcitur.

Quarta: Concilii Nicaeni auctoritate et apostolica traditione constabatur.

CAPU II.

Prima probatio.

Rationibus aliquot comprobatur vis illa vivificativa.

Cum Eucharistiam unitatis esse Sacramentum, perfectionisque ac totius consummationis mysterium antea demonstratum sit, atque per eam naturali coniunctione Christum nobis et nos Christo uniri, nos etiam omnes unum corpus capiti Christo adaptari atque temperari, rationibus aliquot comprobari potest, carni nostrae, eo quo diximus modo, vim ac virtutem vivificativam quamdam inseri quae eam ad immortalitatem et incorruptionem praeparet. Sit igitur prima ratio minime omnimodae unitatis perfectionisque mysterium dici debuisse, nisi ea vis in eo sit ut vivifica carnis Christi virtus in * cineribus f. 266^v
etiam, ut nonnullorum Patrum verbis utar (¹), qui post esum huius divini cibi in gratia decesserunt haereat; per quam caro ipsa quae Christi carni naturali substantialique coniunctione unita fuit ad immortalitatem qua sibi in alia peculiari quadam ratione, veluti per cognatum sibi gustum acquirat. Nam quemadmodum a spiritu Christi in animas gratia profluit, ita et a corpore eius virtus quaedam vivificativa in fideles sibi unitos promanat. Est enim Christus, ut antea dictum est, non solum secundum animam sed secundum corpus etiam Ecclesiae caput, a quo et in animas et deinde in corpus virtus ipsius penetrat, per quam corpus nostrum in cineres redactum iterum beatae animae unitur. Haec enim totius unionis consummatio ac perfectio esse videtur, quandoquidem ea unio quae nos viventes Deo coniun-

(¹) Testimonia Patrum de hac re allegat V. CONTENSON O. P., *Theologia mentis et cordis*, Augustae Taurinorum 1760, I. 2, pars 2, diss. 3.

xit, ut inquit Bernardus, quasi pignus quoddam et arra huius unionis est, in qua integer homo post resurrectionem, corpore iterum animae unito, a sponso quem in terra habuit in Sacramento, in coelis fruatur sine velamento. «Hic, inquit Bernardus (1), quasi dulce praeludium et iucunda dispensatio; ibi nuptiale convivium, ibi beata fiet coniunctio, quae certe beata perfecte erit cum homo per divinitatem Christi et humanitatem corpore et anima redintegratus simul fruatur». Resurrectionem *Damascenus* iteratam animi et corporis coniunctionem appellat (2). Haec ipsa iterata animae et corporis unio quae in resurrectione fit, in commistione corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi significatur quum sacerdos inquit (3): «Haec sacrosancta commistio et consecratio corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi fiat nobis sumentibus salus mentis et corporis et ad vitam aeternam capessendam praeparatio salutaris». Haec corporis et sanguinis commistione * unionem corporis et animae Christi significari *Innocentius III* (4) scribit: «Commistio enim, ait, corporis et sanguinis, significat unionem corporis et animae Christi, quae in resurrectione eiusdem denuo unita sunt; et ideo signum crucis ter producit cum hostia super calicem, quia virtus Trinitatis animam crucifixi reducit ad carnem». Haec *Innocentius*.

Confirmat hanc *Innocentii* sententiam unionis vocabulum quo *S. Jacobus* in *Liturgia* (5) utitur, quum pars hostiae fracta mergitur in calice. Dicit enim: «Unio sanctissimi corporis et pretiosi sanguinis Domini et Dei et Servatoris Nostri Jesu Christi. Et quum pars hostiae quae dividitur in singulos calices distribuitur inquit sacerdos: unitum est et sanctificatum in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, nunc et semper. Ecce Agnus Dei etc.». Per sanguinem animam significari, praeterquam quod ex *Gen.* (6) elicitur, ubi prohibetur carnem cum sanguine comedere, velut *Hebraei* volunt, *carnem in anima sua in sanguine suo non comedetis*. *Petrus Lombardus Parisiensis* Episcopus, ob singularem eruditionem Magister sententiarum cognominatus, idem testatur (7). «Panis enim, ait, ad corpus refertur, vinum ad animam, quia vinum operatur sanguinem in quo sedes animae esse a physicis dicitur, quibus plerique alii consentiunt».

(1) *Ps. BERNARDUS, De excellentia SS. Sacramenti*, n. 7; PL. 184, 985.

(2) *De fide orthodoxa*, l. 4, c. 27; PG. 94, 1219.

(3) *Canon Missae Romanae*, nonnullis additis verbis, quae nunc desiderantur.

(4) *De sacro Altaris mysterio*, l. 6, c. 2; PL. 217, 907.

1896, v. I, p. 62, n. 10-15.

(5) *Liturgia S. Jacobi*, ed. BRIGHTMAN, *Liturgie Eastern and Western*, Oxford 1896, v. I, p. 62, n. 10-15.

(6) *Gen.* 9, 5.

(7) *Sent.* 4, d. 11, n. 6; PL. 192, 863.

Secunda ratio sumitur ex eo quod cum nemo lege communi ad vitam veram et immortalem resurgere possit qui non antea aliquo modo fuerit regenitus, nemo etiam regenitus sine victu et nutrimento diu vivat, necesse habet ut praeter ipsam regenerationem quae fit ex aqua et Spiritu Sancto, corpore et sanguini Domini foveatur, atque alatur ut diu vitam in qua est regeneratus conservare possit, ac deum Christo * capiti secundum virtutem substantiamque coniunctus, f. 267^r ut ad consummatam regenerationem perveniat, consummata autem regeneratio ipsa resurrectio est. Summa igitur cum ratione virtuti cibi dominici resurrectio etiam corporis attribuitur, quod ab ipso Christi corpore regeneratum et alitum per baptismum et Eucharistiam in ipsum tandem Christi corpus, ut Isidori Pelusiotae (8) verbis utar, ipsi Christi corpori configuratum desinit. Divino enim consilio ab ipsa hominis creatione constitutum fuit ut cibo corporeo humanum corpus immortalitatem assequeretur. Cibum autem illum quem diabolus primo homini mendaciter obtulit ut sublata morte aeternum viveret, vere Christus ipsi homini ad vitam aeternam per baptismum regenerato dat, qui cibus ipsamet vita est et vivificum mysterium ea de causa a sanctis saepe numero appellatur.

Tertia ratio ex sententia B. Thomae (9) et aliorum theologorum id confirmat. Hi enim omnes in suis sententiis constanter docent Christi humanitatem in homines influere, non tantum quoad animam sed etiam quoad corpus. Nam Christi humanitas eo quod Verbo Dei cui corpus unitur per animam coniuncta sit, vim habet influendi ac emittendi ex se virtutem in hominum animam ac corpus pariter, quae primarie in animam, secundario autem in corpus permanat. Hoc autem duabus rationibus: altera eo quod membra corporis exhibentur arma iustitiae in anima existenti per Christum, altera quia gloria ab anima transmittitur in corpus propter inhabitantem Christi spiritum in nobis.

* Quarta ratio est quoniam quemadmodum pestiferum, ut inquit f. 268^r Gregorius Nyssenus (10), cum salubri commistum illud efficit perniciosum. Sic et corpus immortale reddit totum illud in quo susceptum est, naturae simile immortali. Ac ut parum fermenti, ut inquit Apostolus, totam massam sibi simile reddit, sic et corpus illud quod a Deo factum est immortale, in nostrum corpus ingrediens totum in se transfert. Ad haec quemadmodum ut a peccato atque a maledicto vindicati fuimus eo quod vera caro fuit quam Verbum sibi induit, ideoque, ut Athanasius (11) ait, ea coaptatio a Deo in-

(8) *Epistolarum* l. 3, ep. 195. PG. 78, 879.

(9) *Summa Theologica* 3, q. 8, a. 2.

(10) *Oratio catechetica*, c. 37; PG. 45, 94.

(11) *Adv. Arianos oratio* 3, 34; PG. 26, 397.

stituta est ut deitas vera, et, ut sic dicam, naturalis; verum et naturalem hominem sibi consereret et stabilis efficeretur hominis salus et deificatio. Haud dissimili ratione haec naturalis unio cum ipsius Christi vera natura nobis a Deo concessa est, ut verae et naturali suae vivificatrici et immortalis carni nos sibi commiseret, ut viva et immortalis nostra etiam mortua caro efficeretur.

Quinta ratio est ex eo quod eximii theologi scriptum reliquerunt eam esse animae rationalis dignitatem ut totius corporeae materiae vires longe superet, quod immortalis eius natura operatioque eius intellectualis, quam absque corpore habet, manifeste demonstrat. Ad hoc igitur ut corpori subiectum ei congruenter contemperaretur, necesse fuit per quamdam aptitudinem corpus disponi, per quam aptum redderetur subiectum tali formae. Ac quemadmodum anima a solo Deo originem ducit per creationem, ita quoque illa aptitudo qua corpus conveniens formae immortalis materia efficitur, a solo Deo fit, qui corpori, simulac hominem creavit, tribuit ut in * corruptum conservari possit, ut animae in perpetuum victurae subiectum aequum esset. Hanc autem corporis dispositionem atque aptitudinem sive ex dono aliquo Dei aut ex ligni vitae esu ab ipso Deo ei tributum, per quam animae immobiliter subdebatur, homo a Deo aversus amisit atque una necessitate moriendi incurrit. Cum igitur ipsius animae natura perpetuo cum corpore coniungi exigeret, corpusque ipsum mortale ad immortalitatem a Deo contemperatum esset quum homo per Christum ad Deum conversus fuit ac deletum quod adversus nos erat, chyrographum decreti quod erat contrarium nobis et sublatum ipsum de medio, et affixum illud cruci, divinae bonitati consentaneum fuit corpus ipsum quod consors animae in cunctis vitae actionibus est, ut antea docuimus, vi virtuteque nova ad immortalitatem et incorruptionem disponi ac praeparari; quae nimirum Sanctis Patribus haec inter alia divina homini a Deo collata beneficia per corpus et sanguinem eius in Eucharistia cum Christo coniunctio praecipue esse videtur. Porro divinae iustitiae maxime consentaneum esse confirmat quod cum homo anima immortalis et corpore pro ipsius natura temperato consistat et Deus neque animae per se neque corpori seorsum istiusmodi aut ortum aut vitam dederit, sed homini integro qui istis ambobus componeretur, Athenagora philosopho auctore ⁽¹²⁾, ut iisdem illis partibus quibus ortum vitamque accepit in vivendo utens ad eundem communemque finem et praemium * perveniat, necessarium omnino videtur unum ex istis ambabus partibus confici, quod et omnibus animae corporisque affectibus imbuatur, pariterque agat quaecumque vel sensuum vel rationis iudicium requirunt scilicet,

(12) *De resurrectione mortuorum*, n. 15; PG. 6, 1003.

ut ad unum finem referatur omnis istarum rerum series, et ut omnia et per omnia, tum ortus hominis, tum eius natura et vita, et quidquid egit vel passus est, et finis naturae congruens, ad unam harmoniam eandemque sympathiam decurrant. Si vero unus est concentus sive harmonia cuiusque animalis ac sympathia, sive communicio affectionum, tum earum quae ex anima originem trahunt, tum earum quae ex corpore proveniunt, unum in istis omnibus finem et praemium manere oportet. Unus autem revera finis erit quum idem animal ex suis partibus constiterit, quod ipsius finis gratia futurum est. Idem vero animal sinceriter extabit, quum eadem illa ei adfuerint, partesque illae restitutae fuerint, quibus eius integritas absolvitur. Eadem porro secundum propriam unionem erunt quum dissoluta et dissipata rursus coerint ad conflationem et compositionem eiusdem animalis. Caeterum eorundem hominum instauratio necessario consequi ostendit corporum defunctorum resurrectionem. Cum ergo corpora ipsa suapte natura immortalia esse non possint, vi ac virtute divina ut immortalitatem adipiscantur opus habent. Hoc ipsum ut ita fiat, praemium vel supplicium, quod unicuique hominum pro meritis a Deo tribuitur, persuadet. Multa enim sunt vitia quibus anima ex contubernio corporis intricatur; dum nunc raptu, nunc * quasi furto abducitur a recto, nunc violentiori quodam impetu interdum corpori indulgendi studio trahitur. Multae itidem sunt virtutes quae sine corporis ministerio anima praestare nequit, ut superius scripsimus. Particeps enim omnium fere laborum in bonis rebus gerendis corpus est. Quare Providentiae divinae convenit, vel praemio vel supplicio integrum hominem affici, non autem alteram tantum hominis partem. Unde tam divina misericordia quam recto Dei iudicio corpus ipsum animae iterum unitur, cui cum ex natura sua non competat perpetua duratio, eam tamen Dei beneficio sit adepturum, cui certe virtuti eam magis attribuendam esse censebimus quam sacrorum mysteriorum esui, per quae spiritus noster spiritus Christi particeps efficitur atque caro nostra mortalis non alimento sensibili alicui sed immortalis Christi carni copulatur.

Sexta ratio est Genesios 3⁽¹³⁾, ubi traditur esum ligni vitae hanc virtutem corpori ipsi praestiturum. Quod si illa vis ac virtus cibo illi inerat ut a morte corpus vindicare posset, multo magis veri Christi corporis comestioni, pretiosique eius sanguinis potui, per quae vivificae Christi carni caro nostra coniungitur atque unum cum illo immortalis efficitur, adscribetur, quando per carnem suam Christus vitam et resurrectionem cunctis recipientibus attulerit. Fructum vero illius arboris immortale redditurum corpus quod de eo

(13) Vers. 2-5.

f. 270^r comederet ex Scripturae verbis apparet. Inquit enim ⁽¹⁴⁾: «*Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est sciens bonum et malum. Nunc ergo ne forte mittat manum suam et sumat etiam de ligno * vitae et comedat et vivat in aeternum*». Magna nempe Dei misericordia prohibitus est homo, ut tot miseriis et calamitatibus obnoxius, manus iniicere in fructum illum, qui ut perpetuo miser et calamitosus viveret facturus erat. Neque vero audire oportet Iudaeorum, Rabbinos qui hebraeam dictionem עליו non in perpetuum sed in longo tempore interpretantur; cum frequenter huius vocis significatio sit in sempiternum vel aeternum; raro enim pro saeculo accipitur ut Exod. 21 ⁽¹⁵⁾: «*Et erit ei servus in saeculum*» idest usque ad quinquagesimum annum jubilaei, sicut exponunt Habraei.

Hieronymus super epistolam ad Galatas ⁽¹⁶⁾: Quando, ait, scribitur cum littera Vau, aeternitatem significare; quando vero sine Vau significare tempus finitum et terminatum; cuius verba sunt haec: «*Quaerendum quoque est quid sit differentiae inter saeculum, et saeculum saeculi, sive saecula saeculorum; et ubi pro brevi temporis spatio, ubi pro aeternitate ponatur, quia in hebraeo saeculum idest עליו ubi Vau litteram positam habuerit aeternitatem significat, ubi vero sine Vau scribitur annum quinquagesimum quem illi Jubilaeum vocant. Ob hanc causam et ille hebraeus qui propter uxorem et liberos amans Dominum suum aure pertusa servitio subiungitur, servire iubetur in saeculum, hoc est usque ad quinquagesimum annum*». Haec Hieronymus. Augustinus etiam ac Magister Sententiarum ⁽¹⁷⁾ eam vim ligno illi vitae tributam ut immortalem vitam homini praestare posset aperte scribunt, atque idem Augustinus ⁽¹⁸⁾: «*Hoc quoque addo, inquit, talem cibum illam arborem praestitisse quo corpus hominis stabili sanitate firmaretur non sicut ex alio cibo sed inspiratione salubritatis occulta*». Caeterum quanta virtus in cibo dominico sit ad immortalitatem corporibus conferendam ex incredibili Sanctorum Patrum desiderio non discedendi ab hac vita absque Eucharistia, satis ostendit Eusebius ⁽¹⁹⁾ qui huiusmodi ex Dionysio Alexandrino narrat historiam: f. 270^v «*Serapionem quemdam fuisse apud Alexandriam * unum ex iis qui lapsi sunt, eundemque saepe deprecatum ut susciperetur, nec tamen impetraisset: oppressum deinde hunc esse aegritudine, ita ut triduo iam sine voce prorsus iaceret, paululum vero quarto die respirantem*

⁽¹⁴⁾ Gen. 3, 22.

⁽¹⁵⁾ Vers. 6.

⁽¹⁶⁾ In Gal. 1, 4; PL. 26, 340.

⁽¹⁷⁾ Sent. 2, d. 19, n. 6; PL. 192, 691.

⁽¹⁸⁾ De Genesi ad litteram, l. 8, c. 5. PL. 34, 377.

⁽¹⁹⁾ Historia Ecclesiastica, l. 6, c. 44, n. 2-6; PG. 20, 630-634.

vocasse ad se filiam suam et dixisse: Quousque me detinetis? Quaeso vos cito alis presbyterum roget ut possim aliquando dimitti. Et cum haec dixisset rursus sine voce permansit: Abiit cursu puer ad presbyterum noctis tempore; infirmabatur presbyter, venire non potuit; tamen quia praeceptum fuerat a me, ut lapsis in exitu nemo reconciliationis solatia denegaret, maxime his quos prius id rogasse constaret, parum Eucharistiae puero qui ad se venerat dedit, quod infusum iussit seni praebere, Regrediente adhuc puero antequam regrederetur domum, rursus Serapion respiciens: Redisti, inquit, fili? Et licet presbyter venire non potuit, tu tamen imple quod tibi praeceptum est ut possim discedere. Quum esset completa solemnitas, velut catenis quibusdam vinculisque disruptis, laetiozem iam spiritum reddidit. Ex quo constat certissime huius boni auxilio nullum debere fraudari ». Haec Eusebius.

Vitam cum morte commutaturus Serapion vir Dei absque sacrae Eucharistiae communione dimitti non posse testatur, qui triduo vocem edere non poterat, ut presbyter eum communicaturus accersatur vocem recuperat, quam rursus amittit postquam Eucharistia delata ut sibi praebereetur iussit. Itaque animam iam redditurus viatico privari noluit, quod vitae futurae certissimum pignus est. Quamobrem sanctorum virorum mos semper fuit obitum suum dominici corporis et sanguinis perceptione munire, quod et Magnus Basilius, Sanctus Euxuperius, alique innumeri facisse in eorum vitis legitur ⁽²⁰⁾. Hinc Nicaeno Concilio cautum est ⁽²¹⁾ ut si quis egreditur ex corpore, ultimo et necessario vitae suae viatico non privetur, id quod secundum antiquae legis regulam observandum statuit. Neque offendere pios debet quod puero * Eucharistia a presbytero data fuerit deferenda Serapioni, ex quo Oecolampadius deprehendere vult antiquos Patres nihil eorum, ut ipse inquit, quae nunc vulgus miratur mirari solitos esse, quandoquidem eam historiae testantur pueris traditam fuisse infirmis portandam quosdam vimineis canistris attulisse. Nam hoc ipsum arguit solidissime Sanctos Patres credidisse in Eucharistia veritatem esse corporis et sanguinis Christi vimque ineffabilem illi inesse ad resurrectionem, siquidem e vita exituris absque vero vitae suae viatico discedere gravissimum ipsis esset etiamsi presbyter qui id porrigeret deesset. Et quid aliud fieri poterat id temporis quando pauci admodum sacerdotes et ministri erant? Quin in tanta necessitate positus per pueros bonae indolis viaticum salutis ad eos qui in extremo periculo constituti erant perferendum

f. 271^r

⁽²⁰⁾ Cf. *Vita S. Basilii*, c. 4; PG. 29, 315.

⁽²¹⁾ DB. 57.

f. 271^v traderent, nisi fortasse leve damnum existimetur absque communione, vel degere vel ex vita exire, quod certe non his Sanctis Patribus videbatur qui in eremis degentes, Eucharistiam domi servabant; neque ipsis solum hoc permittebatur, at in Alexandria et Aegypto unusquisque communionem habebat domi suae, ut Basilius ad Caesariam Patriciam, quae Eucharistiam propria manu contingere religione quadam, verebatur, scribit (²²), cuius verba sic habent: « Κατὸ κοινωνεῖν δὲ καθ' ἑκάστην ἡμέραν, καὶ μεταλαμβάνειν τοῦ ἁγίου σώματος καὶ αἵματος τοῦ Χριστοῦ, καλὸν καὶ ἐπωφελεές· αὐτοῦ σαφῶς λέγουτος. Ὁ τρώγων μου τὴν σάρκα, καὶ πίνων μου τὸ αἷμα, ἔχει ζωὴν αἰώνιον. Τίς γάρ ἀμφιβάλλει, ὅτι τὸ μετέχειν συνεχῶς τῆς ζωῆς οὐδὲν ἄλλο ἔστιν ἢ ζῆν πολλοχῶς; Ἡμεῖς μέντοιγε τέταρτον καθ' ἑκάστην ἑβδομάδα κοινωνοῦμεν, ἐν τῇ Χυριακῇ, ἐν τῇ τετραδῆ, καὶ ἐν τῇ παρασκευῇ, καὶ τῷ Σαββάτῳ, καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις, εἰάν ἡ μνήμη ἁγίου τινός. Τὸ δὲ ἐν τοῖς τοῦ διωγμοῦ καιροῖς ἀναγκάζεσθαι τινὰ μὴ παρόντος ἱερέως ἢ λειτουργοῦ, τὴν κοινωνίαν λαμβάνειν τῇ ἰδίᾳ χειρὶ, μηδαμῶς εἶναι βαρὺ περιττόν ἐστι ἀποδεικνύναι, διὰ τὸ καὶ τὴν μακρὰν συνήθειαν τοῦτο δι' αὐτῶν τῶν πραγμάτων πιστώσασθαι. Πάντες γάρ οἱ κατὰ τὰς ἐρημούς μονάζοντες, ἔνθα μὴ ἔστιν ἱερεὺς κοινωνίαν οἴκοι κατέχοντες, ἀφ' ἑαυτῶν μεταλαμβάνουσιν. Ἐν Ἀλεξανδρείᾳ δὲ καὶ ἐν Αἰγύπτῳ ἕκαστος καὶ τῶν ἐν λαῷ τελούντων ὡς ἐπὶ τὸ πλείστον ἔχει κοινωνίαν ἐν τῷ οἴκῳ αὐτοῦ, καὶ ὅτε βούλεται μεταλαμβάνει δι' ἑαυτοῦ. Ἀπαξ γάρ τὴν θυσίαν τοῦ ἱερέως τελειώσαντος καὶ δεδοκότος, ὁ λαβὼν αὐτὴν ὡς ὅλην ἑαυτοῦ καθ' ἑκάστην μεταλαμβάνων, παρὰ τοῦ δεδοκότος εὐκρίτως μεταλαμβάνειν καὶ ὑποδέχεσθαι πιστεύειν ὀφείλει. Καὶ γὰρ καὶ ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ ὁ ἱερεὺς ἐπιδίδωσι τὴν μερίδα καὶ κατέχει αὐτὴν ὁ ὑποδεχόμενος μετ' ἐξουσίας ἀπάσης, καὶ οὕτω προσάγει τῷ στόματι τῇ ἰδίᾳ χειρὶ. Ταυτόν τοίνυν ἐστὶ τῇ δυνάμει, εἴτε μίαν μερίδα δέξεται τίς παρὰ τοῦ ἱερέως, εἴτε πολλὰς, μερίδας ὁμοῦ. »

f. 272^r Hoc est: « Communicare per singulos dies et participare de sacro corpore et sanguine Christi pulchrum et valde utile est ipso manifesto dicente (²³): *Qui edit * meam carnem et bibit meum sanguinem habet vitam aeternam.* Quis enim ambigit quin frequens vitae participatio nihil aliud sit quam plurimis modis vivere? Nos idcirco quater in singulis hebdomadis, in parasceve et in sabbato ac in aliis diebus si qua memoria fiat sancti alicuius. Illud autem in persecutionis temporibus necessitate cogi quempiam non praesente sacerdote aut ministro communionem propria manu sumere nequaquam esse grave supervacaneum est demonstrare, propterea quod longa consuetudine hoc ipsum rerum usum confirmatum est. Omnes enim in eremis solitariam vitam

(²²) Ep. 93; PG. 32, 483-486.

(²³) Jo. 6, 55.

agentes, ubi non est sacerdos, communionem domi servantes a seipsis communicant. In Alexandria vero et in Aegypto unusquisque eorum qui sunt de populo ut plurimum habet communionem in domo sua. Semel enim sacrificio sacerdote consecrante et distribuyente merito participare et suscipere credere oportet. Etenim et in Ecclesia sacerdos dat partem et accipit eam is qui suscipit cum omni libertate et ipsam admovet ori propria manu. Idem igitur est virtute sive unam aliquam partem accipiat quispiam a sacerdote, sive plures partes simul». Hactenus Basilius, cuius epistolam non ideo adferimus ut idem hodie quum tanta sacerdotum sit copia fieri debere censeamus, sed ut ostendamus quantam vim ac virtutem sacrorum mysteriorum esui inditam prisca illi Patres iudicaverint, quamque necessarium illis temporibus vaticum ad futuram vitam videretur. Haec Basilius, cuius verba ideo hic adscripsimus ut eorum error refellatur qui opinantur spirituale Christi corporis manducationem et sanguinis eius potum satis esse, sanctos autem illos primos * eremitas corporali caruisse, quemadmodum Wesselus Gronigensis asserit, cuius error ex hac Basilii epistola palam deprehenditur. Wesseli verba sunt haec (24): « Veruntamen valde notandum est verbum Domini: *Nisi manducaveritis non habebitis vitam in vobis*: habent autem vitam veram qui credunt in eum; ergo qui credunt in eum hi sunt qui manducant carnem eius. Confesse palam tantos Anachoretas vitam habuisse, latitantes in antris tantos annos. Manducabat ergo Paulus primus eremita etiam temporibus illis quibus mortalem nullum ne dicam sacerdotem communicantem videbat, sed manducabat quia credebat et quod credebat crebro commemorabat, diligenter considerabat, ruminabat; quod ruminabat suave esse gustabat, quod suave esse gustabat, desiderabat; quod desiderabat edebat et sitiebat. Hoc super mel et favum dulce esse sciebat, hoc anhelabat, diligebat, amabat, amore languebat, amore vulnerabatur. Quia si fideliter et integre faciebat in omnibus his mortem Domini annunciabat ». Haec Wesselus, qui numquam se Basilii epistolam legisse testatur.

Veruntamen ut quanta nonnumquam fuerit virtus et efficacia coniunctionis ipsius dominici corporis cum nostro corpore luculentius intelligamus, non ab re erit referre quod Gregorius Papa de B. Benedicto abbate in eius vita scriptum reliquit, ita enim ait (25): « Quadam quoque die, dum quidam eius puerulus monachus parentes suos ultra quam deberet diligens, atque ad eorum habitaculum ten-

(24) *De sacramento Eucharistiae et audienda Missa*, c. 10; Opera omnia, Groningae 1614, p. 678. De hoc singulari laico Wessel Gansfort (1420-1489) nuper erudite scripsit J. NEBESNI, *De doctrina eucharistica Wessel Gansfort deque eius habitudine ad Honium et Sacramentarios*, Romae 1948 (dissertatio ubarniana inedita) ubi mentem auctoris plane haereticam aperit.

(25) *Dialogorum* I. 2, c. 24; PL. 66, 180-182.

f. 273^r

dens, sine benedictione de monasterio exisset, eodem die mox ut ad eos pervenit defunctus est. Quumque esset sepultus die altero proiectum foras corpus eius inventum est; * quod rursus tradere sepulturae curaverunt. Sed sequenti die iterum proiectum corpus atque inhumatum sicut prius invenerunt. Tunc concite ad Benedicti Patris vestigia currentes, cum magno fletu petierunt ut ei suam gratiam largiri dignarentur. Quibus vir Dei manu sua protinus communionem dominici corporis dedit dicens: *Ite, atque hoc dominicum corpus super pectus eius cum magna reverentia ponite et sic sepulturae eum tradite. Quod dum factum fuisset susceptum corpus eius terra tenuit, nec ultra proiecit* ». Haec Gregorius.

Iam qui ipse Christus animae nostrae infixus atque visceribus immistus in nobis non efficiet? Quo enim pacto cibus qui vere vivit, a nobis comestus vitam perennem non praebet? Qui etiam corpus nostrum quod corporis Christi membrum est, adeo ipse Christus per dignam membrorum compagem qua totum Christi corpus Christus a Paulo ⁽²⁶⁾ appellatur, non immortale erit vi ac virtute illius divini mysterii quod intime adeo ipsi capiti corporique toti conglutinatur? Porro corpus quod cadaveris pectori impositum ut quiescere sub terra possit efficit, quid corpori unum cum Christo effecto non praestabit? Satis ergo ostensum est rationi ipsi immensaeque Dei benignitati consentaneum esse, vi ac virtute praedictae naturalis cum Christo coniunctionis corpora nostra mortalia ad immortalitatem et incorruptionem praeparari. Hoc ipsum ex sequentium rationum probationibus magis constabit.

CAPUT III.

*Secunda probatio.**Ex Christi et Pauli verbis elicitor.*

f. 273^v Cum Christus se in ipso manducante manere et manducantem in ipso, * atque victurum etiam illum per ipsum qui carnem suam manducaret sicut et ipse Christus vivit per Patrem a quo missus est testatur ⁽¹⁾, necessario consequitur eum qui unum cum Christo in quo vita est, efficitur non posse in aeternum mori sed eo ipso vitam aeternam et incorruptionem immortalitatemque consequatur; quod apertis verbis carnem suam manducanti et sanguinem suum bibenti pollicitus est inquit ⁽²⁾: « *Qui manducat meam carnem et bibit meum*

⁽²⁶⁾ Cf. 1 Cor. 12, 12.⁽¹⁾ Jo. 6, 57.⁽²⁾ Jo. 6, 55.

sanguinem habet vitam aeternam et ego resuscitabo eum in novissimo die ». Declaratur hic quod Joannes ante dixerat (3): « *Et Verbum caro factum est* », ut mirabilem unionem ostenderet et Verbum humanitati coniunctum totam in seipsum, ut inquit Cyrillus, ita reduxit ut indigentia vitae posset vivificari interitumque natura humana expellere, et mortem, quae peccato plurimum poterat destruerre. Quare qui carnem Christi manducat vitam aeternam habet. « Habet enim, inquit Cyrillus (4), haec caro Dei Verbum quod naturaliter vita est propterea dicit: *Et ego resuscitabo eum in novissimo die*. Ego enim, dixit, idest corpus meum quod comedetur, resuscitabo eum. Non, enim alius ipse est quam caro sua; non quod natura non sit alius, sed quia post incarnationem in duos se dividi filios minime patitur. Ego igitur, inquit, qui homo factus sum per carnem meam in novissimo die comedentes resuscitabo. Nempe impossibile omnino est ut interitus et mors ab eo qui naturaliter vita est non superetur. Propterea quamvis mors quae propter peccatum nostrum in naturam nostram insiliit, corpus humanum ad corruptionem impellat, tamen quia filius Dei homo factus est, omnes profecto resurgemus ». Haec Cyrillus. Nempe qui resurrectionis auctor est, * quique natura- f. 274^r
liter vita est, non patietur membra sua per hunc panem coelestem ipsi insita a se divelli, quin potius suscitabit ea in novissimo die; ut quemadmodum totus homo illi credit totusque corpore et spiritu illi coniunctus fuit totus etiam cum illo vivet in aeternum.

B. Thomas congrue huiusmodi effectum sacramento Eucharistiae attribui scribit (5): « Quia, ut dicit Augustinus: Verbum resuscitat animas, sed Verbum caro factum vivificat corpora. In hoc enim sacramento non solum est Verbum secundum suam divinitatem, sed etiam secundum veritatem carnis, et ideo non est causa solum resurrectionis animarum, sed etiam corporum (6): *Per hominem mors et per hominem resurrectio mortuorum* ». Patet ergo effectum huius coniunctionis esse resurrectionem manducantis. Causam vero statim subdit (7): « *Caro, inquit, mea vere est cibus et sanguis meus vere est potus; qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem in me manet et ego in illo* ». Haec ipsa verba non quamcumque coniunctionem, sed intimam et arctissimam cum Christo indicare saepius antea diximus. Afferamus ad haec locum illum qui Joannis 17 (8) habetur: « *Et ego claritatem quam tu dedisti mihi dedi eis, ut sint unum sicut et nos unum sumus. Ego in eis et tu in me* ». Claritas idem est

(3) Jo. 1, 14.

(4) In Jo. 1. 4, c. 2; PG. 73, 582.

(5) In Jo. lect. 7, n. 4.

(6) I Cor. 15, 21.

(7) Jo. 6, 56.

(8) Vers. 22.

quod gloria. Gloria autem omnes thesauros, opes, divitias, potentiam, dignitatem comprehendit, in quibus immortalitas et incorruptio ipsius corporis continentur. Omnia enim bona quae Christus habet et a Patre accepit, unum cum ipso effectis communicat, quandoquidem ideo eos sibi coniunxit, ipsumque in eis esse voluit ut sint consummati in unum. Consummati autem dicuntur * ac perfecti Christo per sacra mysteria coniuncti, auctore Sancto Maximo ⁽⁹⁾, qui quae Christum habent, thesaurum nimirum illum in quo sunt omnes divitiae coelestes. Hi vero perfectius habent qui coniunctius intimiusque ipsi adhaerent qui per Eucharistiam membra corporis illius de carne eius et de ossibus eius effecti sunt.

f. 274^r Quod si splendida facta est facies Moysi *ex consortio sermonis Domini* ita ut non possent filii Israel intendere in faciem eius propter gloriam vultus eius ⁽¹⁰⁾, quam claritatem habebunt ii quibus Filius Dei per benedictionem mysticam corporaliter ut homo unitur, spiritualiter autem ut Deus. De quibus Apostolus Paulus ⁽¹¹⁾: « *Nos enim revelata facie gloriam Domini specularantes in eandem imaginem transformamur a claritate in claritatem tamquam a Domini spiritu* ». Nempe tenebrosus membrum corpus lucidum minime decet. « *Scimus enim quoniam quum apparuerit similes ei erimus* » ⁽¹²⁾, ac quemadmodum membra corporis carnalia sanguinis substantialis, cute candidante ac emicante carne, colorem prae se ferunt, ita mystici corporis Christi membra nitorem claritatemque ipsius procul dubio referunt. De hac Christi claritate *Canticorum* 5 ⁽¹³⁾ dicitur: « *Dilectus meus candidus* ». Participes huius candoris *Judith* vidua fuit, cui *Dominus contulit splendorem* ⁽¹⁴⁾. Agnovit quoque in se beata illa Agnes etiam vivens sentiensque hunc candorem inquit: iam corpus meum corpori eius sociatum est, et sanguis eius ornavit genas meas ⁽¹⁵⁾.

f. 275^r Proprius nempe corporis Christi et sanguinis eius effectus est, eius claritatis quam in se habet participes efficere eos quos per mysticam benedictionem sibi coniungit, qui consummati appellantur, * quemadmodum Sanctus Pater *Cyrillus* scripsit ⁽¹⁶⁾, cuius verba haec sunt: « Consummati ergo sumus et reducti ad unionem Dei Patris mediatione Salvatoris, scilicet Christi: Filium enim Dei natura Patri unitum, corporaliter substantialiterque, ut dictum est, accipientes clarificamur glorificamurque supremae facti naturae partici-

⁽⁹⁾ *In Coelestem Hierarchiam*, c. 1, § 3; PG. 4, 34.

⁽¹⁰⁾ *Exod.* 34, 29.

⁽¹¹⁾ *2 Cor.* 3, 18.

⁽¹²⁾ *1 Jo.* 3, 2.

⁽¹³⁾ *Vers.* 10.

⁽¹⁴⁾ *Judit* 10, 4.

⁽¹⁵⁾ Cf. *Breviarum Romanum*. 21 ianuarii.

⁽¹⁶⁾ *In Jo.* l. 11, c. 12; PG. 74, 563.

pes ». Haec ipsa natura quid aliud est quam immortalitas et incorruptio? Vel *Athanasio* auctore qui de *Epiphania* contra *Arianos* haec scribit: ⁽¹⁷⁾ « Ὅσοι γὰρ Πνεῦμα Θεοῦ φοροῦσι, ὡς φοροῦσι καὶ οἱ φοροῦντες ὡς Χριστὸν εἶναι ἐνδεδυμένοι· καὶ οἱ ἐνδεδυμένοι Χριστὸν Πατέρα ἐνδέδυνται. Δεῖ γὰρ τὸ φαρτὸν τοῦτο ἐνδύσασθαι ἀφ' ἁθαρσίαν, καὶ τὸ θνητὸν τοῦτο ἐνδύσασθαι ἀθανασίαν. Οἱ γὰρ φοροῦντες τὸ Πνεῦμα τοῦ Θεοῦ ἀφ' ἁθαρσίαν φοροῦσιν· ἀφ' ἁθαρσία δὲ ἐστὶν ὁ Θεός ». Hoc est: « Quicumque Spiritum Dei gestant, lucem gestant; et qui lucem gestant Christum induti sunt; et qui Christum induti sunt, Patrem induti sunt. Oportet enim corruptibile istud incorruptione indui et mortale istud immortalitate vestiri. Nam qui Spiritum Dei gestant incorruptibilitatem gestant. Incorruptibilitas autem Deus ipse est ». Praeterea mysterio carere existimabimus id quod a Christo, quum de suae carnis manducatione loqueretur dictum est ⁽¹⁸⁾: « *Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius?* ». Declarat profecto Paulus mysterium inquires ⁽¹⁹⁾: « *Unicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi, propter quod dicit: Ascendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit * do-* f. 275
na hominibus. Quod autem ascendit, quis est nisi qui et descendit primum in inferiores partes terrae? Qui descendit et ipse est qui ascendit ut impleret omnia ». Haec Pauli verba in Christo omnes ei incorporatos in coelos ascendere testantur. Nam, ut ipsemet Christus dixit ⁽²⁰⁾: « *Nemo ascendit in coelum nisi qui descendit de coelo, Filius hominis qui est in coelo* ». Verbum enim quod in principio erat Deus apud Deum, quo ascenderet vel quomodo ascendere posset nisi prius descendisset? Descendit nimirum quando formam servi accepit ut inter homines conversaretur. Divinitate descendit ad nos, sed humanitate quam assumpsit ascendit ad coelos, captivam ducens captivitatem; quam sibi unit, ac de morte ad vitam reducit. De terra enim conversa fuerat ⁽²¹⁾: « *Terra es, et in terram convertentis* ». In coelum itaque secum transfert. Nam *ubicumque corpus illic congregantur et aquilae* ⁽²²⁾; membra etiam ubicumque est caput et ipsa sunt. « *Pater, quos dedisti mihi, inquit Christus* ⁽²³⁾, *volo ut ubi ego sum et illic sint mecum, ut videant claritatem meam quam dedisti mihi* ». Volo igitur, inquit, ut qui mihi abs te dati sunt, mecum sint et gloriam meam videant, quandoquidem consummati sunt per mysticam benedictionem mecum vel per illuminationem fidei mihi coniuncti. Ceterum cum Christo integre esse qui in coelis est et ad dexte-

⁽¹⁷⁾ *De Incarnatione contra Arianos* c. 15; PG. 26, 1010-111.

⁽¹⁸⁾ *Jo.* 6, 62.

⁽¹⁹⁾ *Eph.* 4, 7-10.

⁽²⁰⁾ *Jo.* 3, 13.

⁽²¹⁾ *Gen.* 3, 19.

⁽²²⁾ *Mt.* 24, 28.

⁽²³⁾ *Jo.* 17, 24.

ram Dei Patris sedet non possumus nisi prius resurrexerimus. « *Resurgent enim mortui, ait Paulus, (23bis), et nos simul cum illis rapiemur in nubibus obviam Domino in aëra, et sic semper cum Domino erimus* ». Resurrectionis denique ascensionisque nostrae in coelum causa ipsa unitas, qua Christo coniungimur, est quae per dignam corporis et sanguinis Domini sumptionem perficitur atque consummatur. Satis sit, his Christi verbis secundam rationem corroborasse.

f. 276^r Pauli iam adducantur testimonia; ac in primis qui diligenter animadvertit * seriem et contextum quem servavit Paulus a cap. 10 primae ad *Corinth.* usque ad 15 eiusdem epistolae, reperit nostrae resurrectionis causam nullam aliam esse quam, ut nuper diximus, unitatem nostram cum Christo, quemadmodum gratiae et sanctificationis. Nam postquam Paulus in eo cap. (24) « *unum nos omnes corpus esse qui de uno pane et de uno calice participamus, calicemque cui benedicimus communionem sanguinis Christi esse, et panem quem frangimus participationem corporis Domini* » testatus est, sequenti capite de Eucharistiae sacramento, dignaque eius perceptione tractat, cui tria annectuntur capita, in quibus unitas nostra cum Christo, fide, dilectioneque docetur; qua abunde ostensa resurrectionis nostrae fidem explicat ea potissimum innixus ratione quod cum Christus resurrexit a mortuis nos etiam resurgemus. Ea est enim capitis et membrorum connexio ut neque membra sine capite neque caput sine membris esse possint. Praeterea cum Paulus scribit (25) « *Erunt duo in carne una: Sacramentum hoc magnum est: Ego autem dico in Christo et Ecclesia* », coniugium significavit animae cum Christo, quod per corporis et sanguinis eius Eucharistiam, ut antea exposuimus, digne sumptam consummatur. Ac quemadmodum nuptiae sunt donatio quaedam mutua contrahentium quam sequitur bonorum omnium honorumque hinc inde communicatio, sic etiam non debet quae una duorum coniugum caro est, imparem sortiri conditionem, altera in coelum evecta, altera in terram redacta. Christi vero et Ecclesiae, quae mysticum Christi corpus est, unam carnem esse ob mysticam benedictionem, etsi antea comprobavimus ex *Anselmi* expositione (26), in eadem Pauli verba didicimus. Inquit enim: « *Et ipsi duo, idest Christus et Ecclesiae, sunt in carne una; quia carnem quam ille de Virgine sumpsit, quotidie in Missarum celebrationibus sumit Ecclesia* ».

f. 276^v * Sufficiant haec Pauli loca ad confirmationem huius secundae rationis, per quam constat vis ac robur quod nostra caro carni Christi unita incorruptionem et immortalitatem praebet, constabitque magis ex sequentis rationis probatione.

(23bis) *1 Thess.* 4, 16.

(24) *Cap.* 10, vers. 16-17.

(25) *Eph.* 5, 31-32.

(26) *In Eph.* 5, 28-35; ed. Coloniae Agrippinae 1533, p. 350 A.

CAPUT IV.

*Tertia probatio.**Patrum testimoniis Ecclesiaeque traditione fulcitur.*

Dionysius ⁽¹⁾: « Idcirco et sanctorum sacra functio divinas participationes largitur utrique; animae quidem in speculatione purissima et per eorum quae geruntur scientia, corpori vero per sacratissimum, ut imagine loquamur, unguentum, et per divinae communionis augustissima signa totum sanctificans hominem, integramque ipsius salutem operans atque universalibus illustrationibus exactissimam eius resurrectionem fore denuntians ».

Irinaeus ⁽²⁾: « Quomodo autem rursus dicunt carnem in corruptionem venire et non percipere vitam quae a corpore Domini et sanguine alitur? Ergo aut sententiam mutant, aut abstineant offerentes quae praedicta sunt. Nostra autem sententia consonans est Eucharistiae, et Eucharistia rursus nostram confirmat sententiam. Offerimus enim ei quae sunt eius congruenter, communicationem et unitatem praedicantes carnis et spiritus. Quemadmodum enim qui est a terra panis percipiens vocationem Dei, iam non communis panis est, sed Eucharistia ex duabus constans rebus, terrena et coelestis, sic et corpora nostra participantia Eucharistiam iam non sunt corruptibilia spem resurrectionis habentia ». His verbis Irinaeus docet corpora * f. 277^r eorum qui pascuntur hoc cibo, resurgendi virtutem ad vitam incorruptibilem recipere atque ita Joannes Roffensis adversus Oecolampadium de his Irinaci verbis disserens, sic inquit illum interrogans ⁽³⁾: « Sed ubi est quod dixit Irinaeus, corpora nostra percipientia Eucharistiam, iam non sunt corruptibilia? Tu nihil esui tribuis huius Sacramenti, ille autem tantum tribuit ut dicat perceptionem Eucharistiae certa reddere corpora nostra de futura resurrectione. Quae nihil aliud moliris quam circumvenire lectorem, nimirum ut videaris Irinaeo consentire, cum toto pectore dissentias. Irinaeus per incorruptibilem vitam non intelligit eam, quam in gehenna damnati sunt habituri, quae mors quaedam incorruptibilis verius est quam vita, sed plane vitam gloriae et aeternae beatitudinis intelligit, quam non assequuntur omnes qui testantur se communicare carni Christi per esum panis tantum, sed qui vere credunt et pie manducant veram ipsam carnem in Eucharistia ». Haec Roffensis. Qui paulo inferius

(1) *De Ecclesiastica Hierarchia*, c. 7, § 9; PG. 3, 566.

(2) *Adv. Haereses* l. 4, c. 18, n. 5; PG. 7, 1027-1029.

(3) *De veritate corporis et sanguinis Domini adv. Oecolampadium*, Wircerburgi 1597, p. 1160.

respondens Oecolampadii rationi qua asserit ita nos carni Christi communicare ut spiritu communicamus, et hoc Irinaeum vocare communionem et unitatem carnis et spiritus. Alioquin nihil certius esse, ait, corruptibilitate corporum nostrorum, spe tamen in Christo qui resurrexit incorruptibilia dici. Ad haec Oecolampadii verba Roffensis respondens ita ait: ⁽⁴⁾ « Quamquam granum tritici iactum in terram corrumpatur, ea tamen corruptio, propter abditam in ipso grano virtutem, via est ad alterius vitae maius incrementum. Ad eundem modum necesse est ut nostra corpora tandem per corporalem mortem redeant in cineres. Sed quia nonnihil virtutis quam ex esu carnis Christi contraximus, in ipsis * adhuc cineribus manere visum tam Irinaeo quam caeteris priscis, ipsa nostrae carnis incineratio, si tamen antea passa sit hoc cibo, ad gloriosam illam resurrectionem rectissimus callis est. Caeterum propter hoc nos in Christum spei nihil detrahimus si modo vera vivaque sit, ac plerumque mortua est quae viva putatur, quemadmodum in vobis qui foris ab Ecclesia separamini proculdubio non vivit. Ubi tamen mortua spes est modo voluntas adsit bona, vivificabitur haud dubie per esum Eucharistiae idest carnis huius, quae vere vivificatrix est. Caeterum quod tu de carnis et spiritus communicatione detorques contra mentem Irinaei, ipse aliter sentit. Asserit enim ipse nos per esum corporis vere carni Christi et per sanguinem eius vere spiritui communicare ». Haec Roffensis. Qui paulo post subiicit ⁽⁵⁾: « Irinaeo visa fuit haec justa quaedam probatio. Sic enim haereticis obiecit ille: Quomodo rursus dicunt carnem in corruptionem venire et non percipere vitam quae a corpore et a sanguine Domini alitur? Perinde ac dixisset: Quoniam caro Christi vivificatrix est et eadem resurrexit ad vitam incorruptibilem, inde fit ut qui carnem illam digne comederunt si nulla posthac sua culpa virtutem illam quam acceperunt amittant, eorum corpora proculdubio resurgent ad immortalitatem. At, inquires, idem consequuntur si fide tantum edierint. Iam respondi visum esse priscis illis non sufficere fidem nisi quum oportunitas nulla detur edendi Sacramenti ».

f. 278^v Cyprianus ⁽⁶⁾ ad Cornelium Papam scribens de hoc sacramento loquens: « Et nos, inquit, quum caro essemus et sanguis, corrupta * et infirma corporis animaeque natura reformari non poteramus neque ad similitudinem Dei reverti, nisi morbo inveterato imponeretur malagma conveniens, et in curatione desperatae infirmitatis contraria removerentur contrariis, et similia similibus convenirent ».

⁽⁴⁾ Loco citato.

⁽⁵⁾ Loco citato.

⁽⁶⁾ Ps. CYPRIANUS, *De cena Domini*; Cypriani opera ed. Coloniae Agrippina 1617, p. 273 A.

Gregorius Nyssenus saepius a nobis citatus ita inquit (?): « Quomodo parum frumenti, ut inquit Apostolus, totam massam sibi similem reddit, sic et corpus illud quod a Deo factum est immortale, in nostrum corpus ingrediens totum in se transfert atque commutat. Nam ut pestiferum cum salubri commistum illud efficit perniciosum, sic et corpus immortale reddit totum illud in quo susceptum est, naturae simile immortalis. In corpus autem ingredi non potest, nisi per cibum et potum visceribus immisceatur. Itaque necessarium est ut natura nostra quoad eius fieri potest, vim salutarem intra corpus suum admittat. Cum autem nullum aliud nisi divinum illud corpus eam gratiam susceperit, demonstratumque sit fieri non posse ut nostra corpora consequantur immortalitatem nisi cum immortale corpore coniungantur, atque ita incorruptionem acquirant, considerandum est quomodo fieri queat ut cum unum illud corpus assidue per totum orbem terrarum tot fidelium millibus impertiatur, totum cuiusque singulas partes pervadat et in se ipse totum permaneat ».

Athanasius in expositione evangelii (?): *Quicumque dixerit verbum adversus filium hominis etc.*:

« Ἄ γὰρ λελάληκα, φησὶν, ὑμῖν, πνεῦμά ἐστι καὶ ζωὴ » Ἰσον τῷ εἰπεῖν: Τὸ μὲν δεκνύμενον καὶ διδόμενον ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου σωτηρίας ἐστὶν ἡ σαρεξ ἦν ἐγὼ φορῶ. Ἄλλ' αὕτη ὑμῖν καὶ τὸ ταύτης αἷμα παρ' ἐμοῦ πνευματικῶς δοθήσεται τροφή· ὥστε πνευματικῶς ἐν ἐκάστῳ ταύτην ἀναδίδοσθαι καὶ γίνεσθαι πᾶσι φορακτῆριον εἰς ἀνάστασιν ζωῆς αἰωνίου ».

f. 278^v

Hoc est: « Quae omnia loquutus sum vobis, spiritus sunt et vita. Quod idem valet ac si diceret: quandoquidem ostenditur ac datur, pro mundo dabitur alimonia ut spiritualiter haec in unoquoque concoquatur et digeratur, fiatque omnibus conservatorium ad resurrectionem vitae aeternae ». Attulimus antea partem huius auctoritatis. Idem Athanasius (?):

« Ἐπρεπεν γὰρ φθαρτὴν οὖσαν τὴν σάρκα μηκέτι καὶ τὴν αὐτῆς φύσιν μένειν. θνητὴν, ἀλλὰ διὰ τοῦ ἐνδυσαμένου αὐτὴν Λόγου ἐφθαρτον διαμένειν. Ὡς γὰρ αὐτὸς γινόμενος ἐν τῷ ἡμῖν σώματι τὰ ἡμῶν ἐμιμήκατο, οὕτως ἡμεῖς δεξάμενοι τοῦτον, τῆς παρ' αὐτοῦ μεταλαμβάνομεν ἀθανασίας ».

Hoc est: « Conveniebat enim ut caro quae corrupta erat non amplius secundum suam ipsius naturam mortalitatis maneret, sed per Verbum quod illam induit incorruptibilis permaneret. Ut enim Verbum homo factum in nostro corpore nostra imitatum est, ita et nos ipsum suscipientes immortalitatem ex ipso participamus ».

(?) *Oratio catechetica*, c. 37; PG. 45, 94.

(8) *Ep. 4 ad Serapionem* 19; PG. 26, 668. Cf. *supra*, p. 150.

(9) Cf. *Oratio 3 adv. Arianos*, n. 34; PG. 26, 397.

f. 279^r Cyrillus in Joannem ⁽¹⁰⁾: « Caro vitae facta Unigeniti caro, ad virtutem vitae traducta est. Non potest igitur morte superari, propterea in nobis facta interitum a nobis expellit. Non enim abest ab ea Unigenitus Filius Dei, unde quia unus est cum carne sua, ergo, inquit, *suscitabo eum* ». * Idem alibi ⁽¹¹⁾: « Non poterat enim aliter corruptibilis haec natura corporis ad incorruptibilitatem et vitam traduci nisi naturalis vitae corpus ei coniungeretur ». Idem ⁽¹²⁾: « Non credis mihi haec dicenti? Christo, te obsecro, fidem praebere. *Amen amen, inquit, dico vobis, nisi manducaveritis carnem filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat carnem meam et bibit sanguinem meum, habet vitam aeternam et ego suscitabo eum in novissimo die.* Audis aperte clamantem non habituros nos vitam nisi sanguinem eius biberimus et carnem manducaverimus. In vobis autem ipsis dicit, idest in anima corporeque vestro, vita autem iure ipsa vitae caro intelligi potest. Haec enim non in novissimo die suscitatur ».

Idem in Joannem ⁽¹³⁾: « Quoniam igitur Salvatoris caro, Verbo Dei, quod naturaliter vita est, coniuncta, vivifica effecta est, quando eam comedimus tunc vitam habemus in nobis illi coniuncti, quae vita effecta est. Hac de causa in excitandis mortuis non solummodo verbo atque imperio ut Deus utebatur, verum etiam carnem suam quasi cooperationem nonnumquam adhibebat, ut reipsa ostenderet carnem quoque suam, quoniam sibi coniuncta est, vivificam esse, atque fideles doceret, suum non alterius corpus esse ».

f. 279^v Idem ⁽¹⁴⁾: « Decebat ergo eum nostris quodammodo uniri corporibus per sacram eius carnem et pretiosum sanguinem quae accepimus in benedictione vivificativa in pane et vino. Ne enim horreremus carnem et sanguinem apposita sacris altaribus, condescendens Deus nostris fragilitatibus influit oblati * vim vitae convertens ea in veritatem propriae carnis, ut corpus vitae quasi quoddam semen vivificativum inveniatur in nobis. Unde subdit: *Hoc facite in meam commemorationem* ».

Ammonius in Joannem ⁽¹⁵⁾: « Τὴν μυστικὴν μεταλήψιν λέγει τὴν ἀγιάζουσαν ψυχὴν καὶ σῶμα, συναναπλέσας τῷ θεοπροπέτῳ τῷ ἀνθρώπινον » Hoc est: « Mysticam participationem, inquit, sanctificantem animam et corpus humanum, divinae majestati consentaneum contemperat atque coapat ».

⁽¹⁰⁾ In Jo. I. 10, c. 2; PG. 74, 343.

⁽¹¹⁾ In Jo. I. 10, c. 2; PG. 74, 342.

⁽¹²⁾ In Jo. I. 10, c. 2; PG. 74, 342-343.

⁽¹³⁾ In Jo. I. 4, c. 2; PG. 73, 578.

⁽¹⁴⁾ In Lc. c. 22, v. 19; PG. 72, 911.

⁽¹⁵⁾ AMMONIUS ALEXANDRINUS, *Fragmenta in Jo. 6, 27*; PG. 85, 1433-1434.

Leo Papa ⁽¹⁶⁾: « Non enim aliud agit participatio corporis et sanguinis Christi quam ut in id quod sumimus transeamus, et in quo commortui et consepulti et conresuscitati sumus, ipsum per omnia et spiritu et carne gestemus, dicente Apostolo ⁽¹⁷⁾, *mortui enim estis et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Cum enim Christus apparuerit vita vestra, tunc et vos cum Christo apparebitis in gloria*, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat in saecula saeculorum ».

Augustinus ⁽¹⁸⁾: « Verbum Dei resuscitat animas, sed Verbum caro factum resuscitat corpora ».

Anselmus ⁽¹⁹⁾: « Sumpta, inquit, ore carnis nostrae caro Christi nequaquam aestimanda est lege communium ciborum. Hic enim cibus non est ventris sed mentis, dissimilis omnino ab illis cibus de quibus dicitur: *Omne quod in os intrat in ventrem vadit et per secessum emittitur*. Hic est cibus qui non vadit in corpus, quia nequaquam, sicut alii cibi, in naturam vertitur corporis, sed corpus nostrum in suam vertit naturam et futurae resurrectioni et perpetuae incorruptioni illud praeparans et coaptans, et in nobis est, et ubi erat scilicet in dextera Dei Patris ».

* Idem in Paulum ⁽²⁰⁾: « *Et panis quem frangimus nonne participatio corporis Domini est?* Idest: nonne hoc operatur in nobis ut tandem corpora nostra recipiant participationem immortalitatis et gloriae corporis nostri? Hoc est dicere: Participatio calicis et panis dominici facit ut anima nostra et corpus tandem conformetur animae et corpori Christi secundum receptionem eiusdem beatitudinis. Tunc autem hoc erit si quod in sacramento visibiliter sumitur, in ipsa veritate spiritualiter manducetur, spiritualiter bibatur. Sicut enim ut sit species visibilis panis multa grana in unum consperguntur tamquam illud fiat quod de fidelibus ait Scriptura: *Erat illis cor unum et anima una*, et sicut in confectione vini liquor granorum in unitatem confunditur, ita Dominus Jesus nos ad se pertinere per unitatem caritatis significavit, ac mysterium pacis et unitatis nostrae in sua mensa consecravit, et ideo qui accipit mysterium unitatis et non tenet vinculum pacis, non mysterium accipit pro se sed testimonium contra se. Panis quem frangimus est participatio corporis Domini, et qui de illo accipiunt, de corpore Domini accipiunt atque fiunt etiam ipsi quod accipiunt ».

f. 280^r

⁽¹⁶⁾ Sermo 63, 7; PL. 54, 357.

⁽¹⁷⁾ Col. 3, 3.

⁽¹⁸⁾ In Jo. tr. 19, n. 15-16; PL. 35, 1550-1553.

⁽¹⁹⁾ Hic textus redolens mentem Augustini in operibus S. Anselmi non deprehenditur. Locus Scripturae apud Mt. 15, 17.

⁽²⁰⁾ In I Cor. 10, 16; ed. Coloniae Agrippinae 1533, p. 159. Loci Scripturae apud I Cor. 10, 16 et Act. 4, 32.

f. 280^v S. Thomas ita scribit ⁽²¹⁾: «Tertio modo considerata rationalis creatura secundum quod illae duae naturae, idest corpus et anima, sunt in singulis personis hominum familiari societate et miro amore coniunctae, tunc exigitur ad aeternam salvationem utrumque unus cibus toti homini, idest utrique naturae conveniens, spiritualis scilicet et corporalis, scilicet Verbum caro factum quem simul sub quodam sacramento comedant, cuius virtute anima de praesenti * miseria ad vitam aeternae beatitudinis perveniat, et corpus admodum tempus servatur in terra ut tandem gloriose resurgat ».

Bruno Carthusiensis Ordinis auctor ⁽²²⁾: «Hic, inquit, panis quem frangimus, nonne participatio est corporis Domini? Idest: Nonne per hoc corpus Deum in nobis capimus eumque nobis incorporamus? Ideo in duabus substantiis, corporis scilicet et sanguinis, sacrificium hoc Deus instituit ut per carnem in altari traditam ostenderet se redimere carnem nostram per haec Sacramenta in incorruptionem quandoque transferendam, et per sanguinem quem tradit insinaret se similiter redemisse animam nostram ad quod de anima insinuandum, qua re incorporali uti non potuit, digne per sanguinem, qui sedes animae dicitur, animam figuravit ».

Assertio quam in primo libro attulimus de effectu sacramenti Eucharistiae, ex libro Confessionis Polonicae ⁽²³⁾ catholice certe et erudite proficitur corpus et sanguinem Christi a nobis sumptum efficere ut et Christus in nobis sit et nos in Christo non animum tantum reformante, sed carnem etiam nostram ad vitam, incorruptionem et immortalitatem praeparante.

f. 281^r Sufficiant allata veterum Patrum et eruditissimorum sanctorumque doctorum testimonia ad fulciendam vim atque efficaciam per Eucharistiam nobis corporaliter Christo unitis ad incorruptionem et vitam aeternam exhibitam. Eandem iam ecclesiastica traditione confirmari ostendamus, idque ipsum praeter ecclesiasticas quas saepius retulimus preces tum illa supplicatoria oratione quae dominica decima septima post festum Sanctae Trinitatis post communionem in officio Missae profertur, perspicuum est mysteria corporis et sanguinis * Christi digne sumpta in auxilium corporum etiam praesens et futurum capi. Eius verba sunt: « Purifica Domine, quaesumus, mentes nostras, et renova coelestibus Sacramentis ut consequenter et corporum praesens pariter et futurum capiamus auxilium ». Sed ne recens hoc commentum quisquam existimet, ab ipso Sancto Ja-

⁽²¹⁾ Ps. THOMAS, *De sacramento altaris*; Opera omnia, Venetiis 1593, t. 17, 45.

⁽²²⁾ *In 1 Cor.* 10, 16; PL. 153, 176.

⁽²³⁾ *Supra*, p. 71.

c o b o A p o s t o l o et fratre Domini ita traditum ea benedictio ostendit quae in eius Missa habetur (24): « Post panem fractum particulamque eius in calicem immersam, et singulas partes in singulos calices distributas, sacerdos rogatus a diacono ut benedictionem suam impertiat ita inquit: Dominus benedicat et dignos nos faciat qui puris forcipibus accipiamus igneum carbonem et imponamus eum in ora fidelium ad purgationem et renovationem animarum ipsorum et corporum nunc et semper ». Haec Sancti Jacobi verba adeo aperta sunt ut expositione non egeant, et magnam lucem adferunt P a u l i loco in primam quam scripsit ad *Thessalonicenses* (25) epistolam, obscura alioquin. Inquit enim: « *Ipse aut Deus pacis sanctificet vos per omnia ut integer spiritus vester et anima et corpus sine querela in adventu Domini nostri Jesu Christi servetur* ». Integritatem corporis pariter atque animae perpetuam Paulus precatur; quam ut qui socii et participes sanctorum mysteriorum sunt consequantur idem J a c o b u s A p o s t o l u s in sua Missa orat (26). Nam post dictum *Pater noster* et capita Domino inclinari a diacono iussa: « Tibi inclinamus, ait, qui servi tui sumus, Domine, cervices nostras coram sancto altari tuo, expectantes copiosam a te misericordiam, abundantem gratiam tuam et benedictionem. Dimitte nobis, Domine, et sanctifica animas nostras et corpora atque spiritus, ut efficiamur digni qui socii et participes simus sanctorum tuorum mysteriorum in remissionem * peccatorum et in vitam aeternam ». Aeterna vita tam in corpore quam in anima intelligitur quando caro nostra mortalis unum cum Christi carne immortalis facta atque igneo illo carbone purgata et renovata, nunc et semper immortalitate vivificae Christi carnis fruetur. Ac quum corporis integritas non sit nobis in hac vita quaerenda, quinimmo, ut P a u l u s A p o s t o l u s docet (27), corruptendum potius corpus et quod exterior homo appellatur, si modo spiritus et anima ex quibus constat homo interior, propriis suis bonis exornandus est, locus dubitationis non relinquatur de futura corporis integritate Jacobum intellexisse, quam participes sanctorum mysteriorum, Christoque per ea corporaliter coniuncti adepturi sunt.

f. 281

Pauli locus in epistola ad *Thessalonicenses* cap. 5 (28) exponitur: « *Ut integer spiritus vester et anima et corpus sine querela in adventu filii Dei* ». Quia allatus Pauli locus insignis habetur et ad percipiendam iustitiae ac salutis nostrae rationem valde confert, non erit inutile huius loci sensum diligentius perscrutari. Nam ad intelligendam

(24) *Liturgia Jacobi, ut supra, p. 221.*(25) *I Thess. 5, 23.*(26) *Supra, p. 334.*(27) *I Cor. 15, 53.*(28) *I Thess. 5, 23.*

f. 282^r felicitatem, cognitio substantiae quae sede ipsius felicitatis esse debet, eximiis philosophis necessaria via est. Nullius enim accidentis natura exacte intelligitur, non perspecta natura subiecti cui immititur. Cum igitur Paulus hoc loco explicare voluerit, quid vocaverit sanctificationem nostram, subdidit *ut integer spiritus et anima et corpus servaretur in adventu Domini nostri Jesu Christi*. Quid corporis nomine intellexerit perspicuum est; quae etiam ipsius integritas futura sit, dotes a Paulo memoratae ostendunt. Quid vero * animae et spiritus nomine significetur perspicimus, atque primo tam animae quam spiritus significationes recenseantur. Deinde quid inter spiritum et animam differentiae et quid utrumque sit paucis exponatur.

Spiritus igitur Latinis, רוח Hebraeis, πνεῦμα Graecis, prima sua significatione auram vel ventum significat, quamvis aura vel ventus apud Latinos pro spiritu humano numquam quod meminerim ponatur, quemadmodum neque hebraea aut graeca illi synonyma pro anima seu mente vel aliqua eius affectione numquam accipitur. Ipsa vero spiritus vox, sive *Ruach* hebraice et πνεῦμα graece methaphoras aliquot admittit. Nam praeter primam illam significationem pro elemento quoque aëris accipitur, saltem iuxta Hebraeorum interpretationem qui locum illum ⁽²⁹⁾: «*Et Spiritus Domini ferebatur super aquas*», de aëre accipiunt universam terram atque aquam ambiente. Tertio accipitur spiritus pro anima, qua ratione vitam largitur corpori, ut ⁽³⁰⁾: «*Mortua sunt in quibus inerat spiritus vitae*». Quarto pro anima rationali, ut ⁽³¹⁾: «*Spiritus redeat ad Deum qui dedit illum*». Quinto significat quamcumque naturam incorpoream, ut ⁽³²⁾: «*Spiritus est Deus*». Et ⁽³³⁾: «*Omnes sunt administratorii spiritus*». Et ⁽³⁴⁾: «*Spiritus carnem et ossa non habent*». Sexto mentem significat seu partem hominis intellectualem, ut ⁽³⁵⁾: «*Nemo novit ea quae sunt hominis nisi spiritus hominis qui est in homine*». Et ⁽³⁶⁾: «*Mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus*». Septimo transfertur etiam ad effectus et voluntatem ipsius animae ut ⁽³⁷⁾: «*Totum spiritum suum profert stultus*». Et ⁽³⁸⁾: «*Requiescere fecerat spiritum meum in terra Aquilonis*». Postremo frequentissimus est in Sacris * Litteris huius vocabuli usus pro dono quodam divino

⁽²⁹⁾ Gen. 1, 2.

⁽³⁰⁾ Gen. 7, 21-22.

⁽³¹⁾ Eccl. 12, 7.

⁽³²⁾ Jo. 4, 24.

⁽³³⁾ Hebr. 1, 14.

⁽³⁴⁾ Lc. 24, 39.

⁽³⁵⁾ 1 Cor. 2, 11.

⁽³⁶⁾ 2 Cor. 7, 11.

⁽³⁷⁾ Prov. 29, 11.

⁽³⁸⁾ Zach. 6, 8.

quo vel mentem nostram Dominus per Spiritum Sanctum illustrat, ac admirabili docet ignota vel voluntatem accendit ut vere Deum possit amare.

Anima quoque variis in Scriptura modis accipitur. Prima et notissima significatio eius est quum pro ea parte accipitur ex qua simul et corpore homo constituitur. Transfertur, ab affectu ad vitam ipsam quam corpori largitur ut ⁽³⁹⁾: «*Ipsi vero perdere quaerunt animam meam*». Tertio accipitur pro anima rationali ut ⁽⁴⁰⁾: «*Animam non possunt occidere*». Ponitur etiam aliquando loco totius cuius ipsa pars est ut ⁽⁴¹⁾: «*Da mihi animas*». Et ⁽⁴²⁾: «*Erant omnes animae eorum qui egressi sunt de femore Jacob septuaginta*». Interdum e contrario accipitur pro parte ipsius animae vel pro intellectiva parte, ut ⁽⁴³⁾: «*Lauda anima mea Dominum*». Vel quod in Scripturis est frequentissimum pro voluntate atque effectibus, sive pro parte animae inferiore, iuxta quam significationem animam odisse, sitire, navigare, concupiscere, abominari atque alia huiusmodi frequentissime legimus ⁽⁴⁴⁾.

Habemus ergo potissimas harum dictionum significationes, ex quibus hoc colligere possumus, plerasque earum utrique vocabulo, nonnullas autem alteri dumtaxat eorum convenire. Nam et pars illa quae corpus animat et voluntas atque effectus eius et facultas rationalis et intellectus promiscue vel anima vel spiritus appellari possunt. Quamvis postrema haec significatio spiritui magis sit propria, atque ea de causa duò haec nomina in eadem significatione non raro coniunguntur ut ⁽⁴⁵⁾: «*Laudate spiritus * et animae iustorum Dominum*», et ⁽⁴⁶⁾: «*Magnificat anima mea Dominum, et exultavit spiritus meus*». Possumus etiam et hoc colligere, spiritus nomen latius patere quam animae. Numquam enim in Scripturis anima vel pro aëre vel pro vento vel pro donis Spiritus Sancti vel pro natura incorporea a corpore seiuncta, nisi ea ratione qua coniuncta fuit accipitur. Atque ea de causa quamvis anima Dei in Scripturis legamus, tamen Deum vel angelum esse animam nusquam reperiri existimo. Animae autem appellationes omnes possunt convenire spiritui, ea excepta qua totum aliquando hominem animam Scriptura vocat. Caeterum licet ex his locis aliquod inter utramque vocem discrimen notare valeamus, non possumus tamen hic facile definire si quando haec nomina simul re-

⁽³⁹⁾ Jer. 11, 21 cf. 38, 16; 3 Reg. 19, 10.14.

⁽⁴⁰⁾ Mt. 10, 28.

⁽⁴¹⁾ Gen. 14, 21.

⁽⁴²⁾ Exod. 1, 5.

⁽⁴³⁾ Ps. 145, 2.

⁽⁴⁴⁾ Cf. Ps. 41, 2-3; 62, 2; 118, 20; Prov. 27, 7.

⁽⁴⁵⁾ Dan. 3, 86.

⁽⁴⁶⁾ Lc. 1, 46.

periantur, et tamen pateat ea non accipi pro eodem, quid eo casu discriminis inter spiritum et animam statuendum esse videatur. Proinde diligenter notandi sunt illi loci in quibus, sicuti dixi, haec nomina in diversa significatione coniunguntur. Primus autem locus occurrit Apostoli Pauli in quo spiritus nomen distinguitur a mente ⁽⁴⁷⁾: « *Orabo spiritu, orabo et mente. Spiritus meus orat mens mea sine fructu est* ». Videtur autem eo loco Apostolus spiritum appellasse partem animae cognoscentem divino quodam afflatu concitatam, adeo ut homo illo veluti oestro agitato, neque res eas quas intuetur intelligere, nec verba quae sonat considerare queat. Mentem autem vocavit eam ipsam animae partem huiusmodi furore liberam. Eam vero quamdiu hoc modo possideretur a divino spiritu sine fructu esse scribit, quia homo eo ipso tempore nihil intelligit quantumvis * summa quaedam mysteria mens ipsa contempleretur. Secundus locus in eadem epistola est ubi scribit ⁽⁴⁸⁾: « *Primum hominem Adam factum esse in animam viventem; secundum nempe Christum in spiritum vivificantem* ». Quem locum si diligenter intueamur, videbimus satis nobis perspicuum discrimen tradi spiritus et animae. Per Adam inquit, propagatur in nos anima vivens, idest vitam corpori largiens, non semetipsam per caritatem vivam in conspectu Dei exhibere, non ipsam corpus perpetuo vivum conservare valens. Per secundum Adam accipimus spiritum vivificantem, idest Spiritum Sanctum, et ipsi quoque animae vitam spiritualem tribuentem et corporibus quoque resurgentibus vitam perpetuam praestantem. Ex qua quidem interpretatione apparet animam viventem eo loco omnem nostram naturam, actiones et cogitationes absque Spiritu Sancto, spiritum vivificantem significare quidquid in nobis instauratum est per gratiam.

Tertius locus ex eodem est Apostolo ⁽⁴⁹⁾: « *Sermo Dei vivus est et efficax pertingens usque ad divisionem animae et spiritus* ». In quo, iuxta omnium prope interpretationem, spiritus intellectum significat, anima vires inferiores, ac docet Paulus verbum Dei sive Deum ipsum etiam intimos mentis et appetitus effectus cognoscere.

Quartus locus haec duo nomina coniungens, hic est quem habemus in manibus, in quo iubet Apostolus ut integer noster spiritus et anima reperiri in Christi adventu. Videndum ergo est quale sit hoc loco discrimen animae et spiritus. Primo quidem * dicere non possumus in eadem posita significatione spiritus et animae nomina. Neque enim interpretum aliquis hoc modo Paulum explicat. Dein non quadrat haec expositio verbis Apostoli qui perfectam illam sanctificationem explicans, tres continuo partes nominat, quas integras et

⁽⁴⁷⁾ 1 Cor. 14, 14-15.

⁽⁴⁸⁾ 1 Cor. 15, 45.

⁽⁴⁹⁾ Hebr. 4, 12.

sanctas conservari desiderat. Cum autem tres sint a nobis ex illis locis in quibus haec nomina tamquam diversa copulantur inventae spiritus et animae differentiae, non absurde videbimur inquirere praesentis loci veritatem, si excutiamus utrum aliqua ex memoratis differentis huius quoque loco conveniat, an aliam insuper adiciere cogamur. Prima ergo expositio sit ut eiusmodi ponatur hoc loco inter spiritum et animam differentia, qualem primo attulimus, ut spiritus videlicet sit anima nostra, divino illo afflatu correpta. Sed cum haec interpretatio tum alias ob causas nullo modo tolerabilis est, tum quia huiusmodi dona non pertinent ad omnes. Secunda expositio sit ut eadem intelligatur hic animae spiritusque distinctio quae ex Pauli demonstrata est animae viventis ac spiritus vivificantis; ac spiritus quidem sit ipsa gratia Spiritus Sancti in nobis habitans, anima vero natura sine gratia. Approbatur haec interpretatio a quibusdam ex Patribus et nititur etiam hac ratione quod nullus sit in Scripturis frequentius usus horum vocabulorum quam in hac significatione, quodque idem Apostolus in hoc capite spiritus nomen in ea significatione acceperit quum ait ⁽⁵⁰⁾: « Spiritum nolite extinguere ». Quamvis autem probabilis videatur haec interpretatio, meo tamen iudicio duobus satis efficacibus argumentis refelli potest. Primum aperte videmus Apostolum nominare * voluisse partes humanae naturae quae castae et integrae conservari debent in iudicis adventum, ac illis nominatis partibus superiorem explicasse sententiam in qua precabatur Thessalonicenses per omnia sanctificari. Iamvero dona illa spiritus, fides, spes, caritas, et si qua sunt alia, non partes sunt quae debent ornari, sed ea potius quorum beneficio homines integri ac inculpati habentur.

f. 284'

Secundo largiamur illis Paulum improprie loquutum ac interpretum integrum conservari spiritum pro eo quod est, gratiam a Domino profluentem perpetuo servari incolumem, quo pacto tandem intelligemus integritatem animae si animam hoc loco accipimus pro ea parte quae non est renovata Spiritu Sancto? Certum est *carnem et sanguinem regnum Dei non possidere* ⁽⁵¹⁾; certum est hominem *non renatum ex spiritu et aqua non ingressurum in regnum coelorum* ⁽⁵²⁾. Quare cum anima quoque iubeatur integra sisti in adventum Domini si spiritus significet dona divina, animam certe necesse est intelligamus gratia divina destitutam, quare nulla ratione poterit esse integra. Postremo ne hoc quidem contemnendum est quod spiritus hoc loco noster vocatur, cum plerumque divina dona vel Spiritus Sancti vel Spiritus Dei nomine censeantur. Sequitur ergo hanc quoque interpretationem non esse veram, quae propterea non est admittenda quod alio loco Scrip-

⁽⁵⁰⁾ 1 Thess. 5, 19.⁽⁵¹⁾ 1 Cor. 15, 50.⁽⁵²⁾ Jo. 3, 5.

f. 285^r tura huiusmodi spiritus et animae discrimen tradit. Nam ibi manifeste intelligamus fieri mentionem de anima non integra sed qualis nobis contingit culpa primi parentis. Neque etiam propterea quia frequentius reperitur spiritus nomen in hac significatione. Neque enim hoc perpetuum est ut ostendimus * et hoc loco ita non posse accipi ratio convincit. Reiecta ergo hac quoque interpretatione, illa relinquatur ceteris anteposenda quae magnos quoque habet ex Patribus auctores, quae iuxta discrimen superius a nobis ex quarto capite ad Hebraeos allatum animam pro appetitu accipit, spiritum pro intellectu, ut eadem hic divisio partium humanae naturae quae est apud philosophos et eadem partes statuuntur virtutis capaces quae habentur apud Aristotelem quamvis intelligenda natura harum partium et in ratione per quam suis ornamentis expoliantur magna sit inter nos et philosophos, ut paulo post intelligetur, differentia. Spiritus igitur hoc loco significat partem animae intelligendi facultate praeditam. Anima vero facultatem appetendi, hoc est voluntatem et reliquos effectus inferiores.

Possemus quoque dicere spiritum significare partem animae rationalem, quae complectitur mentem et voluntatem, animam vero eas partes in quibus et ira et cupiditas existunt. Sed quia haec interpretatio nihil differt a proxima et quia meo iudicio rectius intelliguntur ornamenta hominis si dividamus animae nostrae partes, mentem videlicet et appetitum optat Apostolus servari integras, hoc est optat eas reperiri spiritus donis exornatas, ut videlicet in intellectu fides, in voluntate caritas reperiat, ut reliquae partes quoad eius fieri potest non reluctantur superioribus. Haec autem interpretatio alia ratione spiritus dona connumerat quam superior. Nec enim spiritum hoc loco dona ipsius spiritus esse volumus, sed spiritum, mentem, animam autem voluntatem, integritatem, aut id esse quod aliis locis spiritum Scriptura vocat. Atque haec quidem interpretatio praeterquam * quod utilis est, nihil habet absurdi. Nam et spiritus nomen, ut ostendimus, non raro accipitur in hac significatione, et frequentissimum est animam pro voluntate ac reliquis effectibus usurpari et aequum est posse nos etiam ex Scripturis demonstrare animae partium divisionem, nec esse eas nobis a philosophis mutuo accipiendas ut intelligamus quae partes, quibus virtutibus, et quomodo sint perficiendae.

f. 285^v

Sed de his satis. Quae eo libentius hic a nobis inserta sunt, quod S. JACOBUS iisdem verbis in sua *Liturgia* ⁽⁵³⁾ usum esse constat, et cum Paulus in sanctificatione nostra corpus quoque integrum esse debere asserat, integritatem corporis nunquam adipiscemur nisi eam

(53) *Ut supra*, p. 334.

geramus integritatis spiritus ac animae curam ut in adventu Christi corpus nostrum insigniatur his dotibus, quibus insignientur qui una caro cum ipso effecti expectabunt adventum Domini nostri Jesu Christi, qui reformabit corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae⁽⁵⁴⁾ secundum operationem virtutis suae, qua etiam possit subiicere sibi omnia.

CAPUT V.

Quarta probatio.

Concilii Nicaeni auctoritate ac apostolica traditione constablitur.

Porro Eucharistiam digne a nobis sumptam corpusque Christi nobis corporaliter unitum carnem nostram ad resurrectionem et vitam aeternam praeparare ex Nicaena Synodo manifestum est cuius ipsa verba sequuntur (1): 'Επι τῆς θείας τραπέζης πάλιν κἀνταῦθα μὴ τῷ προκειμένῳ ἄρτω καὶ τῷ ποτηρίῳ ταπεινῶς προσέχωμεν. Ἄλλ' ὑψώσαντες ἡμῶν τὴν διάνοιαν πίστει νοήσωμεν κείσθαι ἐπὶ τῆς ἱεράς ἐκείνης τραπέζης τὸν ἀμνὸν τοῦ Θεοῦ, τὸν αἴροντα τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου, ἀθύτως ὑπὸ τῶν ἱερέων θυόμενον. Καὶ τὸ τίμιον αὐτοῦ σῶμα καὶ αἷμα ἀληθῶς λαμβάνοντας ἡμᾶς, πιστεύειν ταῦτα εἶναι τὰ τῆς ἡμετέρας ἀναστάσεως σύμβολα. Διὰ τοῦτο γάρ οὔτε πολὺ λαμβάνομεν, ἀλλ' ἄλλογον, ἵνα γινώμεν ὅτι οὐκ εἰς πλησμονὴν ἀλλ' εἰς ἀγιασμόν.' »

Hoc est: « Iterum etiam hic in divina mensa ne humiliter intenti simus ad propositum panem et poculum, sed attollentes mentem, fide intelligamus situm in sacra illa mensa, Agnum illum Dei tollentem peccata mundi, incruente a sacerdotibus immolatum, et pretiosum ipsius corpus et sanguinem nos vere sumentes, credere haec esse nostrae resurrectionis symbola; propter hoc enim nec multum accipimus sed parum, ut sciamus quod non satietati sed sanctimoniae sumimus». His Concilii Nicaeni verbis universae Sacramentariorum rationes evertuntur quum dicitur in sacra illa mensa esse Agnum illum Dei tollentem peccata mundi incruente a sacerdotibus immolatum et nos pretiosum ipsius corpus et sanguinem vere sumere, ac nostra ratio manifeste corroboratur quum subiicitur debere nos credere haec esse nostrae resurrectionis symbola. Quomodo enim non resurget corpus hoc nostrum, ut inquit Episcopus Dunelmensis (2) ex hoc

(54) Philip. 3, 21.

(1) Sunt verba GELASII CYZICENI (saec. V), *Historia Ecclesiastica*, l. 2, c. 30; PG. 85, 1317.

(2) Scilicet CUTHEBERTUS TONSTALLUS, *De veritate corporis et sanguinis Domini*, Lutetiae 1554, p. 40 A-B.

f. 286^r ipso loco arguens Oecolampadium contententem omnia constare fide in Christum passum, non fide qua humiliter sentimus in pane corpus Christi latere, ut verbis Oecolampadii utar, quomodo inquam non resurget corpus * hoc nostrum quod vita pastum e mundo exiens vitam secum affert, quam nimirum vitam, ipsum scilicet corpus et sanguinem Christi positi in sacra mensa ut tollentis peccata mundi, in Sacramento vere sumimus? Nam Christum passum credunt etiam qui Sacramentum non recipiunt. Quid opus est enim, inquiunt, Sacramento, si fides in Christum passum sufficit et nihil in Sacramento latens est? Itaque spiritualis sola manducatio sine corporali spiritum iuvare potest. At vero nostrum hoc terrestre corpus et corporali manducatione et spirituali simul alendum est ut in vitam resurgat idque concilium apertissime docet; quod et Gregorius Nysenus, cuius verba paulo post subiiciemus ⁽³⁾, in oratione de perfecti christiani forma scribit. Sed ad ipsa Nicenae Synodi verba redeamus, quae subdola interpretatione ab Oecolampadio latine versa sunt, ut ea a vero sensu in suam insaniam detorqueret, atque graece linguae imperitis facile imponeret (ut idem Episcopus Dunelmensis recte animadvertit perspicuens verba illa graeca ἀθύτως ὑπό τῶν ἱερέων θυόμενον ab Oecolampadio versa: Qui non victimarum more a sacerdotibus sacrificatur. Qua versione de particula illa privativa in adverbio ἀθύτως, quod incruente, hoc est absque mactatione, absque cruore significat negationem faciens atque ad sacrificium referens id quod Concilium confirmat mira vafrutiae negare molitur quasi nullum sit sacrificium in Eucharistia, cum tamen Concilium aperte testetur post semel in cruce peractam, unica oblatione cruenta, aeternam redemptionem nunc usque ad secundum adventum sacrificium vivificum Novi Testamenti in Eucharistia incruentum superesse; in quo praesens adest ipse Christus iam non amplius * moriens nostram gratiarum actionem Patri offerens nosque sua membra agnoscens. Quod sane sacrificium frequentantes filii Dei et Christi cohaeredes effici-mur, et eius gratia cognatione nexu participamus. Sed valeat Oecolampadius qui Satanae membrum a Christoque prorsus seiunctum neque eius cohaeres neque membrum capiti Christo coniunctum aeternis ignis suppliciis cum ipso Satana semper torquebitur.

f. 287^r Nicaenae Synodo apostolica traditio Ecclesiaeque auctoritas consentit. Nam in ipso Missae sacrificio non solum mortis Domini sed etiam resurrectionis et in coelum ascensionis meminit. Peracta enim corporis et sanguinis consecratione sacerdos inquit ⁽⁴⁾: « Unde et memores Domine nos servi tui, sed et plebs tua sancta eiusdem Christi Fi-

⁽³⁾ Sed infra nihil recitat, cf. p. 381. Vide potius supra, p. 65.

⁽⁴⁾ Canon Missae Romanae.

huius tui Domini nostri tam beatæ passionis, nec non et ab inferis resurrectionis, sed in coelos gloriosæ ascensionis etc.», neque capitis Christi passionis resurrectionis et ascensionis memoriam fieri arbitremur quin membrorum etiam capiti ipsi coniunctorum, passio, resurrectio et ascensio commemoretur. Eadem enim est capitis et membrorum natura et ratio. Nam quemadmodum mors Christi depositio fuit carnis infirmitatis in qua erat similitudo peccati, ita qui per baptismum ipsi Christo consepelitur, consequimur remissionem peccatorum. Extincta enim in Christi morte carnis infirmitate quæ ex peccato provenit, peccatum ipsum in Christi membris extinctum etiam est. Et quemadmodum Christus resurgens novam gloriam adeptus est, ita etiam nos peccati vinculis exsoluti, ac per Christum Patri reconciliati novam vitam immortalem et incorruptibilem adipiscimur. Unde Paulus scribit ⁽⁵⁾: « *Traditus est propter delicta nostra et resurrexit propter iustificationem nostram* ». Dum Paulus peccatorum remissionem morti Christi * attribuit, iustificationem nostram eius resurrectioni haud difformem effectum a causa ostendit. Nam ut mors Christi causa resurrectionis eius fuit, ita remissio peccatorum causa nostræ iustificationis et resurrectionis est. Ut vero effectus causam consequitur, quantum Eucharistiæ perceptio coniunctioque corporalis per eam cum Christo prosit Nicaena Synodus et ecclesiastica traditio satis nos docent. In hoc enim Sacramento dum memoriam passionis Christi celebramus, non solum cum ipso spiritu menteque ut in baptismo consepelimur, sed corpore etiam quodammodo commorimur dum adversus omnem per sensus cognitionem credimus sub speciebus panis et vini verum Christi corpus latere, nosque vere ipsum sumentes, corporaliter illi connecti, membraque effici capiti ipsi coaptata et contemptata. A quo tanto maiorem vim ac virtutem ad vitam æternam et gloriam haurimus quanto maiore unione ipsi coniungimur.

Quam ob rem non nisi magna ratione in ipso Eucharistiæ mysterio resurrectionis mentio fit, quæ quidem mentio ab ipsis Apostolis fieri coepit ut ex Sancti Jacobi Liturgia constat ⁽⁶⁾. Nam dictis verbis illis: *Hic est sanguis meus novi testamenti qui pro vobis et pro multis effunditur et datur in remissionem peccatorum*, responso a populo *Amen*, sacerdos subdit: *Hoc facite in meam commemorationem. Quotiescumque enim comederitis panem hunc et hunc calicem biberitis, mortem Filii hominis annuntiatis et resurrectionem eius confitemini donec veniat*. Sacerdoti respondet diaconus: *Credimus et confitemur*. Populus vero: *Mortem tuam Do-*

⁽⁵⁾ Rom. 4, 25.

⁽⁶⁾ *Liturgia S. Jacobi*; ed. BRIGHTMAN, *Liturgies Eastern and Western*, Oxford 1896, v. I, p. 176, n. 20-35, p. 178, n. 1-10.

f. 288^r mine annuntiamus et resurrectionem confitemur. Ob hanc Christi mortem et resurrectionem sacerdos deinde precatur: Ut nobis Dominus deleto chirographo illo * quod contra nos erat, largiatur coelestia et aeterna dona quae oculus non vidit nec auris audivit et in cor hominis non ascendit quae praeparavit Dominus diligentibus eum. Qui, obsecro, magis diliguntur quam qui per Eucharistiam digne sumptam ei uniuntur? Eucharistia enim caritatis et unitatis sacramentum est.

A Jacobo Basilium Magnum accepisse credimus eadem verba quibus in sua Liturgia is utitur. Inquit enim (7): «*Hoc facite in meam commemoratione.* Quoties enim comeditis panem et calicem istum bibetis meam mortem annunciat, meam resurrectionem confitemini». Ex his Basilii Jacobique Apostoli verbis intelligitur quare Joannes Damascenus verba Pauli referens, «et resurrectionem eius confitemini» addiderit. Inquit enim Damascenus (8): «*Similiter accipiens calicem ex vino et aqua tradidit illis dicens: Bibite ex hoc omnes; hic est sanguis meus novi testamenti qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum, hoc facite in meam commemorationem. Quotiescumque enim manducabitis panem hunc et calicem hunc bibetis, mortem filii hominis annuntiat et resurrectionem eius confitemini donec veniat*». Haec resurrectionis confessio in ipsis Pauli exemplaribus quae hucusque in manus nostras pervenerunt non habetur. Remanet igitur quarta ratio qua haec vis ac virtus nobis ex hac cum Christo naturali per Eucharistiam conjunctione ad vitam aeternam praestari asseritur Nicenae Synodi apostolica ecclesiasticaque traditione abunde comprobata. Superest obiectionibus in initio huius libri propositis satisfacere.

CAPUT VI.

Responsio ad primam obiectionem.

f. 288^v Prima obiectio tantum concludit universalem bonorum et malorum * resurrectionem quam et nos fatemur. Miseria enim et damnatio animae bonum naturae non excludit a corpore, quemadmodum beatitudo animae ad corpora etiam derivatur. Erunt enim corpora damnatorum post resurrectionem integra quoad naturam, privata ta-

(7) *Liturgia S. Basilii*; ed BRICHTMAN, *Liturgies Eastern*, Oxford 1896, v. I, p. 328, n. 15-20.

(8) *De fide orthodoxa*, l. 4, c. 13; PG. 94, 1139.

men dotibus illis quae beatitudinem animae consequuntur, quoniam poena et aeterna est et eorum tamen corpora incorruptibilia erunt. Nam quum coelum moveri desinet, omnis etiam naturae mutatio cessabit, ac quamvis damnatorum corpora ab ignis vi corripiantur, a natura vel qualitate ignis mutationi non erunt obnoxia. Sentient enim ipsius qualitatum vim secundum substantiam ipsius, non secundum naturam qualitatis; quemadmodum pupilla oculi quae non recipit ita coloris formam ut eius ea sit coloris quem recipit, sed ut colorem sentiat. Spirituális haec receptio formarum, licet afflictionem inferat corpori eo quod adversatur harmoniae qua sensus consistit et delectatur, naturam tamen eius non transmutat nisi forte ex accidente. Praeterea quamvis immortalis animae natura perpetuum exigit corpus cuius forma est, propter ipsius animae imperfectionem aeternis supplicii corpus etiam in perpetuum infernali igne adstrictum eo modo quo spiritualis substantia alicui corpori alligari potest vexabitur, ut theologi in sententiis suis docent. Ab his omnibus beatorum Christoque unitorum corpora longe aberunt. Siquidem, secundum Paulum ⁽¹⁾, « *seminatur in corruptione et resurget in incorruptione; seminatur in ignobilitate, surget in gloria; seminatur in infirmitate, surget in virtute; seminatur corpus animale, surget corpus spirituale* ». Quam ob rem cum impiorum resurrectio ad aeternam sit poenam, interitus quidam * perpetuus existimanda est potius quam vita. Unde f. 289 vates ille regis ⁽²⁾: « *Non sic impii, non sic, sed tamquam pulvis quem proicit ventus a facie terrae. Ideo non resurgunt impii in iudicio neque peccatores in concilio iustorum* ». Denique cum immortalitas et incorruptio quam cum Christo unitas praestat non sit naturae incorruptio sed gloriae et beatitudinis adeptio prima obiectio soluta remanet.

At vero quoniam ab ipso Cyrillo in Joannem haec eadem difficultas diluta est, Cyrilli verba subdantur ⁽³⁾. « Sed obiiciet, inquit, fortasse quispiam ad dormientium excusationem mentis oculum dirigens. Nonne qui Christi etiam fidei non susceperunt ac ipsius corporis participes facti non sunt, resurrectionis tempore reviscent? Nonne universum genus humanum quod in mortem cecidit ad vitam resurget? Omnino ita futurum respondebimus. Resurgent enim mortui, Propheta ⁽⁴⁾ dixit, et ad omnem naturam humanam resurrectionis Christi mysterium pervenire credimus, et in ipsum primum totum humanum genus ab interitu liberatum dicimus. Omnes enim

(1) I Cor. 15, 42-44.

(2) Ps. 1, 4.

(3) In Jo. 1, 4, c. 1; PG. 73, 567.

(4) Ez. 37, 4.

resurgent propter eum qui primum resurrexit, et omnes, ut homo, in se ipso continebat. Et sicut in primo homine omnes mortui sumus, sic rursus in eo qui Primogenitus propter nos mortuus est, omnes reviviscent. *Sed qui bona fecerunt in resurrectionem vitae*, ut scribitur ⁽⁵⁾, *qui vero mala egerunt in resurrectionem iudicii*. Morte autem ipsa ego puto acerbius ad cruciatus aeternos resurgere. Vitam igitur proprie illam quae in Christo est intelligere debemus quae beatitudine continetur aeterna; quam Evangelista recte cognovit dicens ⁽⁶⁾: *Qui credit in Filium habet vitam aeternam, qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manebit super ipsum*. Ecce nunc apertissime non * visuros vitam incredulos affirmat quamvis per resurrectionem omnes revivemus. Quare patet praeparatam sanctis gloriosissimam vitam, sic a Salvatore appellatam fuisse, ad quam per participationem vivificantis carnis, et spiritus pariter certe pervenimus ».

CAPUT VII.

Responsio ad secundam obiectionem.

Secunda obiectio non evincit virtutem nostrae cum Christo coniunctionis non profluere in corpus, sed tantum per animam transmitti in ipsum corpus quod et nos fatemur. Sed num ideo corpus non sanctificabitur hac sanctificatione quae provenit ex ea cum Christo participatione, quia per animam in corpus transmittatur? Minime certe. Nempe iis qui adhuc vivunt cum corpore, datur quidem donum per corpus, sed primum pervadit in animae substantiam et per animam in corpus transit. Hoc Paulus significavit inquiring ⁽¹⁾: « *Qui adhaeret Deo unus spiritus est cum eo* ». Nimirum quod in anima primo et principaliter haec unio et coniunctio consistat. Illic enim proprie Dominus, illic etiam sanctificatio quae proficiscitur ex virtutibus et humano studio et illud quod peccat, ut Nicolaus Cabasila scribit ⁽²⁾. Corpori autem omnia fiunt ex anima, et quemadmodum a malis cogitationibus quae ex corde exeunt inquinatur, ita etiam illinc est ei sanctificatio sicut a virtute, ita etiam quae a Sacramentis. Nonnulli autem etiam morbi corporales eveniunt, quorum causa fuit animae improbitas. Volens

⁽⁵⁾ Mt. 25, 46.⁽⁶⁾ Jo. 3, 36.⁽¹⁾ I Cor. 6, 17.⁽²⁾ Liturgiae expositio, c. 43; PG. 150, 459.

autem hoc significare Salvator in liberanda a morbo anima, quod est eam liberare a peccatis, a corpore iniquitatem depulit ». Paulus quoque Apostolus indigne sumentes corpus Domini iudicium sibi manducare asserit ⁽³⁾: « *Ideo inter vos, inquit * multi infirmi et imbecilles et dormiunt multi* ». Haec corporis manifesta sunt damna quae ab ipsa anima non dijudicante corpus Domini, ut digne percipiat in corpus ipsum emanat. Corpus ergo quod per animam sanctificatur, non secus sanctificationis ipsius particeps erit ac infirmitatem et imbecillitatem participat, quod animae vitio indigne Eucharistiam manducat. Quod vero Paulus dicit propter inhabitantem Christi spiritum in nobis vivificanda mortalia corpora nostra, id ipsum est quod et nos modo diximus per spiritum scilicet vim ac virtutem omnem in corpus pervadere. Nam nisi spiritualiter Deo uniamur, parum nobis manducatio sacramentalis proderit, quemadmodum parum prodest cibus in os hominis defuncti immissus. Unio enim spiritualis vita animae est, sine qua cibus hic nihil iuvare potest, cum ea tamen prodest multum ipsi corpori corporaliter nimirum in eo manens quemadmodum etiam communis cibus viventis hominis corpus alit atque nutrit.

CAPUT VIII.

Responsio ad tertiam objectionem.

Non inficiamur causam destructionis mortis nostrae tam spiritualis quam corporalis mortem Christi fuisse. Verum ut in naturalibus rebus singularis quidam applicatio universalis causae necessaria est ad unumquemque effectum, ita et in spiritualibus Sacramenta quaedam a Deo hominibus exhibita esse diximus, ut media per quae beneficium mortis Christi quae velut universalis causa humanae salutis est, ipsis applicetur ⁽⁴⁾. Instrumenta mediaque nimirum humanae conditionis aptissima sub signis * sensibilibus insensibilem conferentia gratiam. Si quidem homo ad spiritualium et intelligibilium cognitionem per sensibilia ducitur. Inter quae omnia nullum certe est Verbo Incarnato, quod prima et universalis humanae salutis causa est, conformius quam Eucharistia, in qua sub speciebus panis et vini verum Christi corpus pretiosusque eius sanguis continetur, vereque ac corporaliter nobis

⁽³⁾ I Cor. 11, 30.⁽⁴⁾ Cf. S. THOMAS, S. Th. 3, q. 49, a. 1, ad 4; Gen. 4, 55-56; S. Th. 1, 2, q. 108, a. 1.

coniungitur ad animae corporisque nostri salutem spiritualem conservandam, aeternamque vitam adipiscendam: in quo Verbum Dei animas, ut saepe antea diximus auctore Augustino ⁽²⁾ super Joannem, resuscitat, sed Verbum caro factum resuscitat corpora. Quamvis enim animam vivificare solius Dei est quia necesse est omne operans aliquomodo coniungi rei circa quam operatur, caro Christi in hoc Sacramento contenta, quia divinitatis instrumentum coniunctum est, a quo in animam et corpus omnis gratia et sanctificatio emanat, Sacramenta vero alia separatoria quaedam instrumenta sunt per quae divina virtus fideles sibi coniungit in eosque dona sua infundit, proximus ac quodam modo naturale instrumentum est ipsum Christi corpus quod in Eucharistia continetur, ac non voluntate solum sed ipsa Christi carne quae vivificatrix est egregiam nostram salutem resurrectionemque intimiori constrictiorique sui nobiscum coniunctione operatur. Haec igitur cum se ita habeant, Sacramenta passioni Christi nihil detrahunt. Siquidem ab ipsa vim omnem ac virtutem ad dimittenda peccata et ad vitam aeternam consequendam accipiunt. Sunt tamen necessaria tamquam instrumenta ad effectum ipsius Christi mortis nobis conferendum. Inter haec autem instrumenta Eucharistiae sacramentum * tanquam coniunctum et humanum organum, ut antea toties disseruimus, non tantum gratiam confert sed ipsius gratiae origo et fons, hoc est Christus, vere et naturaliter in eo continetur, a quo reliqua Sacramenta virtutem ac perficiendi vim accipiunt, nobisque ipsum sumentibus naturaliter unitur ⁽³⁾. Quae quidem unio non potest non magnam vim atque virtutem ad animarum corporumque renovationem et immortalitatem nobis in vitam aeternam conferre, quandoquidem ex illo divino flatu quo Deus primum animam in hominem infudit, omnis humana anima ad imaginem Dei facta immortalitatem ab ipso Deo, Cyrillo teste ⁽⁴⁾, accepit. Unde immortalitas etiam corporis subsequuta est, ut formae immortalis ac cui naturale est corpori esse unitum, non deesset subiectum immortale. Haec tamen naturalis corporis immortalitas, diversa admodum est ab immortalitate gloriae quam corpus humanum consequitur ob animae beatitudinem ipsi Deo per fidem ac dilectionem mente spirituque coniunctae ac divinae naturae consortis factae. Quare si corporaliter quoque capiti suo membrum corporis eius de carne eius et de ossibus eius per Eucharistiam uniat, quid dubii est quin alia quaedam eaque valde egregia potensque causa sit quae corpus nostrum ad vitam aeternam praeparet atque revocet, vimque ac virtutem illi inserat incredibilem ad resur-

⁽²⁾ *In Jo. tr.* 19, n. 15-16; PL. 35, 1550-1553.

⁽³⁾ Verborum textura sat laboriosa. Auctor ita fortasse suam propositionem extruere volebat: non tantum gratiam confert sed etiam ipsius gratiae originem et fontem, cum Christus vere et naturaliter in eo contineatur etc.

⁽⁴⁾ Cf. *In Jo.* l. 9, c. 1; PG. 74, 274-275.

rectionem? Certe quemadmodum ligno vitae voluntate divina vis inerat ad vindicanda a morte temporali corpora, si fructus eius homo etiam post peccatum véseretur ⁽⁵⁾, sic vivificum quoddam semen ad resurrectionem et gloriam ipsam mysticam benedictionem in nobis esse Cyrillus ⁽⁶⁾ Sanctique Patres testati sunt. * Salvatoris nimirum caro Verbo Dei quod naturaliter vita est coniuncta, vivifica facta est, quam cum comedimus vitam habemus illi coniuncti, vitam inquam, qualem Christus habet, immortalem scilicet tam animae quam corporis. Qua de causa, ut inquit Cyrillus ⁽⁷⁾, in exsuscitandis mortuis non solummodo verbo atque imperio ut Deus utebatur, sed etiam carnem suam quasi cooperatricem nonnunquam adhibebat, ut reipsa ostenderet carnem quoque suam quoniam sibi coniuncta est vivificam esse, ac fideles doceret suum non alterius corpus esse. Quod ad argumenti obiecti solutionem attinet hoc est: praeter mortem Christi resurrectionemque eius necessario a Deo instituta fuisse Sacramenta, per quae, tamquam per media quaedam, virtus et efficacia passionis Christi ad anumquemque nostrum perveniat, dupliciterque considerari oportere corporum resurrectionem. Primo naturae ad incorruptionem, deinde gratiae ad gloriam. Illo modo omnibus futura communem, hoc vero piis propriam. Duplici etiam ratione considerandam causam eius. Prima ob ipsius animae immortalitatis conditionem ex qua naturalis corporum resurrectio divina voluntate provenit. Secunda ob gloriam quam consequuntur Christo incorporati. Sed quoniam incorporatio duplex est, quaedam spiritualis tantum, quaedam spiritualis et naturalis corporalisque simul, utraque animas et corpora nostra ad vitam beatam et aeternam perducit, siquidem omnis gloria et resurrectio ex unione incorporationis cum Christo provenit. Haec vero coniunctio et incorporatio cuius virtute resurrectio fit, etiam ad gloriam et immortalitatem ex pia corporis * et sanguinis Christi sacramentali manducatione per quam membra eius intimius efficimur, unaque cum ipso caro non substantiae unitate sed secundum participationis habitudinem, adeo necessaria est ut spiritualis illa incorporatio, hac neglecta, modo facultas et opportunitas sacramentaliter Eucharistiam percipiendi suppetat, parum profutura sit, ut saepius dictum est, ac summa profecto cum ratione; quandoquidem haud est aequum negligentem Christo coniungi uniri que per verum ipsius corpus et sanguinem pie sumptum ea unione quae per remotius instrumentum plerumque etiam sine propria fide ac dilectione incorporatur quale est aquae in baptismo, ita omnimode ei incorporatum censi atque eum qui primum membrum eius factum, vera dein ipsius carne ac sanguine digne pastus ac potus ab omni parte cum eo reipsa unitur.

⁽⁵⁾ Cf. *Gen.* 3, 2-5.

⁽⁶⁾ *Supra*, p. 350.

⁽⁷⁾ *Supra*, p. 350.

CAPUT IX.

Responsio ad quartam obiectionem.

Antea de hac ipsa re verba fecimus et Sanctos Patres ac prophetas corpori Christi mystico insertos esse spiritualiter per fidem sicut et hi qui iam credunt absque sumptione corporali asseruimus, quos in vitam aeternam resurrecturos minime dubitamus. Mors enim et miseria omnis ab iis qui Christo quoque modo uniti ex hac vita discedunt longe abest. Ostendimus antea per fidem etiam Christo fideles uniri, ac Deum non esse alligatum Sacramentis diximus: nempe Dei benignitate citra Eucharistiam hi omnes resurgent, quemadmodum etiam citra baptismum resurgent qui baptizari non potuerunt, modo

f. 292^v eam * veram et vivam fidem habuerint, qualem *Ambrosius* ⁽¹⁾ de *Valentiniano* *Caesare* tradit qui *catechumenus* ab eo factus, morte praeveniebatur quominus haec Sacramenta perciperet. Quem, inquit, in Christo regeneratus eram amisi, ipse vero gratiam quam poposcit non amisit. Quamquam si quis non credat his Sacramentis aut non vehementer affectet, aut denique fidem tantum informem habuerit et discesserit absque Sacramentis hisce cum ea recipere neglexerit, haud dubie periturus est. Sed esto: veteres Patres atque prophetae absque hac corporali cum Christo coniunctione resurgent, dicemus ergo nullam vim atque virtutem ad resurrectionem vivificae Christi carni corporaliter nostrae coniunctae inesse quae nunc quidem participatur ut ipse voluit? Non hoc certe Sancti Patres maiores nostri censuerunt, quibus visum est necessariam hanc corporis Christi manducationem esse ad expurgandam omnem mortalitatis nostrae miseriam, modo facultas communicandi non desit, ut antea saepius dictum est, et ut in unum cum Christo corpus non spirituali tantum coniunctione sed naturali etiam unione cum ipso perfecte copulati sumus, quemadmodum *Athanasius* scribit ⁽²⁾, verba illa exponens: *Rogo ut et ipsi unum sint.* Subiicit enim: «Κατὰ τὸ ἐν ἐμοὶ σῶμα, καὶ κατὰ τὴν αὐτοῦ τελείωσιν ἵνα καὶ αὐτοὶ γένωνται τέλειοι, ἔχοντες πρὸς τοῦτο τὴν ἐνότητά καὶ εἰς αὐτὸ ἐν γεγόμενοι ἵνα ὡς ἂν πάντες φορεσθέντες παρ' ἐμοῦ, πάντες ὡσιν ἐν σῶμα καὶ ἐν πνεῦμα, καὶ εἰς ἄνδρα τέλειον κατανήσασιν. Οἱ γὰρ πάντες, ἐκ τοῦ αὐτοῦ μεταλαμβάνοντες ἐν γινόμεθα σῶμα τὸν ἕνα Κύριον ἔχοντες ἐν ἑαυτοῖς ».

f. 293^r * Hoc est: «Secundum rationem mei corporis et secundum eius perfectionem, ut et ipsi perfecti reddantur, habentes cum corpore meo unitatem et in eo unum facti ut tamquam a me gestati omnes unum

⁽¹⁾ *De obitu Valentiniani*, n. 51; PL. 16, 1435.⁽²⁾ *Oratio 3 contra Arianos*, n. 22; PG. 26, 370.

corpus fiant et unus spiritus, et in virum perfectum evadant. Omnes enim qui ex eodem accipimus, unum etiam corpus efficitur, unum Dominum in nobismet habentes ». Haec Athanasius. Qui in eodem libro, ut antea ostendimus ⁽³⁾, scripsit oportuisse carnem nostram non amplius mortalem esse, atque propter Verbi unionem incorruptibilem et immortalem permansisse. Nam ut illud unum Christi corpus, quae nostrae carnis sunt, imitatum est, sic et nos ipsum accipientes immortalitatis ipsius participes efficitur. « Ac, ut idem Athanasius ⁽⁴⁾ ait, recte humano instrumento Salvator noster usus est, et per omnia se explicuit. Postremo etiam illud sciendum lucem illam non extra corpus fuisse sed corpori agnatam coalitamque fuisse, et necessum erat, emota corruptione, vita ei infarcti: ut quemadmodum in corpore mors extitisset ita in eodem vita existeret. Quod si igitur extra corpus mors fuisset, extra corpus etiam oportuisse vitam subsistere. Sin vero in corpore coaluit, consortaque mors fuit ac veluti cohaerens ei dominabatur; necessum quoque fuit vitam cum corpore coalescere conserique, ut ita corpus imbutum vita corruptionem extruderet. Alioquin si extra corpus Verbum Dei constitisset neque inibi haesisset, mors quidem ab eo maxime pro rei natura superata fuisset utpote cui contra vitam nullae vires sufficissent, in corpore tamen prior illa corruptio aequae adhaesisset. Quapropter non immerito Salvator noster corpore amictus fuit corporique vitam inservit ut id non * ulterius mortale per mortem remaneret, sed indutum immortalitate in posterum perseveraret immortale. Induta quidem semel corruptione numquam resurrexisset nisi vitam induisset. Et qui mors per se non nisi in corpore apparere aut existere poterat, ideo ipse corpus induit ut mortem sibi inventam aboleret. Quomodo enim Dominus ex toto vitam se esse demonstrasset, nisi id quod mortale erat vivificasset? Et quemadmodum stipula quae naturaliter ab igne consumitur, si ab eo ignem depellas non comburitur, sed tamen ut stipula fuit ita stipula permanet obnoxia igni, ignisque comburendi vim suspectam habet. Si quis vero stipulam copioso amianto vestiati cuius natura igni resistit, nihil iam ignem metuit utpote munita re quae comburi nequeat, idem quoque de corpore nostro et morte sentias. Quod si solo praecepto mors ab eo depulsa fuisset, nihilominus tamen mortale et corruptibile pro ratione suae naturae remansisset. Sed ne hoc fieret induit corpus incorporalem Omnipotentis Dei rationem Verbumque; neque iam inde corruptionem aut mortem exhorrescit cum habeat vitam pro indumento et per id corruptionem amolitur. Probabiliter ergo Dei Sermo corpus assump-

f. 293^v⁽³⁾ *Supra*, p. 349.⁽⁴⁾ *Oratio de incarnatione Verbi*, n. 44-45; PG. 25, 174-175.

sit et humano instrumento usus est quo corpus vivificaret, ut quemadmodum in rerum natura ex operibus cognoscitur, ita quoque in homine operaretur et seipsum undecumque ostenderet nihil desertum (desertumque relinquens a sua divinitate et cognitione). Haec Athanasius, qui in eodem opere amianti indici vim adversus ignem antea explicuerat ⁽⁵⁾. Iam quod Christi corpus corpora nostra a morte et corruptione perpetua liberat non humanae tantum naturae assumptione, sed hac per corporis et sanguinis sui * dignam assumptionem cum unoquoque nostrum unione, satis antea ostensum est. Ipsa etiam Athanasii verba quibus testatur instrumentum humanum fuisse corpus Christi ut corpus vivificaret, aperte demonstrant necessariam corporis ipsius cum nostro corpore coniunctionem. Instrumentum enim ut rei in quam agit applicetur, exigit. Similitudo quoque stipulae amanti contactae corpus uniuscuiusque nostrum corpore Christi indui oportere indicat ut a corruptione liberetur. Unaquaeque enim stipula amanti contegi debet ut igni resistat; corpus itidem quod carnis et sanguinis Christi particeps non fuerit a morte superabitur. Quapropter Gregorius Nazianzenus ut Jobius monachus apud Photium refert et nos antea retulimus ⁽⁶⁾, carnem assumpsisse propter nostram animam ut mortale a vita absorbeatur et in genus omne donum transmitteret. Modus autem per quem Christus in totum genus humanum tantum donum transmisit est participatio ipsius per quem spiritu vivificamur a Deo. Omnis enim per Filium in Spiritu vivificat, et qui secundum naturam vita est, Unigenitus Dei Patris Filius homo factus, mediator Dei et hominum natura Deo coniunctus ex quo est et hominibus rursus ut homo existit. Nos enim in seipso habet quoniam naturam nostram assumpsit, ipseque in nobis est per *Spiritum eius missum a Deo in corda nostra clamantem: Abba, Pater*, et per corporis et sanguinis sui mysteria. Corpus enim et sanguis eius Ecclesiae vere est cibus et potus est; per quae ut saepius diximus et, ut Dionysius ⁽⁷⁾ ait, unitatem suam alioquin individuum multiplicat atque distribuit ut ad nostrum dividuum sic procedere possit singulosque nos sibi uniat arcissima substantialique carnis suae unione.

f. 294^r Haec unio adeo * necessaria Ruperto Abbati visa est, ut patriarchas ac prophetas nova quadam ratione ea haud caruisse his verbis scribat ⁽⁸⁾: « Quomodo, inquit, qui mortui erant participes facti sunt vel fieri potuerunt cibi et potus eius? Vere rem mi-

⁽⁵⁾ *Oratio de incarnatione Verbi*, n. 28; PG. 25, 146.

⁽⁶⁾ *Supra*, p. 218-219. Locus Scripturae apud Gal. 4, 6.

⁽⁷⁾ *De Ecclesiastica Hierarchia*, c. 3, § 12; PG. 3, 443.

⁽⁸⁾ *De Trinitate et operibus eius. De operibus Spiritus Sancti*, l. 3, c. 20; PL. 167, 1661.

rabilem satis digne admirari non possumus. Nam quia mortui venire non poterant ad manducandum hunc panem angelorum, iuit ad eos ipse ut quomodo a mortuis manducari poterat manducaretur panis angelorum, vitâ viventium, resurrectio mortuorum. Dissipati erant mortui: etenim animae quidem ad inferos descenderant, corpora vero in ventrem terrae recondita fuerant. Dissipari ergo voluit et ipse panis vitae et anima quidem cum Verbo Deo descendit ad inferos ad animas eorum. Corpus vero non sine potentia Verbi eiusdem ubique praesentis in ventrem terrae ad corpora eorum. Tale remedium invenit quomodo sapiens, quomodo sapientia Dei aliquo modo viventibus et nobis victuris qui nondum eramus providendum erat; quia nimirum ad nos eo modo non erat ultra descendurus. Resurgens enim ex mortuis iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Quærendum illi erat imo iam scire illud nobis expediebat quo pacto nos illum dum vivimus in animas et corpora nostra transumere possemus: quia sicut dictum est, postquam mortui essemus, fieri non poterat quod semel factum est, ut scilicet rursus moreretur: et anima eius nostris in inferno animabus, corpus eius nostris in terra corporibus coniungeretur ». Haec Rupertus; quae quoniam pie et acute ab eo dicta sunt, non aliena ab hoc loco censui.

CAPUT X.

* *Necessarium esse sacramentalem manducationem fidemque absque f. 295^r
Eucharistia non prodesse ad vitam aeternam.*

Quoniam inter reliquas difficultates quas superius commemoravimus haud levis est quae a veritate abhorrere asserebat antiquos patres et patriarchas omnes ab hac cum Christo unitate excludi cum fide et dilectione Deo coniuncti unus spiritus cum ipso facti fuerint, quemadmodum et plerique alii qui non percepta Eucharistia e vita decesserunt. Ad hanc rursus difficultatem enodandam nonnihil amplius hic immorari haud ab re erit, quandoquidem una eademque opera et adversariorum argumentis respondere atque nodos dissolvere, quos difficiles complures existimant, induximus. Quam ob rem duo adhuc disserenda hic a nobis sunt. Primum necessariam esse sacramentalem manducationem fidemque absque Eucharistiae sumptione, modo eam sumendi facultatem suppetat, non prodesse ad vitam aeternam. Secundum antiquos patres et eos omnes qui post Christum naturali hac unione caruerunt, mystici tantum corporis Christi membra, absque naturali cum ipso unione fuisse, fide dilectioneque solum

ei unita. Necessarium esse corporis et sanguinis Christi manducationem ex VI Joannis capite paulo superius diximus, in eoque non de spirituali sola Christi manducatione Christum loquutum Chrysostomus ⁽¹⁾ et Cyrillus ⁽²⁾ multis in locis testantur, quidquid unus et alter ex recentioribus sentiant. Ille enim dilectionem, hic fidem et caritatem negat nobis sufficere nisi corporaliter etiam edamus; quod intelligendum est, ut dixi, nisi opportunitas et facultas sacramentaliter corpus Christi manducandi et sanguinem eius bibendi desit. Nam quamvis verum sit spiritualiter edi, tamen haec fides * nisi praeterea corporis Christi esu corroboretur paulatim deperit et evanescit ac si esus ipse contemnatur non est perfecta fides. Caeterum acutus adversarius, quales sunt haeretici, quod paulo ante explicuimus iterum obiiciunt, huius Sacramenti necessitatem esse habenti fidem, eo quod idem qui dixit: *Qui edit carnem et bibit meum sanguinem habet vitam aeternam*, affirmat etiam: *Qui credit in me habet vitam aeternam*. Nam per solam fidem citra Sacramentum promittitur vita aeterna, quam pro Sacramenti esu pollicetur. Sed huic eadem obiicienti eodem responderi facile possunt, videlicet isto etiam pacto neque baptismo habendi eam fidem opus esse, ut antea dicebatur.

Præterea dici potest regenerationem illam in vitam aeternam baptizato promissam non esse carnis sed animae, alioquin posset et mortui caro, ut Augustinus ait ⁽³⁾, baptizari, quod Roffensis quoque refert ⁽⁴⁾. Secundo dici potest non his verbis promitti a Christo vitam cuius credulitati sed vivae fidei quae quamdam animi propensitatem comprehendit ad omnia quae ad veram fidem attinent recipienda; quae qui paratus fuerit et mente et corpore pie complere creditur propter ipsam bonae voluntatis propensitatem ad omnia quae docentur, quamvis per occasionis inopiam nonnulla non fecerit vitam nihilominus aeternam consequiturum: alioquin si quaecumque fides sufficeret non audisset Nicodemus a Christo ⁽⁵⁾: « Quod ex carne est caro est. Nam credulitatem quamdam habuit, et eam maiorem quam complures alii ex Judaeis, non tamen eam fidem adhibuit quae protinus ipsius Christi * verbis crederet et iussa faceret. Pertinet enim et hoc ad fidem ut credamus vera esse omnia quae Christus docuit et opere impleamus si bonis aedificatoribus, de quibus Matth. 7 ⁽⁶⁾, similes esse cupimus. Cum ergo Christus ipse praecepe-

⁽¹⁾ Hom. 46 in Jo. n. 3; PG. 59, 260.

⁽²⁾ In Jo. 1, 4, c. 2-3; PG. 73, 559-595.

⁽³⁾ Loco mox allegando.

⁽⁴⁾ De veritate corporis et sanguinis Domini in Eucharistia adv. Oecolampadium, Wirceburgi 1597, p. 1204.

⁽⁵⁾ Jo. 3, 6.

⁽⁶⁾ Vers. 24-27.

rit carnem suam manducare sanguinemque suum bibere si opportunitate nolis ea quae praecipiantur facere, numquam vita aeterna quae fidei promissa est apprehendetur. Nam in verbo credere continetur implicite propensitas illa animae de qua paulo ante ad omnia quae credenda sunt iuxta modum quo cuique credenda faciendaque traduntur, ut catholica docet Ecclesia. Neque temere aut frustra haec tremenda mysteria a Christo instituta existimari sine manifesta impietate possunt, aut iis institutis tamdudem fructus spirituali manducatione percipi ac sacramentali acquiruntur. Nimirum quantum ipsum corpus dominicum sanguisque pretiosus eius realiter sumptus digne ipsi communicantibus conferat, satis nos docere potest quod nonnulli auctores (?) de Porphyrio Mimo, ut risus auctor aliis existeret, sacra aqua abluto referunt: « Hic etenim cum neque praedicationibus neque miraculis ullis persuaderi posset, ut Christianus eo ipso tempore quo Christi lex maxime promulgabatur fieret, cumque cuncti fere homines Christi fidem profitebantur passimque erigebantur trophaea pro Christi fide occisorum, Porphyrius, inquam, eorum omnium spectator tantum existens, mendacium veritati praeferebat, atque ut risum aliis moveret, baptismum tamquam mimum agens ablui petiit non ut Christo nomen daret sed ut christianorum fidem irrideret, spectantibusque ioci et risus auctor existeret. * Ut vero sacro lavacri f. 296^v mysterio ablutus est, non iam modo christianus evasis, verum etiam gloriosus martyr vitam cum morte fortiter pro Christo commutavit qui fabularum mimus antea erat, quique ludibrio ad ipsum baptismum risum aliis facturus accedit et in theatrum magnis vocibus Trinitatem praedicans descendit: spectatoribus quidem rei representatio ludus visus est ipsi vero Porphyrio neque risus amplius, neque scena, neque fabula, sed vera generatio et reformatio; et hoc ipsum quod mysterium existit fuit. Egressus enim est pro mimo et anima martyrio apta et corpore generoso tamquam ad philosophiam et laborem exercitato, praeditus ac pro risu tyranni odium comparavit; atque ita vitae mimum deinceps affectus iniuriis transegit donec pro Christo saeve excruciatu laetanter obire maluit quam ut vel lingua divini amoris quod sumpserat poculum proderet. Isto ergo pacto ridiculus Christum dilexit qui paulo ante hostili animo erga ipsum fuerat. Postquam vero oculos aperuit ac Christi pulchritudinem potestate exiit amatorque ex inimico fit. Mentis enim alienatio ille amor est, quo qui capiuntur humanos limites excedunt, quemadmodum significat propheta cum inquit: *Stupebunt multi propter te* (8). Porphyrio Ardalion nec dissimilis officio adiungatur qui in ludi gratiam ut spec-

(?) Integram narratiunculam de martyrio Porphyrii et Ardalionis exscribit ex N. CABASILA, *De vita in Christo*, I, 2; PG. 150, 554-558.

(8) *Is.* 19, 16.

f. 297^r tatores quoque riderent sacra aqua ablutus est. Erat enim et is pariter risus artifex, eiuscemodique ludorum opifex. Baptizatus autem fuit non signis aut imaginibus Servatoris tantum passionem eius imitatus, sed et ipsis * rebus et bonam confessionem et martyrum robur simulans, ridens ab irridentibus nudus in ligno suspensus est. Postquam autem Christum retulit plagasque sentit, repente mutatus animus voce consentit, mens rem ipsam sequitur; et qui nuper irridebat vere iam se christianum appellat. Eiuscemodi opus ex plagis irrisionis et ex voce simulata exit qui Christum se diligere simulat, statim revera dilexit ac instar ignis a lingua in cor amor transfunditur. Bonum quod aliis de bono cordis thesauro in os venit, Ardalion, velut adverso flumine, a lingua in cor descendit. Oh praepotentem Dei potentiam, oh ineffabilem Christi virtutem, cuius amor non benefactis, non coronae participatione, non bona spe tantum gignitur sed et plagarum et ignominiarum communione comparatur; adeoque eo capitur ut eorum quae ne audire quidem prius patiebatur, mox aliis ipse persuasor existat. Multorum annorum spatio contractam consuetudinem subito obicit, atque in contrariam prorsus mentem commutatur, ab omnium pravissimo et improbissimo homine in optimum virum transfertur: nimirum quid mimo vilis? quid martyre praestantius? quid cum humana ratione commune plagis et ignominis amorem gigni? iis ipsis capi ob quae christianus fieri abhorrebat? iis denique rebus quas maxime odio habebat dilectionem alios docere? Nihil profecto ». Sacri mysterii haec virtus est, non humanae disciplinae ratio. Satis sit duo haec exempla attulisse, ut ostendamus toto, quod aiunt, coelo errare qui reali corporis Christi perceptione spiritu ipso percipienti nihil opus esse contendunt, nempe magni interest affectu tantum an affectu simul et actu ipsi communicetur. Est enim corpus nostrum corpore Christi contemperatum atque commistum veluti stipula * amianto adversus ignem contacta, ut antea ex Athanasio dictum est (°).

f. 297^v

CAPUT XI.

Antiquos Patres et qui post Christum sine Eucharistia discedunt, mystici corporis Christi membra absque naturali unionē existere.

Superest ut de illo secundo proposito agamus, quomodo scilicet antiqui Patres et qui post Christum sine Eucharistiae sumptione decesserunt, mystici Christi corporis membra absque naturali cum eo unionē fuerint. Hoc illud est quod in secundo libro ab immensa Dei

(°) *Supra*, p. 369.

benignitate abhorrere plerisque videri diximus, qui aequo animo non ferunt quidquam illis negari qui fide caritateque Deo sic coniuncti sint ut unus cum eo spiritus esse videantur. Magnum praeterea inconueniens *Oecolampadius* ⁽¹⁾ iudicat hoc discrimen statui inter Veteris Legis Novaeque mysteriis initiatos, neque asserendum ullo pacto iudicat aliter corporaliter carnaliterque veritatem carnis Christi nos participare quam patriarchae et prophetae ac reliqui omnes qui sine Eucharistia corpori ipsius mystico inserti per fidem participarunt. Orthodoxi tamen Patres nullum inconueniens arbitrantur sequi si asseratur neutros eorum veritatem Christi carnis naturaliter participare. De illis enim satis constat quod haud dum factum esset Verbum caro; de his vero dilucidum est non potuisse sine corporali manducatione carnis eius naturali per dignam Eucharistiae sumptionem participes fieri. Verumtamen cum utrique hanc carnem crediderint et hanc fide spiritualiter manducaverint, spiritualiter etiam participaverunt; et eius corpori mystico spiritualiter sunt inserti immensaque Dei liberalitate absque Eucharistiae corporis Christi perceptione remissionem consequuti sunt. Nam iuxta * *Ambrosii* ⁽²⁾ sententiam de verbis Dei in iustificatione impii et a morte peccati resurrectione opus est ea semper necessaria dari quae a Domino ordinata sunt, ut videlicet Spiritus Sanctus donetur, Verbum caro factum detur et manducetur. Ambrosii verba ita habent: « Sicut semel pro omnibus immolatus est Christus ita quotiescunque peccata donantur corporis eius sacramentum sumimus ut per sanguinem eius remissio peccatorum detur ». Neque illorum opinio admittenda est qui ad hanc corporalem naturalemque cum Christo participationem satis esse affirmant ipsius Christi Incarnationem. Nam hoc modo ethnici etiam et qui nec spiritualiter cum ipso coniuncti sunt, eius carnis pariter participes esse dicerentur. Praeterea quibus ea tantum carnis Christi participatio satisfact, crasse nimis Christi carnem considerant, non meditantibus carnis de Virgine sumptae, ac post resurrectionem in coelum invectae, nos inenarrabili divinae benignitatis immensitate participes fieri, unumque cum ipso corpus non spirituali modo coniunctione sed et corporali unione effici. Adde his non hac tantum carnis dignitate nos Veteris Legis patribus praestare. Multa namque illis negata sunt quae nobis concessa fuerunt. Etenim si quod aboletur fuit in gloria multo magis id quod manet erit in gloria. Si sermo per angelos factus firmus fuit, quanto firmior erit qui per Filium Dei? Non fuit cum patribus antiquis initum foedus novum sed nobiscum.

f. 298^r

(1) *Supra*, p. 19, 94, 109, 112, 145, 149, 150.

(2) Locus passim a scriptoribus mediae aetatis Ambrosio adiudicatur; apud S. Doctorem vero quid simile reperitur in *De sacramentis* l. 4, c. 6; PL. 16, 464.

f. 298^r Non ea largitate acceperunt illi Dei Spiritum qua post Christi ascensionem Ecclesia accepit, non par virtus et efficacia Sacramentis Veteris Legis adfuit ac baptismo. Non patrum animae continuo, ut hinc migrarunt, in coelum evolarunt ut de nostris pro certo habemus. Quare nec difficile nec absurdum iudicari debet si illos dicamus non pervenisse ad ipsum plenitudinis gradum quamvis per fidem praesentiam Christi in * cordibus habuerint. Multo enim cumulatius Christo fruimur et tenacius inhaeremus per realem corporis Christi esum per quem illi corporaliter et realiter unimur, ipseque realiter et substantialiter in nobis manet. Inter complures differentias quae inter Vetus Testamentum et Novum referuntur, illa magna certe est quod in illo Verbum homines docuit fide spirituque homines coniunxit; in hoc praesens ipse Christus erudit ineffabilique modo disponit et effingit animas, ac corpora ipsa corpori eius connectit. Verbo enim et disciplina legis non poterat homo ad destinatum finem pervenire: indigebat enim operibus, et iis quidem quae cunctas naturae leges superarent; nimirum Unigenitus Dei Filius caro fieret mortemque, pro humano genere, subiret. Hoc ipsum iam ab Evangelii initiis ex Apostolis ipsis compertum habere possumus, qui quamvis ipsum Christum praeceptorem habuerint cunctorumque eius operum praeclari spectatores mortis et resurrectionis et in coelos ascensionis optimi testes extiterunt, nihil tamen novum, nihil generosum, nihil praeclarum, nihil spirituale prorsus, nihil denique vetere homine praestantius praestiterunt donec sacris mysteriis perfecti ac Spiritu Sancto afflati et novam vitam acceperunt et ipsius duces egregii aliis fuere ignem quo ipsi erga Christum flagrabant in alios pariter immittentes. Porro neque solem propinquum habuisse neque vitam una egisse, neque sermonum ipsius participes extitisse, satis illis fuit quod radius ipsius solis ad illos per divina Sacramentorum mysteria tamquam per fenestras quasdam pervenit.—Quapropter nemini mirum videri debet si haec in parte praestantiores Veteris Testamenti patribus reliquisque omnibus qui tanto beneficio caruerunt extiterimus.

CAPUT XII.

f. 299^r* *Responsio ad confirmationem quartae obiectionis.*

His ipsis satisfactum videtur ei confirmationi quae argumentum tertium corroborare censebatur, de qua in secundo libro nostro non nihil disseruimus. Verum quoniam existimamus plerisque gratum fore si haec ipsa latius explorentur, deque baptismi et Eucharistiae vi ac virtute ac de convenientia et discrimine inter utrumque aliquid

scitu dignum dicatur, non ab re erit eadem amplius indagare finemque operi hac inquisitione peracta imponere. Concedimus quidem credentibus ac baptizatis, quemadmodum et digne corpus Christi manducantibus et sanguinem eius bibentibus, hi enim omnes ut antea dictum est unum cum Christo sunt, vitam aeternam et resurrectionem, mansionem in Christo promissam. Joann. 6 ⁽¹⁾: « *Nemo potest venire ad me nisi Pater meus qui misit me traxerit eum, et ego resuscitabo eum in novissimo die* ». Iterum ⁽²⁾: « *Qui credit in me etiam si mortuus fuerit vivet et omnis qui vivit et credit in me non morietur in aeternum* ». Haec tamen unio substantialis de qua agimus communicantibus tantum concessa est. Nam quamvis resurrectio et vita aeterna cunctis regeneratis et Christo incorporatis promittitur, ea tamen regeneratio et incorporatio per carnem eius pie sumptam, copiosior consummatioque est. Iam copiosior et plenior unio et incorporatio copiosiore et pleniore vim atque virtutem praebet ad immortalitatem et incorruptionem. Igitur per baptismum Christo Dei virtute * inserimur, per Eucharistiam vero per ipsam Christi naturam nostrae carni cognatam virtutemque connectimur atque unimur; atque, ut Cyprianus ⁽³⁾ inquit, convenienti malagmate inveteratus nostrae carnis immundae et corruptae morbus mundae divinaeque Christi carnis coniunctione curatur. Enimvero haec coniunctione vera tantum carnis acquiritur; quam utinam eo pectore, ea fide, ea dilectione, qua oportet Christo uniti alacresque affectaremus frequenterque ea vesceremur. At vero quae ad adeundam mensam alacritas et quod desiderium in eo qui cum facile potest ad eam tamen accedere negligit? Quaeve est in Deum fides apud eum qui non timet Domini minas adversus hanc coenam contemnentes? aut quomodo amare credetur cui cum liceat accipere non accipit? Sed ad rem de qua agimus redeamus. Baptismus illuminationem praestat, Eucharistia illuminatum Christo ut homini corporaliter connectit. Hoc ipsum primo miraculo a Domino facto quodammodo significari videtur. Nam aquae in vinum conversio spirituales cum Christo unionem innuit, quam aquae lavacro regenerati per baptismum assequimur; sanguinis Domini sub vini speciebus contenti potus corporali coniunctione eandem perficit atque consummat. Quod aqua coepit, vinum quod deinde in sanguinem Christi virtute benedictionis convertitur absolvit. Primum Christi miraculum aquae in vinum conversio fuit, ultimum vero vini in verum Christi sanguinem transubstantiatio. Quod autem nos corporaliter Christo uniri non baptismus sed Eucharistia praestet, quamvis re ipsa * satis f. 300^r constet, Isidorus Pelusiotus in epistola quadam in qua

(1) Vers. 44.

(2) Jo. 11, 25-26.

(3) Supra, p. 76.

de gratia Sancti baptismatis disserit, satis explicat. Isidori verba quoniam in primo retulimus ⁽⁴⁾, hic denuo repetere non est necesse; quam aperte si vetustorum Patrum loquendi modum haud ignoramus, Eucharistiae adscribere fatebimur naturali connexione Christo copulatos concorpores fieri Christi, qui per baptismum Dei filii et haeredes, cohaeredes autem Christi ⁽⁵⁾ erant. Ob hoc tamen baptismi sufficientiae non derogatur, cum neque haec naturali cum Christo coniunctio et unitas sine illa illuminatione quam baptismus confert, neque illuminatio sine Eucharistia suo tempore sumenda, modo facultas sacris mysteriis communicandi adsit satis sint utraque nimirum exigitur incorporatio et per baptismum et per Eucharistiam pie sumptam. Constat enim ex ipso Dionysio ⁽⁶⁾ aliorum signorum quae pontificio muneri attributa sunt, communionibus perfectionem atque efficacitatem ex divinis his perficiendique vim habentibus donis accedere. Neque enim fere licet unum sacramentum perfici hierarchici muneris nisi divina Eucharistia et initio eorum quae singillatim perficiuntur, eiusque qui initiatus est cum uno coniunctionem collectionemque sancte efficiat et divinitus tradito Sacramentorum perficiendi vim habentium munere eiusdem cum Deo operetur societatem ac communionem. Quum itaque duae causae ad aliquem effectum concurrunt, non est cur cognationi posteriorique earum effectum attribuere dubitemus. Quare huic per communicationem carnis Christi incorporationi tamquam pleniori, ipsamque in baptismo incorporationem inchoatam perficienti, peculiari quadam cognataque ratione * corporis resurrectione imputatur, et ea quidem verissima, quandoquidem a Christi corpore baptismus reliquaque omnia Sacramenta vim ac virtutem omnem accipiant, hoc ipsum Christi corpus intra nos immissum quid non efficiet? Quanti vero aestimandum sit hoc immensum a Deo beneficium qui vere diligenter optime intelligent. Summus nempe amor summam unionem petit; summe Christi spiritui corporique fidelem spiritu corporeque pariter constantem coniungit, maximum omnium coelestis beatitudinis est pignus verissimumque nostrae resurrectionis testimonium existit. Nec ideo negamus propter Christum in nobis in baptismo per spiritum existentem, corruptibilitatem nostram ad incorruptibilitatem permutari, ut Paulus ait ⁽⁷⁾: « Qui suscitavit Jesum Christum a mortuis, is corpora vestra mortua vivificabit per spiritum suum qui habitat in vobis ». Nam ex Patre Filioque Spiritus Sanctus procedit, venitque per Filium et proprius eius est; omnia enim per Filium a Patre sunt et quemadmodum

(4) Recole p. 85.

(5) Rom. 8, 17.

(6) De Ecclesiastica Hierarchia c. 3, n. 1; PG. 3, 423.

(7) Rom. 8, 11.

ablatio Spiritus propter peccatum ad interitum nos reduxit, ita eiusdem Spiritus per Filium participatio in novam vitam nos reformavit et ad corruptionem per quam propter peccatum delati eramus longe abiicit. Unigenitus enim Dei Filius homo factus est, ut Cyrillus ait ⁽⁸⁾, ut peccatum in carne sua damnaret et mortem propria morte destrueret et nos Dei filios faceret. Peccatum in carne sua damnatum fuit quum Deus natura Unigenitus atque ita nullo modo mutari labique potens descendere voluit ut caro sua facta et ad proprietatem suam transformata labi peccareque nequiret. Peccatum igitur in propria carne Unigenitus Dei Filius * damnavit, carnemque fecit non f. 301^r propria voluntate sed ut Deo placet moveri, ita corpus animale spirituale confectum est. Mortem quoque propria morte destruxit quum a genere nostro per ipsum depulsa corruptio est. Quoniam carni et sanguini pueri communicaverunt et ipse similiter participavit eisdem ut mortem interimeret. Nam qui hominem ad immortalitatem creavit, ad pristinam rursus figuram transfiguratur; factus namque homo ab initio ad imaginem Creatoris est cumque multis modis imago dicatur, ille modus, auctore Cyrillo ⁽⁹⁾, praecipuus est ad imaginem Dei, idest ad similitudinem incorruptionis et immortalitatis factum esse quod per rationem naturae suae possidere non poterat. Quomodo enim quod a terra factum est sua natura perpetuum erit, nisi qui naturaliter immortalis est Deus, qui eodem modo semper se habet hoc donum ei praebuerit? Ne igitur quod ex nihilo creatum est ad nihilum rursus redeat sed perpetuo conservetur; id enim Creator intendebat homo Dei Filius ac naturae divinae particeps efficitur.

Haec participatio unio ipsa, auctore Dionysio et eius interprete, quod saepius dixerimus cum Deo Christo mediatore est. Ac quamvis baptismus Christo nos uniat, corporis ipsius membra efficiat, naturaeque illius immortalis participationem praestet, Eucharistia tamen, in qua corpus Christi verum continetur, naturali coniunctione unumquemque nostrum Christo non ut Deo solum sed ut homini connectit. Ob hanc unius perfectionem Sacramentum hoc τελετή τελετών, hoc est consecratio consecrationum aut consummatio consummationum, et communio ab ipso effectu a Dionysio ⁽¹⁰⁾ appellatur, ut superius ostensum est. Baptismus vero et alia sacramenta τελεταί tantum vocantur communionis, ut antea diximus, quoque nomen hoc Sacramentum proprie sibi vindicavit, quia non spiritu solum et mente, sed * corpore pariter f. 301^r singulos nos Christo uniat atque inserit; et qui ob communem cum ipso carnis naturam congeneres et cognati specie ipsi eramus ob hanc

⁽⁸⁾ In Jo. 1. 9, c. 1; PG. 74, 274-275.

⁽⁹⁾ *Ibidem*.

⁽¹⁰⁾ De Ecclesiastica Hierarchia, c. 3, n. 1; PG. 3, 423.

naturalem arctissimamque unionem corpus eius et membra ex parte effi-
 cimur, spiritu corporeque pariter sanati virtutem atque efficaciam ad
 corporis et animae curationem huius naturalis divinissimaeque unionis
 Dionysius adamussim exprimit, dum tam corporis quam animae cum
 Christo arctissimam unionem ac utriusque pariter curationem et beati-
 tudinem nos docet. *Dionysii* verba sic habent ⁽¹¹⁾. « Verum di-
 vinae bonitatis clementia infinitissima etiam nostrae per seipsam ope-
 rantem providentiam, non abiecit, sed vera nostrorum omnium absque
 peccati assumptione et cum humilitate nostra unione facta. Interim
 tamen sibi propria inconfusa et penitus integra retinens, nobis secum
 tamquam congeneribus et cognatis in posterum largitus est communio-
 nem ac suorum honorum participes declaravit apostatae quidem
 cohortis, ut occulta traditio habet, imperio in nos dissoluto non pro
 potestate ut praevalens, sed secundum nobis mystice traditum ora-
 culum in iudicio et aequitate: iis vero quae in nobis erant ad omne
 contrarium benefice translatis. Nam quod in mente nostra lucis expers
 fuerat beato divinissimoque lumine complevit eo quod deiforme dei-
 formibus ornavit pulchritudinibus, animae vero habitaculum in per-
 fecta salute nostrae substantiae propemodum collapsae a scelestissi-
 mis passionibus exitiosisque inquinamentis liberavit, via ad supernam
 nobis supramundana submostrata et conversatione divinitus inspirata
 per sacram nostri cum illa quoad fieri possit assimilationem. Dei autem
 imitatio quonam modo nobis aliter ingeneretur nisi sacratissimarum
 Dei operationum memoria renovata semper hierarchicis sacris
 praedicationibus atque sacrificiis hoc faciamus, ut scripta divina dicunt,
 in eius commemorationem. Hinc divinus hierarcha pro sancto altari
 f. 302^r adstans celebrat sacra divina Jesu opera, idest divinissimae nostri *
 providentiae quae ipse ad salutem generis nostri beneplacito undique
 sanctissimi Patris in Spiritu Sancto, ut est in divinis scriptis, peregit ». Haec
 Dionysii verba magnam adferunt declarationem plerisque aliis
 ipsius Dionysii et Sanctorum Patrum locis in quibus Christum totum
 nos totos, hoc est animam et animae uniuscuiusque nostrum habitacu-
 lum corpus videlicet sanare traditur, ut superius ostendimus, et *Jacobus*
⁽¹²⁾, *Basilius* ⁽¹³⁾, *Chrysostomus* ⁽¹⁴⁾ in suis Liturgiis saepe precantur. Necessariam praeterea hanc sacrorum mysterio-
 rum operationem ad nostrorum omnium verum absque peccato assump-
 tionem et assimilationem nostram ad Christum statuit; quae nisi re-
 novata frequenter in nos divinorum beneficiorum memoria, difficulter
 in nobis ingeneratur. Ergo cum baptismo semel tantum initiemur, su-

⁽¹¹⁾ *De Ecclesiastica Hierarchia*, c. 3, § 11-12; PG. 3, 439-442.

⁽¹²⁾ *Supra*, p. 221.

⁽¹³⁾ *Supra*, p. 233.

⁽¹⁴⁾ *Supra*, p. 284.

perest ut assidua mysticae benedictionis participatione Christo assimilari studeamus, quae et animam a vitiis a Deo nos seiungentibus conservat, et corpus nostrum suapte natura in interitum delatum a morte et corruptione proculdubio liberat inque Christi corporis consortium per omnimodam cum eo assimilationem suapte natura evehit, et ad suam qualitatem, ut sic cum *Cyrilo* ⁽¹⁵⁾ dixerim, transformat. Quapropter *Basilius* in sua Liturgia precatur ut uniamur sancto corpori et sanguini Christi ⁽¹⁶⁾. *Gregorius* quoque *Nysae* Episcopus, *Joannes* itidem *Damascenus*, quorum testimonia superius attulimus ⁽¹⁷⁾, carnis nostrae per Christi carnem digne a nobis sumptam curationem disertis verbis testantur; quibus plerique Sancti Patres eximiique theologi adstipulantur, qui quidem omnes quum hanc vim ac virtutem sacrae Eucharistiae attribuunt, neque baptismi sufficientiae quidquam derogare se existimant. Diversus enim influendi modus in diversis Sacramentis gratiam et sanctificationem efficientibus, nihil ipsis detrahit. Alioquin enim fides etiam, quae vitam aeternam credenti promittit, etiamsi lustrica aqua haud abluamur, modo ea abluendi * facultas suppetat, baptismo derogaret, ut antea saepe diximus. f. 302'

CAPUT XIII.

Differentiae inter baptismum et Eucharistiam nonnullae enumerantur.

Magnum profecto discrimen est inter unionem per baptismum et Eucharistiam quae per verum Christi corpus et sanguinem ipsius perficitur, si extrema considerentur. Nam quamvis medium, gloria scilicet una et eadem est qua Christo per utrumque Sacramentum unimur, extrema tamen diversa sunt. Per spiritualem enim unionem anima, per naturalem vero caro etiam Christo capiti uniuntur. Praeterea spiritualis sine naturali reperitur, non tamen naturalis sine spirituali. Per baptismum anima, per Eucharistiam anima et corpus Christo incorporantur. Nam, ut saepius dictum est, corpus Christi ut instrumentum ipsius coniunctum nostraeque naturae cognatum tum animae tum corporis salutem mirifice operatur non secundum vim contactivam spiritualem solum, sed etiam secundum vim unionemque naturalem quae ex ipsius Christi carne vivificatrice nostrae carni substantialiter unione copulata, in animam et corpus nostrum transmittitur, per quam corpus

⁽¹⁵⁾ Cf. *In Jo.* I. 4, c. 2; PG. 73, 578-579; *In Jo.* I. 2, c. 1; 73, 246.

⁽¹⁶⁾ *Supra*, p. 233.

⁽¹⁷⁾ *Supra*, p. 307, 311.

f. 303^r et caro eius effici vere dicimur, et ad proprietatem carnis ipsius nostra caro arcana divinaque quadam ratione ex vi huius sacramenti transformatur, ac per similem Christi carnem reipsa vivificare valentem curatur et sanctificatur. Quae etsi per baptismum quoque curari et sanctificari asseratur, sanitas tamen et sanctificatio ea ex humanitate Christi, quae secundum virtutem in baptismo est ⁽¹⁾, proficiscitur. Et cum anima sit corporis forma, si suo principio, hoc est Conditori spirituali unione coniungatur * in corpus tamquam subiectum eius beatitudinem suam transfundit. In hac vero per Eucharistiam carnis nostrae curatione ac sanctificatione suapte ipsius vivificatricis Christi carnis quae secundum rem in hoc Sacramento existit, vi ac proprietate tamquam corporeo instrumento corporique nostro cognato salus et immortalitas animabus corporibusque nostris confertur. Unde et in Christi carnem desinere, ut *Isidorus Pelusiotus* ⁽²⁾ ait, aut reipsa in Christi carnem converti sive ipsius carni commisceri, hoc est uniri per haec sacra mysteria, ut *Chrysostomus* ⁽³⁾ inquit, dicimur.

Utrumque igitur mysterium, baptismus scilicet et Eucharistia, hominem sanat, utrumque passionis eius, utrumque fidei Sacramentum, diversa tamen ratione dicitur. Baptismus enim, sicut dictum antea est, ut homo regeneratur virtute passionis Christi mors nemp̄e Christi vita nostra est, Eucharistia vero quatenus homo perficitur in unione ad Christum passum. Baptismus Sacramentum fidei appellatur, quia est quasi quaedam dei protestatio, Eucharistia vero mysterium quoque fidei dicitur quasi fidei obiectum. Sola enim fide credimus sanguinem Christi in hoc sacramento esse secundum veritatem. Baptismus imaginem Dei in nobis renovare, Eucharistia ad imaginem et similitudinem perfecte nos perducere videtur. Ex his quoque satis constare potest non parvam differentiam esse inter eam unionem quae per baptismum fit et eam quae per Eucharistiam. Illa nos renasci in Christo efficit, haec Christum in nobis naturaliter manere praestat. Illa per fidem et dilectionem nos Christo unit, haec iam spiritu unitos corporaliter ipsi et internos invicem connectit. Illa vitam et * esse spirituale animae praestat, haec ipsius vitae causam et auctorem intra viscera nostra immittit vitamque ipsam fovet atque conservat. Illa per Spiritum Dei tantum in nobis habitantem, salutem et immortalitatem corpori videtur adferre. Haec virtute carnis quae Verbi propria facta est vivificatricis spiritum et carnem nostram sibi congenerem cum sua carne singulariter vivificat, omnimodamque assimilationem cum ipsius corpore praebet, perque ipsummet Christi corpus quod substantia est

f. 303^v

⁽¹⁾ Cf. S. THOMAS, *Gent.* 4, 61.

⁽²⁾ *Epistolarum* I. 3, ep. 195; PG. 78, 379.

⁽³⁾ *Hom.* 46 in Jo. n. 3; PG. 59, 260.

et non accidens, quod res est et non verba, vitam nostram in Christo conservat corpusque ad immortalitatem praeparat. Praeterea cum Unigenitus Dei Filius carnem solus assumpserit, ipsi soli tamquam homini, per hoc Sacramentum panis et sanguinis eius substantialiter et naturaliter unimur. Unde hac etiam parte naturalis de qua agimus unio ab spirituali per baptismum quoque differt, quoniam hac spiritu iacenteque Deo coniuncti Christo mediatore in totam simul Trinitatem rapimur; ratione tamen humanitatis solus Filius Dei qui et homo est, digne susceptus a nobis naturaliter in nobis manet, nosque sibi singulariter tamquam homo cunctis, quamquam non potest in nobis esse Filius Dei etiam secundum carnem quin Pater quoque et Spiritus Sanctus pariter sint. Hoc ipsum non parum confirmari videtur ex eo quod **Apostolus** cum nostrum corpus templum Dei viventis esse scribat membra vero tantum corporis Christi de carne eius et de ossibus eius nos esse testatur ⁽⁴⁾: « *Membra etiam Christi auferam et faciam membra meretricis* »? Alibi inquit ⁽⁵⁾: « *Christus enim verum corpus habens vera etiam membra corporis cognata atque congrua habet* ». Quemadmodum igitur per inhabitantem Dei spiritus in nobis ad unitatem cum Deo spirituales conducimur, sic per unitatem Christi carnis * nostris visceribus immiscae, unum corpus cum ipso ac membra f. 304^r ex parte corporis illius omnes fideles efficimur, ut **Cyrillus** ⁽⁶⁾ a Paulo edoctus paucissimis verbis scribit: « Sicut virtus, ait, sanctissimae Christi carnis unum corpus facit participantes, eodem arbitror pacto in quibus indivisibilis Dei spiritus habitavit, eos omnes ad unitatem spirituales conducit. Ideo rursus **Paulus** nobis scripsit ⁽⁷⁾: « *Supportantes invicem in caritate, solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis, unum corpus et unus spiritus sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae* ». **Cyrillus** manifeste corpus unum ad unitatem corporalem, unum spiritum ad spirituales refert. Qui in eodem libro, ut alias retulimus, corporalem hanc singulorum unionem ad Christum participationi carnis suae tribuit. Curiosius forsitan quam oportet nonnullis ista scrutari videbimur, sed qui rectitudinem dogmatum sequitur, ut ait idem **Cyrillus**, desidiae crimen omnino evitare debet.

⁽⁴⁾ *I Cor.* 6, 15.

⁽⁵⁾ Haec verba non sunt paulina.

⁽⁶⁾ *In Jo.* I. 11, c. 11; *PG.* 74, 562.

⁽⁷⁾ *Eph.* 4, 3-6.

CAPUT XIV.

Quinta differentia inter baptismum et Eucharistiam.

Addamus his et alia quaedam quae differentiam inter baptismum et Eucharistiam, vimque uniuscuiusque horum Sacramentorum plenius exprimere nonnullis eximiis viris ac praecipue *Nicolao Methonensi Episcopo* ⁽¹⁾, videntur, cuiusmodi et illud est, quod baptismus primum mysteriorum est; Eucharistia vero postremum. Baptismus tamquam primum medio indiget, medium ipsum chrisma est. Ultra Eucharistiam vero tamquam postremum non est quo viventes tendamus. Qui in Samariae civitate a Philippo baptizati sunt, f. 304^v non ante Spiritum Sanctum * acceperunt, quam ad eos Petrus et Joannes venientes oraverunt pro ipsis ut acciperent Spiritum Sanctum, impositisque super illos eorum manibus Spiritum Sanctum accepisse dicuntur ⁽²⁾; neque accepto Spiritu Sancto protinus absoluta et exacta perfectio consequitur. Nihil enim obest mysterii unius perfectioni defectus qui per aliud tollitur. Optimi huius rei testes sunt Corinthii, qui spiritu pleni et prophetantes, et Christi linguis loquentes longe a perfectione illa divina et spirituali abfuerunt. Inter eos enim zelum et contentionem esse Paulus testatur. Quam ob rem ita subiicit ⁽³⁾: « *Nonne carnales estis et secundum hominem ambulatis* »? Certe non abfuit ab illis spiritus qui tamquam ipsius donorum partem habuerunt, non tamen eo ipso omnis improbitas ab eorum animis expulsa est.

Quum per Eucharistiam digne corpori et sanguini Christi communicamus nihil pravi in nobis manet. Est enim sacrosanctum hoc mysterium in nobis efficax non quia pedibus ad mensam currimus, manibus sancta accipimus, ore sumimus, comedimus, bibimus, sed quum haec omnia facimus praevia animae per peccatorum admissorum perfectam exomologesim, purgatione, dilectione, fide, mysterii desiderio, alacritate ad participationem, ferventi appetitione, siti inextinguibili Deo nos inseparabiliter coniungendi flagramus, qui et in corruptione et interitu versamur, corpore ab interitu alieno participare toto corde concupiscimus. Sperantes valde probabile et consentaneum esse animam nostram quae immortalis est substantia eius quod immortale est, participem fieri; quandoquidem per ineffabilem humanitatem et arcanam sapientiam modus excogitatus est a Deo quo uniuscuiusque nostrum mortale corpus cum immortalis per mysticam benedictionem connecteretur, modus is dignus sit cui calicis et panis participatio de-

(1) Scilicet *CABASILAS, De vita in Christo*, l. 4; PG. 150, 582, 583.

(2) *Act.* 8, 14-17.

(3) *1 Cor.* 3, 3.

tur. Haec enim sunt: intercessor qui pro nobis in sancta fuit, praecursor, qui solus * ducit ad Patrem, qui solus sol animarum a quibus omnem caliginem ac tenebras disiecit, qui solus secundum hominem ambulare non sinit. Ob hoc tamen aliorum Sacramentorum virtuti minime derogatur. Suus enim proprius peculiarisque effectus unicuique est, neque is unquam deest nisi culpa nostra impediatur. Divina enim virtus eodem semper modo habet neque eam accusare oportet si iis perfecti eandem perfectionem non omnes assequimur. Non solis vitium est si omnes aequali lumine non fruuntur; nam is omnes radio pari virtute in universos immittit, diversa autem oculorum dispositio, diversae lucis participationis causa est. f. 305

CAUT XV.

Sexta differentia inter baptismum et Eucharistiam.

Illis qui a vita quam per baptismum acceperunt peccantes excidunt, et vires ac robur ad recte ac secundum spiritum ambulandum acceptas novis criminibus enervarunt, ne dicam verius amiserunt, Eucharistia digne suscepta laeque prorsus omni mortali prius diluta per sacramentum paenitentiae modo eo animam expurgandi facultas suppetat, certissimum remedium est quo vires deperditas recuperent. Non enim humanarum virium est hominem a tanto dignitatis gradu deiectum rursus in eundem reponi, neque humana pravitas humana iustitia diluitur. Peccatum enim ipsi Deo iniuriam infert ⁽¹⁾: « *Per praevaricationem enim legis Deum inhonoras* ». Porro maiori quam humana virtute opus est gradu supremum obtinentem facile offendere potest; iniuriam vero ab eo illatam dissolvere impossibile videtur, praesertim cum is qui offendit affectus sit. Quod enim medium esse potest quo inter adeo distantia extrema iniuria accepta resarciatur? Profecto divino mediatore * opus fuit ut homo Deo reconciliaretur. Quapropter *Christus factus est nostra iustitia a Deo sanctificatio et redemptio* ⁽²⁾. Ipse enim solvit nostras inimicitias in carne ⁽³⁾ et Deum non unius solum hominis naturae quam tantum assumpsit reconciliat, neque tantum quando mortuus est, sed ubique et in omni tempore et cuilibet nostrum, ut antea diximus. Quod enim tunc quum semel cruci affixus fuit fecit, idem et nunc efficit quotiescumque admissa delicta toto corde pertaesos rite recteque iuxta Ecclesiae ordinem dispositos f. 305

⁽¹⁾ Rom. 2, 23.⁽²⁾ 1 Cor. 1, 30.⁽³⁾ Eph. 2, 14.

sacri corporis et sanguinis sui convivio excipit. Is enim solus potens est honorem omnem Patri debitum reddere et nos mortis reos ab ea liberare. Nimirum illud vita effecit, hoc tamen morte peragit. Mors enim quam pro gloria Patris in cruce tulit, aequivalens remedium contumeliae ab homine irrogatae extitit. Vita vero omnem Patri honorem praestitit. Purissima enim eius vita ab omni peccato libera magna Patris fuit gloria.

Coelestis quoque philosophia quam in mundo docuit locupletissimum paternae sapientiae testimonium extitit; miracula etiam ab ipso edita praepotentem Patris virtutem abunde declararunt. Humanitas denique ab ipso assumpta immensam Patris erga homines benignitatem ostendit; benefactis namque benevolentiam metiri soleamus. Hanc ipsam maximam coelestis Patris esse erga nos Christus Unigenitus eius Filius optime testatus est, ac summam pariter eius curam erga nostrum genus mundo aperuit. Unde ut Nicodemum ingentem Patris bonitatem doceret, hoc argumento usus est ⁽⁴⁾: « *Sic Deus, dixit, dilexit mundum ut Filium suum Unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum habeat vitam aeternam* ». Nihil enim maius aut praestantius Pater dare potuit quam quod in adventu Unigeniti Filii sui naturae nostrae dedit. Quapropter et Filius Patrem etiam perfecte honorat. Quis enim maior honor Patri deferri potest quam ipsum bonum unice ostendi? Haec ipsa est gloria quae Patri debebatur et a nullo hominum exhiberi poterat. Quemadmodum si Pater, inquit, ego sum, ubi est gloria mea? Soli nempe Unigenito licebat omnia Patri debita praestare. Hoc ipsum ut Filius ostenderet qui solus abunde adferre poterat postquam omne opus consummavit honoratim ab ipso Patre alloquens ⁽⁵⁾: « *Ego, ait, glorificavi te super terram, manifestavi nomen tuum hominibus* » et vere quidem. Verbum nempe est perfectam Patris referens imaginem, « *splendor gloriae et figura substantiae eius* » ⁽⁶⁾. Unde cum solus Unigenitus nihil eorum praetermiserit quae ad Patris gloriam attinerent, is solus tollit medium parietem maceriae iniuriam Patri ab homine illatam dissolvens et ipsum hominem criminibus solvens quandoquidem iuxta alteram naturam, nostram videlicet humanam, dupliciter Patrem honoravit, et ex corpore et sanguine ipsius mirabilem illam gloriae coronam Patri contexit. Quocirca solum atque unicum peccati pharmacum ipsum Christi corpus est, sola peccatorum remissio sanguis eius est, ideoque in mundum venit ut Patrem glorificaret, ut ipse Servator ait, ad hoc factus est et ad hoc venit in mundum ut omni dein tempore ob hoc solum omne opus perfecit et laborem idcirco maxime sustinuit. Hoc itaque corpus plenitudinis

f. 306

⁽⁴⁾ Jo. 3, 16.⁽⁵⁾ Jo. 17, 4, 6.⁽⁶⁾ Hebr. 1, 3.

divinitatis thesaurus ab omni peccato immune omnem iustitiam implevit et cognatis suis eisdem cum eo generi hominibus ignotum antea Patrem declaravit ab iis ipsis quos docuit quibusque se patefecit ipsum eius corpus in cruce occisum fuit et neci appropinquans timore et agonia correptus, sudoreque suffusus, proditus et comprehensus est, et iniquos sustinuit iudices, « *testimonium reddidit sub Pontio Pilato, bonam confessionem* » * ut inquit Paulus ⁽⁷⁾, cuius quidem confessionis morte poenas dedit, morte autem crucis dorso flagra inflicta, manibus pedibusque clavi infixi, latere vero hasta excepta et flagellis caesus, ac clavis transfixus dolore pene confectus est. Hic ergo sanguis e plagis exiliens, mundum peccati sordibus liberavit. Et sicut lex scripta spirituali lege opus habuit quae illius imperfectionem perficeret, sic qui post sacrum regenerationis lavacrum ad veteres sordes redierunt, magno labore, sudore et lacrimis, sanguine denique Novi Testamenti et corpore occiso indigent, nullo alioqui labore, nullo sudore, nullo gemitu, nullo fletu absque iis profuturo, ut Divinus Dionysius ⁽⁸⁾ ait, qui sacra ipsa mysteria sine sacri convivii virtute non posse quidquam perficere quoad ea quae ad ipsa attinent, ut paulo ante diximus, aperte testatur. Haec autem perfectio non contingit iis qui cum possint frui, sacro convivio abstinere. Ideoque qui semel tantum ad peccatorum remissionem abluunt potest, saepenumero ad sacram mensam accedit; frequenter enim Deum offendimus, scelere autem ac sceleris poena liberare nos neque poenitentia neque labor neque ipsa peccati denuntiatio possunt nisi Christi carnis et sanguinis virtus id efficiat. Quisquis enim corporis et sanguinis Christi particeps non est in morte et interitu permanet. Humana poenitentia cessationem in peccando facit, non vero mortem in mortali natura extinguit nisi mysterii virtus accedat. Corpus Christi ob vitam ipsi inhaerentem ab homine ipsum digne suscipiente corruptionem expellit, veramque vitam ei impertit. Ad hanc vitam Christi iustitia, non nostra nisi quatenus membra sumus Christi, perducit. Hanc ipsam iustitiam maxima quaeque bona statim consequuntur: peccatorum videlicet remissio, regni haereditas quae Christi * iustitiae fructus est. Sicut enim e sacra mensa corpus Christi ferimus, sic et iustitiam nostram christiformem iustitiam fieri consentaneum est. « *Corpus enim Christi sumus et membra de membro* » ⁽⁹⁾.

Hic vero communicatio non est solum intelligenda de corpore sed de anima etiam, deque secundum ipsam operatione. « *Qui enim Deo adhaeret unus spiritus est cum eo* » ⁽¹⁰⁾. Ostenditur hoc ipsum

⁽⁷⁾ 1 Tim. 6, 13.

⁽⁸⁾ De Ecclesiastica Hierarchia, c. 3, n. 1; PG. 3, 423-426.

⁽⁹⁾ 1 Cor. 12, 12 et 27.

⁽¹⁰⁾ 1 Cor. 6, 17.

ex eo quod non corpus solum Christus induit; sed et animam et mentem et voluntatem, quidquid denique, peccato excepto, hominis est, ut totis nobis totus uniretur et nos totos pervaderet et in seipsum immutaret, cunctisque nostris cuncta sua agglutinaret, nimirum humana omnia quae ex nobis humane accepit humanius multo nobis coaptat. Quum nostra accepit Deus ad terram descendit: quum vero eadem nobis reddidit, hominem in coelum conscendere fecit. Illud Deum hominem effecit, hoc hominem in Deum evexit. Illud humanam tantum naturam opprobriis liberavit atque in unius solum corpore et unius anima peccatum devicit. Hoc benignius multo quando non inerat nobis facultas ascendendi ut eorum quae ipsius sunt participes essemus, ipse ad nos descendens nostra assumit ac adeo perfecte iis quae assumpsit cognatus fuit ut per ea quae a nobis accepit et nobis rursus reddidit seipso participare nos faciat: quique carnis et sanguinis humani communicavimus eum ipsum in animabus nostris et Dei corpus et sanguinem et animam Dei et voluntatem nihilo quidem minus quam humana ipsa suscipimus. Magnum certe mysterium quod carnem de carne eius et ossa de ossibus eius per sacram Eucharistiam nos efficit. Hoc ipsum *Apostolus* significans nuptiarum meminit et sponsum Christum ostendit ⁽¹¹⁾. Sponsum sponsam habere tradit. *Joannes* ⁽¹²⁾. Ergo f. 307^v sacra Eucharistia lux et illuminatio est iis qui purgati sunt; unctio * quoque certaturis adversus pravitatem et vitium. Qui purgato oculo sunt nullo alio opus habent ut lumen mundi recipiant; aegritudine vero aliqua laborantibus quae praestantior purgatio erit quam sanguis Christi. « *Sanguis enim Filii Dei lavat nos ab omni peccato* », ut *Joannes* ⁽¹³⁾ prae aliis a Domino dilectus inquit, quis ignorat Christum solum victoriam contra peccatum sustulisse, cuius solum corpus adversus ipsum tropheum est. Hoc dimicantibus opem ferre potest in quo passus ipse et tentatus vicit. Nempe cum nihil carni esset commune cum vita spirituali atque infeste valde et hostiliter inter se haberent, *concupiscit enim adversus spiritum*, non ab re spiritualis caro adversus terrenam carnem excogitata est ⁽¹⁴⁾, carnisque lege carnaliter resolvitur; ac caro cedit spiritui auxiliaturque contra peccatum. Quam ob rem nemo mortalium spirituales agere vitam potest divina hac carne minime conglutinata. Infirmabatur enim lex per carnem indigebatque alia carne quae servare posset; ideoque Deus « *Filium suum misit in similitudinem carnis peccati ut damnaret peccatum in carne* » ⁽¹⁵⁾. Quapropter eius carne semper indigemus et assidue mensa vescimur

⁽¹¹⁾ *Eph.* 5, 30-33.

⁽¹²⁾ *Apoc.* 21, 9.

⁽¹³⁾ *1 Jo.* 1, 7.

⁽¹⁴⁾ *Gal.* 5, 17.

⁽¹⁵⁾ *Rom.* 8, 3.

ut lex spiritus in nobis efficax sit et nullus carnali vitae relinquitur locus et ne detur causa in terram demittendi se, in quam corporum gravitas semper inclinatur si deserantur ab evehente ea in altum.

Est itaque omnium gratiarum perfectum mysterium nihilque perfectis eoque initiatis deest quod non abunde praebeat. Quoniam autem materiae pravitas non sinit sigillum immotum manere, habemus enim hunc thesaurum in vasis testaceis, ideo non semel, ut baptismum, sed assidue pharmacum sumimus. Instauratorem namque semper luto assidere oportet eique immistum imaginem rursus revocare semperque * nos fructum capere ex manu medici, laxam mollemque curante materia f. 308^r
 teriam et mentem collapsam erigente ne praetergrediens mors lateat. Mortui enim hi appellantur qui peccatis irretiti sunt. Convivificamur autem Christo et *sanguis eius lavat conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi* (16). Vitam enim veram in nos sacrae mensae virtus a beato illo corde trahit. Unde et sincere Deo servire possumus. Siquidem munda Dei servitus est, ipsi subiici eique parere ipsoque movente cuncta agere, neque umquam magis Deo quis subiici potest quam membris a capite? Membra autem Christi esse de carne eius et de ossibus eius vera eius caro verusque eius sanguis, verus vitae panis excellentius praestat. Sicut enim per caput et cor membra vivunt, ita *qui manducat me, inquit, et ille vivet propter me* (17). Vivimus namque per alimentum quamquam diverso modo se communis cibus habet. Neque enim ipse vivit, neque e seipso vitam praebere potest. Vitae vero panis ipse est vivus, et per illum vere vivunt qui ipso participant. Unde et vulgaris cibus in edentem convertitur. Hic vero divinus panis manducantem ipsum movet atque commutat et in seipsum transfert. Quo fit ut in filiorum chorum vocemur qui in servorum numerum adscripti antea eramus. Per Eucharistiam enim non membra Christi tantum verum etiam filii efficiamur. Qui quidem Christus sicut carnis et sanguinis nostri participavit ut pater noster fieret: sic et necesse est et nos illius omnium communicare ut eius filii fiamus. Superest ergo ut tamquam membra diligenter ipsi serviamus, tamquam filii laeto animo obtemperemus, quandoquidem quae iuxta rectam rationem ipsi Christo coniuncti studiose agamus, non iam tamquam debita servorum * officia, sed tamquam gratissima filiorum obsequia in conspectu Dei nobis imputantur; quodque servorum opus prius erat immortalique praemio indignum, quoniam quae debuimus facere fecimus ob hanc in filios adoptionem nobis Christo per sacra mysteria colligatis in immensam dignitatem et meritum cedit. Inter sacra vero mysteria, quod perfectissime Christo nos connectit atque unit, quod verum in nobis christianismum perfecit nosque Christi domum perfecte efficit, sacra eius mensa praecipue est, haec nos in vita per alia

(16) *Hebr.* 9, 14.

(17) *Jo.* 6, 57.

Sacramenta inchoata perficit. Haec tabernaculum templumque Christi in nobis corporaliter inhabitantis nos efficit, haec vitam ipsam intra nos ipsos, spiritui carnique nostrae reipsam coniunctam immittit. Haec non verbo solum et aqua ut in baptismo in ipsam vitam nos gignit, sed reipsa vitam augere atque ad eam quam rursus peccantes amisimus, arctissima substantialique cum semper vivente unione, nos veluti secunda quadam in spiritu corporeque perfectissima regeneratione restituit.

CAPUT XVI.

Quare baptismus absque nostro labore nos perficiat, Eucharistia vero laborem exigit, cum brevi totius operis epilogò.

f. 309^r Inter primam illam per baptismum et secundam hanc per Eucharistiam vitam discrimen hoc animadvertendum est quod illa absque ullo nostro labore nobis contingit; hanc vero non nisi magnis doloribus cum etiam et cordis ac animi taedio assequimur. Unde multis de divinissimo Eucharistiae Sacramento subiit * admiratio quo pacto cum perfectissime habeat, minus tamen valere quam baptisma hac parte videatur. Hoc quidem absque ullo labore. Illud vero praecedentibus laboribus ac admissi sceleris poenitentia et accusatione et absolutione gratiam et sanctificationem praestat. Praeterea inter eos qui purgati sunt et eos qui ab initio nullam labem praeter originis culpam acceperunt, nihil discriminis est. In iis vero qui per sacrum convivium purgati sunt, in multis peccatorum vestigia remanent ac ut particulatim manifestus dicamus, in iis qui peccaverunt quatuor considerantur. Primum is qui peccatum commisit, deinde ipsa mala actio, tertio iudicium cui ille obnoxium fit, quarto reatus qui iudicium consequitur. Ab actione quidem mala delinquentem discedere oportet atque ubi desierit ad lavacrum se conferre. Reliqua vero omnia baptismus absque ullius alterius opera omnino de medio tollit. Nam et poenam et morbum atque ipsum adeo qui peccaverit interfecit. Immoritur enim aquis et novus quidam homo est quem reddit lavacrum. At vero sacer panis quum dolentem excipit et laborantem ob commissa peccata expurgat pravo habitu animam, nulla vero ratione interficit, neque enim refingere caelitus novit non quidem prae virium inopia sed quod is ipse ea quae primam regenerationem et formationem afferunt recipere atque amplecti non valeat. Homo enim semel nascitur. Quare et ii ipsi qui carnem et sanguinem Christi sumunt adhuc signa morbi et cicatrices veterum plagarum gestant quatenus minor quam convenit diligentia ac cura circa vulnera ponitur, et ad pharmaci vires minus

aequa animae praeparatio adhibetur. Ergo in purgatione illa per Eucharistiam et hac per baptismum * id differentiae est quod illa neque suffocare dicitur peccatorem aut refingere, sed peccantem solum expurgat, ac ne id quidem absque lacrimis laboribusque tribuit. Haec vero peccatorem ut denuo regeneret interimit. Neque hoc quidem mysterii perfectioni detrahit, sed ipsius rei naturaetribuendum est. Nam sicut baptismus non ideo imperfectior est quia hoc praestare non potest ut eos qui viventes iam et formati sunt rursus regeneret, ita et Eucharistia non minus praestans existimanda est quia ab iis qui vivunt labores et lacrimas exigat. Et hoc quidem summa ratione non caret. Siquidem baptismus nondum constitutis nullaque adhuc vi aut facultate praeditis, qua bonum prosequi possimus, nos gignit, quare non frustra nobis hanc dotem is elargitur ut nulla nostra opera indigeat ut qui nihil ex nobis ipsis conferre valeamus. Sacra vero mensa constitutis iam et viventibus nobis qui sufficere nobis ipsis possimus viribus nostris et armis nobis tributis uti permittit, et quod bonum est prosequi, quippe qui neque gestari neque attrahi opus habeamus, sed nostra sponte atque impetu concitati, atque impulsu currere valeamus. Quid enim necesse erat facere ut acciperemus ea quorum usus nullus esset? Aut quorsum robur et arma tributa sunt si domi stertendum est? Si vero recens natis nobis tempus certaminis ac laborum non erat, equidem ignoro quando tandem nobis ipsis utiles futuri simus. Quid autem hominibus negotii est, religionis, virtutisque curricula sublatis? Amplius vero quid peius in re quae ad nos pertinet quam quum nihil laude dignum faciamus instructum undecumque ad vitia animum habere? Quocirca locum laboris et tempus certaminum hominibus tribui oportuit, viris nimirum perfectis qui mysteriorum participes frunt, possuntque eas quas natura postulat * operationes exercere, et quum illuxit dies quam fecit Dominus non amplius dormire sed dad opus se conferre, et, ut inquit David ⁽¹⁾: « *Ad laborem et opus suum exire hominem usque ad vesperum* ». Quemadmodum enim post diem sequitur nox in qua nemo potest operari ⁽²⁾, ita etiam et ante diem aliquando opus omne exerceri non potest, neque quisquam videt quo vadit, nocte nimirum adhuc terram occupante, in qua, inquit, *qui ambulat nescit quo vadat* ⁽³⁾. Orto autem sole et ubique per mysteriorum vim diffusis radiis, necesse est nullam humani laboris atque operum remissionem fieri, sed comedere panem in sudore vultus, tamquam nostris lacrimis conspersum. Hoc ipsum est quod praecipit Dominus, operari manentem cibum ut non otiosi aut segnes ad coenam hanc sed operantes accedamus. Si enim ignavos a corruptibili mensa Pauli lex abigit, *qui non laborat non manducet*, inquit ⁽⁴⁾

(1) Ps. 103, 23.

(2) Jo. 9, 4.

(3) Jo. 12, 35.

(4) 2 Thess. 3, 10.

quos non labores subeant, necesse est qui ad sacram mensam vocantur.

An vero hic labor, haec ipsa corporalis cum Christo coniunctio quam per dignam Eucharistiae sumptionem adipiscimur amplius aliquid sit praestitura corporibus nostris quo spiritualiter tantum coniuncti carebunt, compertum mihi certe non est. Quamquam non desunt qui haud sine causa dubitent an corpora eorum qui in hac vita manentes corpori et sanguini Christi in sacris mysteriis vere et sacramentaliter communicarunt signaculum aliquod quod characterem non audent appellare sint habitura, per quod spiritualiter corporaliterque Christo uniti ab aliis dignoscentur, cum iuxta P a u l u m ⁽⁵⁾ magnum futurum sit discrimen inter *unius et alterius stellae claritatem* manifestoque signo crucis fideles ab infidelibus distinguantur; diversis quoque mansionibus diversis etiam signis habitatores distinctis assignantur. Unde f. 310^o et in P a u l o ⁽⁶⁾ * et in J o a n n e ⁽⁷⁾ nonnumquam *signati* dicuntur servi Dei credentes et Spiritum Sanctum in se habentes. Sed cum P a u l u s ⁽⁸⁾ *stagnata Domini nostri Jesu Christi portare se in corpore suo testetur*, eademque Beatus Franciscus revera in carne sua impressa habuerit, haud absurdum videtur eorum corpora, in quibus Christus naturaliter mansit eiusque corpore et sanguine in vitam aeternam nutriti sunt aliqua accidentali praerogativa veluti signo quodam distingui; praesertim quum utrumque postem sanguine agni signari iussum ⁽⁹⁾, utramque hominis partem corpus scilicet et animam significare sanctorum testimoniis ostenderit, sigillumque quod divina vis ac gratia semel impressit in perpetuum duraturum rationi consentaneum videtur. Caeterum si quae inter novo Christi fermento conspersam carnem et infermentatam distinctio futura sit, in hac caliginosa vita perspicue intelligere nequimus; percipiemus tamen quando Deus sine velamento videbitur et participabitur, quando ipsum perspiciemus sicuti est; quando aquilas ad cadaver congregabit, quando fulgebit in nubibus et per eum iusti resplendent sicuti sol; et ut ei coniuncti quos novit mensa coniungere, immortalitatem et gloriam assequantur. In illo enim die Christus dixit ⁽¹⁰⁾: « *Vos cognoscetis quia ego in Patre meo, et vos in me, et ego in vobis* ». « *Quando enim, ut ait Paulus ⁽¹¹⁾, Christus vita nostra apparebit, tunc et nos apparebimus cum eo in gloria. Reformabit enim humilitatis nostrae corpus* », hoc inquam non aliud corpus ad gloriam suam reformabit. In illum usque diem vita nostra abscondita est in Christo Jesu.

⁽⁵⁾ I Cor. 15, 41.

⁽⁶⁾ Eph. 1, 13; 4, 30.

⁽⁷⁾ Apoc. 7, 4.

⁽⁸⁾ Gal. 3, 17.

⁽⁹⁾ Exod. 12, 22.

⁽¹⁰⁾ Jo. 14, 20.

⁽¹¹⁾ Philip. 3, 21.

CAPUT XVII.

Responsio ad quintam objectionem.

Quinta obiectio tantum evincit minime carni nostrae ex carne Christi virtutem inseri per quam caro nostra ad immortalitatem et incorruptionem * praeparatur atque renovetur per virtutem aliquam f. 311^r corpoream ex Christi corpore in animam et corpus nostrum promanantem, quae in carne digne surmentis Christi corpus imprimitur. Huic sententiae ne nostra quidem refragatur, quamquam non deerit fortassis qui non paucis naturae exemplis allatis contendat non deesse Christi carni virtutem per quam vim corpoream (1) in corpus proxime immittat, quemadmodum ficui non deesse philosophi asserunt quae furentem taurum ei alligatum mansuescere faciat, neque brassicae quae iuxta rutam seri non patitur, neque fulmini a quo aurum colliquatur intacto loculo et vina vase in quo continentur illaeso. Chordae quoque unisonae in cithara, qua tacta alia eiusdem sono movetur. Herculeo denique lapidi qui ferrum ad se trahit. Haec omnia et nos fatemur quorum causa a philosophis reddi potest inexistens similitudo aut dissimilitudo. Nam in singulis quibusque species similes vel dissimiles e corpore quanto et extenso, in aliud itidem corpus quantum et extensum emittuntur. Quoniam tamen in Eucharistia diverso nimis modo caro Christi inexistit, longe alia ratio habenda est de virtute ab ea promanante ac de vi corporea aliarum quas retulimus rerum. Quare cum neque Sancti Patres nec theologi recentiores de ea re loquuti sint, sententia multorum est vim atque virtutem ex hac naturali unione quam carni nostrae inseri dicimus, qua corpus nostrum ad gloriam et incorruptionem praeparatur et renovatur a virtute spirituali proficisci quam nullam aliam existimant quam gratiam sacramentalem, ut cum B. Thoma (2) loquar, quae in animam illabitur et eius virtus in carnem profluit; quae, ut saepius diximus, a divinitate Christi profecta per humanitatem animae latebras penetrat et secundario secundum virtutem in corpus redundat. Secundario inquam, non per se et principaliter, ut a sententia theologorum dicentium corpus in * rem f. 311^v incorpoream imprimere non posse haud recedamus. Quamquam diversus valde est sermo de corporibus naturalibus quantis et extensis et de corpore Christi divino et glorioso, a quo peculiari quadam divini huius Sacramenti ratione effectoque, vis atque virtus illa vivificativa nobis ad immortalitatem et gloriam inseritur, ut in hac decima ratione asserimus et plenius comprobabimus praeter innumera alia loca libro secundo a nobis allata, quae id ipsum maxime confirmant.

(1) Cf. V. CONTENSON O. P., *De Theologia mentis et cordis*, I. 11, pars 2, diss. 3, c. 2, n. 9.

(2) *S. Th.* 3, q. 62, a. 2.

An hoc sentiat Jacobus ⁽³⁾ dum carbonem igneum vocat, an Irinaeus ⁽⁴⁾ dum dixit eo cibo augeri nostrae carnis substantiam; an Cyrillus ⁽⁵⁾ dum liquefactae cerae et ignis scintillae confert, an Chrysostomus ⁽⁶⁾ cum scripsit per hoc sacramentum reipsa nos in carnem Christi converti et in unam quasi massam per sacra mysteria reduci, an Theophylactus ⁽⁷⁾ candenti ferro comparans, an Augustinus his verbis ⁽⁸⁾: « Cresce et manduca, non tamen me mutabis etc. », an caeteri Patres et theologi dum fermento, dum conspersae farinae, dum cibo ceterisque rebus multis satis accommodate assimilant, eruditorum piorumque hominum esto iudicium. Caeterum ne pro libito haec omnia a me conficta arbitreris, lege B. Thomam de hac unione loquentem in 3 parte, q. 79, art. 1 ad 3. Quo in loco tria docet: Primum quod licet corpus non sit immediatum subiectum gratiae, per animam tamen eius vim in carnem profluere. Secundum in animam redundare gratuitos effectus in corpus. Tertium in futuro corpus nostrum sortiturum incorruptionem et gloriam animae. Quibus verbis idem quod Cyrillus ⁽⁹⁾ et Patres sensere asseverat, per esum scilicet huius cibi corpora nostra peculiari quadam ratione ad immortalitatem praeparari et disponi, adeo ut in cineribus ipsis eorum * qui in gratia discesserunt, post gustum divini huius cibi, vires huius escae perseverent, ita ut non secus ac tritici granum post mortificationem aretius et cumulatius e terra consurgit corpora eorum post inanitionem cinerum virtute carnis vivificatricis unum effecta cum capitali grano tandem ad auctiorem gloriam consurgant. Ad haec dum idem Thomas in 4 Sent. d. 12., q. 2, art. 1. proprium effectum Eucharistiae asserit transformationem hominis in Deum, quid aliud sentit quam quod Roffensis ⁽¹⁰⁾ qui in libro 3 cap. 15 contra Oecolampadium ex professo hanc sententiam adstruit.

f. 312^r

⁽³⁾ *Liturgia S. Jacobi*; ed. BRIGHTMAN, *Liturgies Eastern and Western*, Oxford 1896, v. I, p. 63, n. 20.

⁽⁴⁾ *Adv. Haereses* I, 5, c. 2, n. 2-3; PG. 7, 1126-1127.

⁽⁵⁾ *In Jo.* I, 4, c. 2; PG. 73, 582-583.

⁽⁶⁾ *Hom. 46 in Jo.* n. 3; PG. 59, 260.

⁽⁷⁾ *In Jo.* 6, 57-59; PG. 123, 1311.

⁽⁸⁾ *Conf. I.* 7, c. 10; PL. 32, 742.

⁽⁹⁾ Cf. S. CYRILLUS A., *In Jo.* I, 4, c. 2; PG. 73, 582.

⁽¹⁰⁾ *De veritate corporis et sanguinis Domini adv. Oecolampadium*, Wirceburgi 1597, p. 96.

CAPUT XVIII.

De eadem substantiali corporalique cum Christo unitate ex Scholasticorum sententia moreque quaestionis exposita.

1. Quaestio an praeter unionem spiritualem qua digne sumentes Christi corpus eidem uniuntur et incorporantur, sit alia naturalis et substantialis unio inter eandem Christi carnem et eam quae digne sumentis est.

Haec controversia certis quibusdam assertionibus terminanda compluribus videtur, quarum prima est: Natura et naturale non uno modo sed multis dicuntur, ut Plato et Aristoteles caeterique philosophi et plaeclarissimi theologi scribunt.

Secunda: Unitas et unum itidem multipliciter sumuntur ut iidem * auctores asserunt. Sunt et unius sicut et naturae totidem significatio- f. 312^v
nes.

Tertia: Caro Christi etiam si vere et realiter sit in Eucharistiae Sacramento non est tamen ibi localiter, visibiliter et dimensive, sed modo spirituali invisibiliter et per modum substantiae ita ut in toto sit et tota in qualibet parte. Nostra vero caro quanta est, visibilis, dimensiva totaque in toto et pars in parte ut caeterae res quantae et corporales sensibiles atque tractabiles.

Quarta: Gratiam sacramentalem a Christi divinitate per eiusdem humanitatem profluere conspicuum est. Tamen cum in caeteris Sacramentis Christi humanitas solum secundum virtutem reperiatur, in hoc vero secundum rem, hinc consequitur quod in Eucharistia proficiscitur ab humanitate tamquam ab instrumento secundum rem coniunctum. In aliis, tamquam a separato. Unde fit ut copiosior etiam esse possit, si causam respicias, quam ab hoc profluit quam quae ab aliis.

Quinta: Aliter unitur nobis Verbum in baptismo quam in Eucharistia. Quia in baptismo ad instar generantis ad genitum; in hoc tamquam cibi ad cibum recipientem.

Praefatis assertionibus admissis, ut par est, tres coinferuntur conclusiones *:

Prima: Digne corpus Christi sumentes in Eucharistia spiritualiter Christo uniuntur et incorporantur.

Secunda: Praeter unionem qua digne suscipientes hoc Sacramentum spiritualiter Christo incorporantur, est alia quaedam substantialis unio propter praesentiam veri Christi corporis et sanguinis intra corpus digne suscipientis immissi, qua Christus non ut Deus tantum animae fidelis coniungitur, sed ut homo carni quoque nostrae arctissime copulatur.

Tertia: Ex hac arctissima substantialique carnis Christi cum carne nostra coniunctione unitas substantialis naturalisque inter nos et Chri-

f. 313^r

stum per gratiam sacramentalem, si cum B. Thoma loqui volumus, quae ex hoc Sacramento proficiscitur emergit: quae postquam in animam primum influit, in corpus etiam ex ipsa anima secundario derivatur, peculiarique quadam ratione corpus nostrum ad immortalitatem et incorruptionem praeparat. Quam ob rem corporalis etiam a Patribus appellatur.

Hae conclusiones tot Scripturae locis, Patrum sententiis corroborantur, ut nullus sit qui evertere eas vel labefactare possit. Quapropter non arbitror controversiam esse an ea sit, sed quomodo nobis obveniat. Quem modum inquirere non tam ut curiosi videamur operae pretium est, sed ut eam superbe negantes in viam redigantur. Ad investigandum autem modum tres itidem sententiae statuuntur *:

f. 313^v Prima: Unio spiritualis fit per gratiam sacramentalem ex hoc cibo divino profluentem.

Secunda: Unio substantialis per praesentiam Christi substantiae sub speciebus contentae fit. Naturalis vero et corporalis inter Christi carnem et eam quae digne sumentis quae ad illam spiritualementem subsequitur, fit etiam per gratiam sacramentalem copiosissimam et superfluentem; qua sicut anima primum per se capiti Christo unitur, ita subsequenter et caro Christi carni copulatur per quamdam derivationem et redundantiam.

Tertia: Cum talis unio non fiat ex eo quod caro Christi carni digne sumentis ipsa extensive et quantitative coniungatur, neque ab aliqua virtute corporea ex Christi carne promanante quae in digne sumentis carne imprimitur, consequitur ab aliqua virtute spirituali proficisci quae primo animam, deinde carnem Christo capiti connectit; nec aliam arbitrantur hanc virtutem spiritualementem esse quam gratiam, quam sacramentalem B. Thomas appellat ⁽¹⁾; quae in animam illabitur et eius virtus in carnem profluit et redundat; quae gratia a divinitate Christi promanans per humanitatem animae latebras penetrat et subinde per virtutem in corpus derivatur.

f. 314^r His traditis superest nonnullos scrupulos qui suboriri possent dissolvere *:

1^o Quae sit ratio ob quam non secundum animam solum, verum etiam secundum carnem Christo in hoc Sacramento uniamur.

2^o Unde est quod ex anima in carnem derivatur et non proxime ex carne in carnem imprimitur.

3^o Ea unio cur naturalis fuerit ab antiquis vocata, cum sit per gratiam quae supranaturalis est et divina qualitas.

4^o Quomodo a iunioribus vocata sit, et quam ob causam.

5^o An hae uniones, quae ab antiquis varia nomina sortitae sunt, distinctae sint an non.

(1) S. Th. 3, q. 62, a. 2.

Primus scrupulus facile dissolvitur differentia huius eximii Sacramenti a reliquis considerata, cum in hoc Christi humanitas et persona secundum rem sit. Quapropter gratia sacramentalis quae a divinitate Christi per eius humanitatem in hoc Sacramento derivatur, intimius incorporat, quia in hoc profluit ex carne Christi tamquam ex instrumento coniuncto, in quo vere et realiter inexistit.

Ad 2.um. Constat animam esse corpore multo praestantiorem et a qua corpus ipsum omnem perfectionem accipit. Unde Augustinus ad Dioscurum (2) ait: « Tam potentem Deus animam fecit ut eius plena felicitate redundet in corpus sanitas et vigor incorruptibilis ». Mediante quoque anima Christus Dominus carnem sibi univit. Corporis denique dotes ex anima derivantur, et nihil obstat gratiam spirituales et incorpoream in corpus agere posse, nimirum indirecte et subsequenter, quemadmodum corpora coelestia in intellectu indirecte agere dicuntur. Item eo modo quo vires * inferiores subditae fuerunt f. 314' in statu innocentiae rationi.

Ad 3.um. Constat naturalem et substantialem vocatam quia carnis ad carnem est. Quid enim carni naturalius est quam carni coniungi? Et licet caro Christi gloriosa sit et divina, et medium ipsum sit gratia supernaturalis, tamen quia extrema ipsa specie et natura conveniunt, idcirco dicuntur naturaliter uniri. Coecus enim a nativitate quamvis miraculose visum recipiat, naturaliter tamen deinde cernit.

Ad 4.um. Scholastici sub voce « spiritualis » utramque unionem complexi sunt. Sentiunt enim per hoc Sacramentum digne sumptum totum hominem Christo incorporari.

Ad 5.um. Si medium respicimus, idest gratiam quae una et eadem est distinctas esse has uniones negabimus. Si vero extrema considerentur, diversae erunt, quia per spiritualem anima, per naturalem caro Christo capiti suo uniuntur. Praeterea spiritualis sine naturali reperitur, non tamen naturalis sine spirituali. Nam per cetera Sacramenta anima, per hoc anima et corpus Christo incorporantur. Et quemadmodum subiecta res et propria affectio distingui dicuntur tamquam causa et effectus, tamquam prius et posterius, ita hae uniones differre existimantur. Nec dicendum est eodem per omnia modo nos Christo uniri per debitam aliorum Sacramentorum sumpcionem atque uniri per hoc Sacramentum in quo carnem Christi revera accipimus et eadem fruimur; in quo non anima solum sed caro etiam ipsa admiranda dona ac beneficia recipit cum in praesenti tum in futuro et disponitur ad vitam et incorruptionem et immortalitatem, ut Thomas in 3 part. q. 79, art. 1, ad 3, qui adductis verbis Cyrilli ait: « Ad 3.um dicendum quod quia Sacramenta * operantur salutem quam si- f. 315' gnificant, ideo secundum quandam assimilationem dicitur quod in hoc

(2) Ep. 118 Dioscuro; PL. 33, 439.

sacramento corpus offertur pro salute corporis et sanguis pro salute animae; quamvis utrumque ad salutem utriusque operetur cum sub utroque totus sit Christus. Et licet corpus non sit immediatum subiectum gratiae, ex anima tamen redundat effectus gratiae in corpus dum in praesenti membra nostra exhibemus *arma iustitiae Deo*, ut *Rom. 6* ⁽³⁾ habetur, et in futuro corpus nostrum sortietur incorruptionem et gloriam animae.


* * *

Tempus est ut huic de vi ac virtute Sacramenti Eucharistiae carnem ad immortalitatem et incorruptionem praeparantis commentationi, quam tamquam appendicem quatuor de unitate naturali a nobis conscriptis libris addidimus, finem imponamus, concludamusque nihil hoc divino Sacraento excellentius, nihil praestantius Ecclesiam habere, quandoquidem per corporis et sanguinis Domini participationem etiam iuxta naturam et substantiam unum cum Christo fit, quaeque per eundem spiritum in unum cum Christo corpus redigitur, eodem tempore vescens, eundem sanguinem bibens Christo capiti vivo viva connectitur. Et quemadmodum hoc Sacramentum caeteris Sacramentis sublimius et augustius hoc ipso est quod in aliis exterior species nullam substantiae mutationem subit, aqua enim baptismatis aut oleum chrismatis consecrata eandem naturam substantiamque retinet; in hoc vero praepotenti Divini Verbi virtute panis et vini natura ita mutatur, ut post consecrationem, quae ante panis et vinum, sint substantialis caro et sanguis Christi; ita eius tanta vis et efficacia est ut cum ipso digne communicans, ita intime et omnimode coniungatur, ut Christus in ipso et * ipse in Christo inveniatur, ac Christi corporis membrum de carne et de ossibus eius efficiatur, thesauro illo percepto in quo omnia peccata remittuntur, in quo mors aboletur, in quo vera vita communicatur. Non enim minus Christi corpus vivificat omnipotenti Verbo coniunctum, quam ipsum Dei Verbum, de quo Apostoli dixerunt ⁽⁴⁾ *: « *Domine quo ibimus? Verba vitae aeternae habes* ». Nempe Christi caro Verbo Dei, quod naturaliter vita est, unita, vivifica facta est. Qua de causa Christus in suscitandis mortuis non verbo tantum ut Deus utebatur, verum etiam carnem suam veluti cooperatricem adhibebat tactu eos excitans ut corpus quoque suum vivificare posse ostenderet. Quod si solo tactu suo mortuus homo excitatur et corrupta redintegrantur, quomodo non vivent qui carnem illam pio pectore gustant et manducant? Reformabit enim prorsus participes sui ad immortalitatem suam non quidem ut iam statim a temporali morte liberentur, sed ne moriantur in aeternum habentes interim secundum spiritum vitam aeternam in pace et requie conscientiae. Ac postremo caro quoque in novis-

⁽³⁾ *Vers. 13.*

⁽⁴⁾ *Jo. 6, 68.*

simo die resuscitanda vita aeterna non carebit. Porro oportuit ut non solum animam per Spiritum Sanctum vitam consequeretur, verum etiam ut rude atque terrestre hoc corpus cognato sibi gustu, tactu et cibo ad immortalitatem reduceretur. Quicumque ergo peccatorum suorum ex animo pertaesus contrito et humiliato spiritu eorum remissionem per poenitentiae Sacramentum modis omnibus assequi laboret, subindeque hoc Sacramentum percipiat, certum se pignus remissionis peccatorum, vitae aeternae immortalitatis et carnis incorruptionis capere plene confidat, * impertitione Christi corporis inaestimabilis protecto thesauri f. 316^c de tantis donis ab ipso Christo certior redditus, cui non fuit satis se pro nobis in mortem tradere, nisi et se nobis in cibum daret, ut in eo salvati et renovati ex eo vivamus ac grandescamus atque adeo in ipsum convertamur. Quae ut aliqua ex parte contemplari animoque infigere valeamus, ipsum Deum incessanter precemur qui interiores nostrae mentis oculos divina sua luce illustret, ut fide viva, corde puro, conscientia non ficta, ineffabilem eius benignitatem aliqua ex parte percipiamus, atque haud indigne ad Deum accedamus ab ipsoque qui solum nos erudire potest edocti, per ipsum eum quaeramus et in ipso conquiescamus ac tandem per divinum hoc Sacramentum ita ei connectamur ut membrum capiti coalescit et palmes viti colligatur ac denique ita ipsius virtute vivamus ut eius donis in aeternum fruamur, cui honor in saecula saeculorum. Amen.



INDEX NOMINUM

I

PROLEGOMENA

- Abercius H. VI.
Acta Conc. Trid. XV n, XVI n, XX n.
 Agramunt P. LXXV.
 Albertini V. LXIV n.
 Allen P. S. XIII n.
 Allevi L. XXXI n, XXXVI n.
 Alonso Getino L. G. XXXIII n,
 XXXVI n.
 Amann E. XXXIV n.
 Antonius N. XI n, XII n, XIII n, XXIX.
 Aponte H. de XXII.
 Archintus Ph. XVII.
 Arriaga R. de LXXI.
 Astrain A. XVII n, XVIII n.
 Augustinus S. V
 Azpilcueta M. de XXI.
- Bañez D. XXXVI.
 Bataillon M. XII n.
 Becanus M. LXXI.
 Belluga Card. L. LXXV.
 Beltran de Heredia V. XXXVI n.
 Bertini G. M. XXXIV n, XXXVII n.
 Borghi L. XXXI n.
- Cajetanus Card. XXXI.
 Canus M. XVII, XXXV, XXXVII.
 Carca-Caraffa A. XI n.
 Carolus V. XIV, XV, XVI, XVIII,
 XXIII.
 Coninck Ae. LXXI.
 Crockaert P. XXXIV, XXXV.
- De Rettana G. F. XXXIV n.
 Dutonguet H. LXXV n.
- Ehrle Card. F. XXXVI n, XXXVII n.
 Erasmus R. XXXI-XXXIII.
- Faber Stapulensis XXXIX.
 Fisher I. Card. Roffensis S. XXV,
 XXVII.
 Fraile G. XXXVI n.
- Florenz E. XX n, XXI, XXII n, XXIII,
 XXIV n, XXV n.
 Foscarari Ae. XVII.
 Fugandez S. LXIX.
- Gener I. B. LXXV.
 Giaccon C. XXXI n.
 Giovanni della Croce S. XXXVIII n.
 Godet P. XXXI n.
 Gonzales Davila G. XII n, XIII n, XIV
 n, XVIII n, XIX n, XX n, XXI,
 XXIV n, XIX.
 Grabmann M. XXI n.
 Granada J. LXXXIII.
 Graux C. XXIII n.
- Henao G. LXXIII.
 Henriquez H. LXIV n, LXV n, LXVIII
 n.
- Heubel C. XIV n.
 Hoornaert R. XII n, XXXVIII n.
 Huizinga I. XXXI n.
 Hurtado G. LXXIII.
 Hurter H. XXXVII n.
- Jaquin M. XXXV n.
 Ioannes a S. Thoma LXVIII n.
 Iulius III Papa XV.
- Kirch C. V
- Luis de Leon (Ludovicus Legionensis)
 LXIV n, LXV.
- Madalena T. LXXV.
 Mandonnet P. XXI n.
 Mamucci U. XXX.
 Marcantes A. XX, XXVI, XXVII.
 Marega I. XXXI n.
 Martinez P. LXV-LXVII.
 Martinez Sanz M. XIX n.
 Massarelli A. XV.
 Mastrius B. LXXI.

INDEX NOMINORUM

- Medina B. XXXV.
Mendoza Ferdinandus XVIII, XXVIII.
Menendez y Pelayo M. XXXVI.
Mercati A. XV n.
Merkle S. XVI n.
Monimenta Historica S. I. XVII n,
XVIII n.
Oldoinus A. XI n, XX n, XXIII n,
XXIV n.
Ortega Alonso XVIII n, XIX n, XX n,
XXVII n, XXIX.
Pastor L. von XV n, XVI n, XVII n.
Paulus III Papa XV.
Perez Goyena A. XXXVI n.
Philippus II XVIII.
Pintianus F. XII.
Piolanti A. XXVI n.
Polman P. XXXVIII n.
Pourrat P. XXXVIII n.
Prado M. del LXIX.
Quoniam Th. XXXI n.
Rabago F. LXXXV.
Raguera E. I. de la LXXXV.
Reding A. LXXI.
Ruiz S. XI n, XIV n, XVI n, XXIV n,
XXIX.
Salmanticenses LXXI.
Schroeder F. VII n.
Schottus A. XI n, XXII.
Selleri G. LXXXV.
Solana M. XXXVI n.
Suarez F. LXVIII, LXIX-LXX,
Tacchi-Venturi P. XVI, XVII n.
Tanner A. LXIX.
Tapia D. de LXVII.
Tavera I. XIV.
Toletus Card. F. XXXVII.
Thomassin L. LXVIII.
Urriza I. XI n.
Vasacus I. XI n, XXI.
Vasquez G. XXIV, XXVII, LXIV, LXV
n, LXXI-LXXIII.
Venegas A. XXIII.
Vian F. XXXVII n.
Victoria F. XIII, XXXIII-XXXIV.
Villoslada R. G. XXXIV n.
Vosté I. XXXI n.
Volpicella A. LXXVII.
Vulcanius B. XXII.
Wiggers I. LXIX.
Ximenes de Cisneros Card. XXXIV.
Ysambertus N. LXIII.
Zurita H. XV n, XXI.

II

TEXTUS

- Adrianus Finus. 70.
Albertus Magnus. 4 n, 9, 20, 33, 56,
120, 139, 167, 188, 281, 298, 321.
Alcuinus Ps. 250.
Alexander Halensis. 82, 196.
Alexander I Papa.
Algerus Leodiensis. 50, 66, 187, 203,
242, 256.
Altaner B. 66 n.
Amann E. 18.
Ambrosius S. 41, 108, 151, 164, 227,
263 n, 293, 375.
Ambrosius Traversari. 73.
Ammonius A. 33, 65.
Anastasius A. 31, 132.
Anastasius Sinaita, 137.
Anselmus S. 49, 81, 167, 180, 210, 251,
324, 346, 351.
Apollinarius. 199.
Arcadius. 10.
Archidiaconus (Guido de Baiisio). 69.
Aristoteles. 122, 129, 130, 135, 200, 224.
Athanasius S. 7, 14, 44, 49, 107, 121,
150, 173, 174, 179, 182, 206, 208, 212,
229, 231, 239, 262, 316, 326, 369, 370,
374.
Athanasius Ps. 131, 135, 136, 173, 175,
183.
Augustinus S. 28, 44, 55, 59, 79, 94, 95,
108, 109, 110, 125, 145, 152, 166, 169,
171, 179, 180, 192, 196, 202, 205, 210,
211, 213, 222, 242, 263, 285, 289, 293,

INDEX NOMINORUM

- 300, 303, 306, 307, 308, 309, 310, 332,
335, 338, 351, 372, 394, 397.
- Augustinus Ps. 30 n.
- Athenagoras S. 299.
- Avitus Viennensis S. 50.
- Batiffol P. 17 n, 242 n.
- Bareille G. 5 n, 94 n.
- Basilius S. 23, 31, 339, 380.
- Beda Venerabilis. 240, 249.
- Berengarius Turonensis. 18.
- Bernardus S. 108, 118, 296.
- Bernardus Ps. 81, 93, 153, 192, 209, 210,
334.
- Bertocchi P. 26 n.
- Billot L. Card. 129 n, 146 n.
- Bonaventura S. 286.
- Brightman. 221 n, 233 n, 266 n, 284 n,
33 n, 361 n, 362 n, 394 n.
- Bruno Carthusiensis S. 352.
- Cabasila N. 26, 46, 48, 83, 115, 116,
193, 234, 312, 364, 373, 384.
- Caesarius Arelatensis S. 242 n.
- Cajetanus Card. 180.
- Cappuyus M. 18 n.
- Capreolus Carthaginensis II.
- Claudius Bellisoccensis. 70.
- Chrysostomus Io. S. 8, 25, 30, 41, 43,
49, 51, 77, 78, 89, 92, 102, 112, 131,
132, 161, 165, 173, 191, 198, 210, 212,
222, 232, 282, 283, 288, 290, 294, 295,
301, 326, 372, 380, 382, 394.
- Clemens R. Ps. 55.
- Clemens V. 105, 141, 287.
- Clichtoveus I. 146.
- Concilium Coloniense (1536). 57, 71.
- Concilium Toletanum XII (681). 163.
- Concilium Trid. 25 n, 106, 143, 217,
248, 305.
- Contarinus G. 28.
- Contenson V. 393 n.
- Cristiani L. 19 n.
- Cuthebertus Tonstallus.
- Cyprianus S. 76, 188, 244, 294.
- Cyprianus Ps. 75, 106, 132, 147, 148,
255, 348, 377.
- Cyrellus A. 8, 9, 18, 28, 30, 37, 38,
40, 41, 43, 49, 52, 60, 61, 63, 64, 85,
87, 91, 92, 107, 111, 118, 140, 141,
142, 153, 165, 166, 172, 174, 184, 185,
189, 201, 211, 214, 219, 220, 221, 222,
225, 226, 233, 236, 240, 255, 263, 264,
265, 273, 277, 282, 291, 296, 301, 303,
325, 342, 363, 366, 367, 372, 379, 383,
394, 397.
- Damascenus Jo. S. 31, 36, 73, 79, 89,
122, 130, 133, 134, 135, 155, 160, 163,
206, 221, 233, 248, 252, 262, 270, 307,
308, 312, 313, 33, 334, 362, 381.
- De Backer E. 23 n.
- Decretales Gregorii IX. 286.
- Deden D. 23 n.
- Demetrius Chomitanus. 130, 164.
- De Ghellinek I. 23 n.
- De Plinval G. 303 n.
- Dodds E. R. 276 n.
- Dionysius Ps. Areopagita. 9, 10, 13, 30,
44, 46, 48, 72, 73, 87, 87, 90, 96,
130, 138, 161, 163, 165, 167, 170, 172,
175, 178, 180, 181, 186, 190, 201, 233,
254, 264, 268, 269, 276, 277, 278, 279,
312, 318, 319, 324, 325, 326, 347, 370,
378, 379, 380, 387.
- Dionysius Carthusianus. 83, 231.
- Durandus. 321.
- Ephrem S. 80, 171, 210.
- Eusebius Caesariensis. 292, 338.
- Eusebius Emisenus. 242.
- Euthymius Zigabenus. 31 n, 37, 81, 292.
- Filograssi I. 145 n.
- Franzelin I. B. Card. 145 n.
- Fulgentius Ruspensis S. 108 n.
- Gaudel A. 18.
- Gratianus. 60, 249.
- Gelasius Cyzicensis. 295 n, 300 n.
- Gregorius M. 50, 227, 250, 316, 341.
- Gregorius (Naz. (theologus)). 166, 233,
313, 370.
- Gregorius Nyss. 65, 77, 132, 195, 207,
208, 228, 233, 297, 298, 311, 313, 322,
335, 360, 381.
- Gropper Jo. 30 n, 70.
- Gross I. 173 n.
- Franceschini E. 72 n.
- Haymo Alberstadiensis. 187.
- Hieronymus S. 26, 31, 41, 59, 164, 250,
293, 314, 338.
- Hilarius Pietaviensis. 10, 30, 33, 36, 37,
38, 56, 57, 86, 88, 93, 96, 107, 140,
152, 190, 214, 224, 241, 271, 272, 293.
- Hosius Stanislaus 71, 275, 352.
- Hugo de S. V. 108, 154, 250.
- Hurter H. 72 n.

INDEX NOMINORUM

- Innocentius III. 10, 33, 38, 82, 90, 105, 123, 225, 234, 252, 270, 291, 324, 334.
 Irinaeus. 40, 49, 54, 74, 83, 88, 96, 101, 106, 112, 145, 146, 191, 207, 208, 221, 292, 299, 301, 347, 394.
 Isidorus Hispalensis S. 23 n.
 Isidorus Pelusiotus. 65, 137, 205, 284, 335, 377, 382.
 Iugie M. 128 n.
 Iustinus S. 74, 191.
 Lincolnensis (Robertus Grossatesta). 72 n, 167, 269.
 Lanfrancus Cantuariensis. 263.
 Leo Magnus. 80, 102, 176, 191, 201, 261, 325, 351.
 Liturgia S. Basilli. 233, 266, 381.
 Liturgia S. Iacobi. 221, 334, 352-353, 358, 361, 362, 380, 394.
 Liturgia S. Io. Chrysostomi. 284.
 Lugo Io. Card. 102 n.
 Lutherus Martinus. 304.
 Mansi D. 57 n, 95 n, 163 n.
 Matronola M. 19 n.
 Maximus Confessor S. 5, 73, 94, 130, 161, 163, 169, 170, 172, 201, 231, 273, 274, 344.
 Merlin N. 306 n.
 Nestorius. 17.
 Nicephorus Callistus. 292.
 Nicephorus Gregoras. 13.
 Nonnus Panopolitanus. 182, 184.
 Oecolampadius. 19, 94, 104, 105, 109, 112, 145, 149, 150, 375.
 Oecumenius. 89.
 Odo Camaracensis. 202.
 Origenes. 31, 107, 150, 153.
 Parente P. 128 n, 303 n, 304 n.
 Paschasius Radbertus. 66.
 Paulus Burgensis. 180, 184.
 Petit L. 164 n.
 Petrus Lombardus. 334, 338.
 Photius. 166.
 Philastrinus Brixiensis S. 94.
 Picus Io. Mirandulanus. 60.
 Piolanti A. 4 n, 33 n, 146 n, 321 n.
 Poukens I. 23 n.
 Plato. 278, 280, 317.
 Plotinus. 276.
 Polman. 5 n, 20 n.
 Proclus Lycius. 276.
 Rabanus Maurus. 50, 81.
 Roffensis Io. Fisher S. 19, 20, 22, 42, 62, 69, 110, 113, 141, 149, 150, 152, 193, 347, 372, 394.
 Rupertus Tutiensis. 85, 225, 235, 237, 282, 322, 370.
 Salaville S. 26 n.
 Scheeben. 17 n.
 Stephanus Ednensis (De Balgiaco). 202.
 Stolz A. 23 n.
 Tapper R. 51, 71.
 Tertullianus. 54, 92, 156 n, 241, 301, 302, 314, 336.
 Teutonicus Io. 68, 96, 321.
 Theodoretus. 48, 179, 263.
 Theodosius Imperator. 140.
 Theophylactus. 43, 80, 89, 111, 167, 199, 206, 208, 222, 394.
 Thomas Waldensis. 20, 51, 57, 139, 167, 227, 228, 269 n, 270.
 Thomas de Aquino. 8, 26 n, 30 n, 37, 39, 44 n, 45 n, 67, 68, 82, 84, 85, 89, 90, 109, 112, 122, 126, 133, 146, 154, 171, 176, 188, 189, 195, 196, 208, 218, 221, 225, 231, 232, 239, 240, 247, 248, 254, 256, 258, 271, 281, 282, 286, 288, 305, 320, 332, 335, 343, 352, 365, 382, 393, 394, 396, 397.
 Tromp S. 45 n, 290 n.
 Tunstallus Cuthbertus. 20, 22 n, 150.
 Vasquez G. 162 n.
 Vincentius Lirinensis. 6 n, 95.
 Urbanus IV. 141, 161.
 Wagner A. 314 n.
 Wesselus Groningensis. 341.
 Wiclegg. 19, 227.
 Zuinglius. 19, 20, 94.

INDEX RERUM

I

PROLEGOMENA

	Pagg.
Dicatio	V
Prooemium	VII-VIII
Cap. I: Curriculum vitae	XI-XX
Cap. II: Opera	LXXI-XXX
Cap. III: Nova theologiam tractandi ratio	XXXI-XL
Cap. IV: Praecipuum doctrinae caput	XLI-LXIII
Cap. V: Doctrinae fortuna	LXIV-LXXVI
Conclusio	LXXVII
Praenotamina ad utilitatem legentium	LXXIX

II

TEXTUS

EPISTOLAE AD PIUM V. P. M.	3-6
PRAEMONITIO AD LECTOREM	7-14
LIBER PRIMUS	15-97
Cap. I: Prooemium in primum librum de vera et naturali quadam cum Christo unitate, quam per dignam Eucharistiae sumptionem fideles consequuntur	17-22
Cap. II: De nominibus Eucharistiae	22-32
Cap. III: Corroboratio prima, in qua veritas naturalis unitatis carnis Christi nobiscum et nostri cum Christo per corporis et sanguinis eius Eucharistiam ex Christi institutione comprobatur	32-35
Cap. IV: Probatio secunda verbis eiusdem Christi confirmatur	35-39
Cap. V: Probatio tertia clarissimis Pauli vermis fulcitur	39-43

	Pagg.
Cap. VI: Loci illius Pauli ad Ephesios 5 explicatio: « <i>Quia membra sumus corporis illius de carne eius et de ossibus eius</i> »	43-49
Cap. VII: Probatio quarta nonnullis Veteris Testamen- ti figuris ac vaticiniis stabilitur	50-54
Cap. VII: Probatio quinta consensu Patrum tum ve- terum tum recentiorum corroboratur	54-84
Cap. IX: Probatio sexta rationibus aliquot adstruitur	84-88
Cap. X: Probatio septima: negantes praedictam unita- tem nullius orthodoxi testimonium adferuat	88-89
Cap. XI: Probatio octava: divinum peculiaremque cor- poris et sanguinis Christi fructum tollunt	89-90
Cap. XII: Probatio nona: dignitatem eximiam carni nostrae adimunt ipsamque animam incredibili fi- ducia gaudioque privant	90-93
Cap. XIII: Probatio decima: a Sanctorum Patrum senten- tia dissentientes haeticorum erroribus consen- tiunt	93-97
LIBER SECUNDUS	99-156
Cap. I: Tres assertiones ex supra adductis adscribuntur ac nonnulla, quae difficilem reddunt naturalis unita- tis assertionem referuntur	101-102
Cap. II: Rationes et argumenta undecim adversariorum enumerantur.	
Cap. III: Absurda nonnulla, quae sequuntur in natu- rali cum Christo unitate iudicio adversariorum	102-104
Cap. IV: Decreta quaedam Innocentii, Clementis, Con- cilii Tridentini, quae naturali nostrae cum Chri- sto unitati repugnare quidam falso existimant	104-105
Cap. V: Auctoritates Sanctorum Patrum, quae adver- sari videntur naturali cum Christo unitati	106-109
Cap. VI: Responsio ad primam obiectionem	109-112
Cap. VII: Responsio ad secundam obiectionem	112-113
Cap. VIII: Responsio ad tertiam obiectionem	113-114
Cap. IX: Responsio ad quartam obiectionem	114-115
Cap. X: Responsio ad quintam obiectionem	115-120
Cap. XI: Responsio ad sextam, septimam et octavam obiectionem	120-124
Cap. XII: Responsio ad nonam obiectionem	124
Cap. XIII: Responsio ad decimam obiectionem	124-126
Cap. XIV: Responsio ad undecimum argumentum	126-128

	Pagg.
Cap. XV: Responsio ad monstra et absurda, quae ex hac naturali unitate sequi nonnulli contendunt . . .	128
Cap. XVI: Quot modis unitas et unum accipiuntur . . .	129
Cap. XVII: De naturae et naturalis vocum significatione . . .	133-139
Cap. XVIII: Responsio ad Innocentii conciliique generalis decretum . . .	139-141
Cap. XIX: Responsio ad Clementis constitutionem . . .	141-143
Cap. XX: Responsio ad decretum Concilii Tridentini . . .	143-144
Cap. XXI: Responsio ad Irinaeum . . .	144-147
Cap. XXII: Responsio ad Cypriani verba . . .	147-149
Cap. XXIII: Responsio ad Origenis auctoritatem . . .	149-150
Cap. XXIV: Responsio ad Athanasii verba . . .	150-151
Cap. XXV: Responsio ad Ambrosium . . .	151-152
Cap. XXVI: Responsio ad Hilarium . . .	152-153
Cap. XXVII: Responsio ad Cyrillum . . .	153
Cap. XXVIII: Responsio ad Augustinum et Bernardum . . .	153-154
Cap. XXIX: Responsio ad Hugonem . . .	154
Cap. XXX: Responsio ad id, quod de Thoma Aquinate aliisque doctoribus refertur . . .	154-156
LIBER TERTIUS	157-258
Cap. I: Quid libro tertio tractetur proponitur ac duo notanda ex contentis in secundo libro apponuntur . . .	159
Cap. II: Ratio seu descriptio potius naturalis cum Christo unitatis per dignam Eucharistiae sumptionem . . .	160-163
Cap. III: Accuratio declaratio naturalis nostrae cum Christo unionis . . .	163-168
Cap. IV: De spiritualis cum Deo unitatis causa et appellatione . . .	169-170
Cap. V: De naturalis unitatis causa appellationeque per quam caro Christi et naturaliter ei uniti caro dicitur . . .	170-172
Cap. VI: Quare naturalis unitas a Patribus nuncupata sit diligentius indagatur . . .	172-177
Cap. VII: Eadem spirituali naturalisque unitas amplius declaratur . . .	178-187
Cap. VIII: Christum manere in membris suis tam per spiritus sui communicationem quam per corporis sui coniunctionem ipsum decere . . .	187-191
Cap. IX: Veterum Patrum sententiae de hac naturali unitate, quae vel per exaggerationem aut improprie dictae videntur exponuntur ac de duplici conversione, altera per dilectionem, altera reipsa agitur . . .	191-197

	Pagg.
Cap. X: In Sacris Litteris qualitatum mutatio, etiam si essentia non mutetur, conversio dicitur	197-199
Cap. XI: De significatione verbi <i>commisceri</i>	199-201
Cap. XII: Quid nostri in carnem Christi converti di- catur, quid per carnem Christi intelligatur	202-205
Cap. XIII: Isidori Pelusiotae verborum declaratio, qui- bus naturam nostram virtutē sacrorum mysterio- rum in carmen Christi desinere asserit	205-206
Cap. XIV: Quid nostri in carnem Christi converti di- catur amplius declaratur	206-207
Cap. XV: Quo sensu accipienda sunt Irinaei verba di- centis: « <i>Eucharistia carnis nostrae substantiam ali, augeri et consistere</i> »	207-209
Cap. XVI: Qua ratione una caro dicatur Christi caro et caro digne ipsius corpori communicantis	209-211
Cap. XVII: Qua unitate fideles unum sint inter se, etiam unitate Christus et eius membra copulentur et, Christo mediatore, Patri etiam uniantur	211-216
Cap. XVIII: De accidentalibus naturalis nostrae cum Christo unionis proprietatibus	216-220
Cap. XIX: Qualem vetusti Patres coniunctionem cum Christo corporalem esse dixerint	220-223
Cap. XX: Exponuntur Cyrillus et Chysostomus alique prisci auctores, qui immistionis diversarum cera- rum autē commassationis similitudinibus utuntur	223-229
Cap. XXI: Quomodo Christus in sacramento Eucha- ristiae per modum substantiae existens fidelibus uniatur amplius indagatur, quo etiam modo unitur non indigere quantitate extensiva in ordine ad species	229-239
Cap. XXII: Solutio aliquot obiectionum contra assertam substantialem unionem per modum substantiae	239-241
Cap. XXIII: De qualitate cum Christo unitatis naturalis	241-243
Cap. XXIV: De operatione naturalis cum Christo uni- tatis	243-246
Cap. XXV: Qualis eadem corporalis coniunctio sit circa passiones	246-247
Cap. XXVI: Qualis eadem corporalis coniunctio sit cir- ca locum	247-253
Cap. XXVII: Quanto tempore duret praedicta unio et quo tempore coeperit	254-257
Cap. XXVIII: An sub certo aliquo situ sit haec co- iunctio	257-258

	Pagg.
LIBER QUARTUS	259-328
Cap. I: Prooemium in librum quartum	261-266
Cap. II: Rationes decem, quae cuius gratia naturalis unitas sit, ostendunt	266-267
Cap. III: Unio, de qua agimus, ut nostra unitas cum Christo ac Christo mediatore, cum Deo perficiatur eoque ipso arctissimo et ineffabili quodam nexu cum Patre et Spiritu Sancto uniamur	267-273
Cap. IV: De corpore Christi mystico et qua ratione Dei typus et figura dicatur deque arctissima mem- brorum illius cum Christo unitate	273-275
Cap. V: Quo pacto homines unum cum Deo efficiantur	275-279
Cap. VI: De unitate, quae per manducationem obtinetur	280-281
Cap. VII: Probatio secundae rationis	282-285
Cap. VIII: Probatio tertiae rationis	285-289
Cap. IX: Probatio quartae rationis	289-293
Cap. X: Probatio quintae rationis	293-297
Cap. XI: Probatio sextae rationis	297-303
Cap. XII: Probatio septimae rationis	303-312
Cap. XIII: De sanctificatione totius hominis per cor- poralem cum Christo unionem, tam quoad ani- mam, quam quoad corpus	312-319
Cap. XIV: Probatio octavae rationis	320-321
Cap. XV: Probatio nonae rationis	321-323
Cap. XVI: Probatio decimae rationis	323-328
 LIBER QUINTUS	 329-
Cap. I: Prooemium in librum quintum de vi ac virtute Eucharistiae ac quinque circa rem hanc obiectiones	331-333
Cap. II: Rationibus aliquot comprobatur vis illa vi- fificativa huius Sacramenti	333-342
Cap. III: Ex Christi et Pauli verbis elicitur	342-346
Cap. IV: Patrum testimoniis Ecclesiaeque traditione fulcitur	347-359
Cap. V: Concilii Nicaeni auctoritate ac apostolica tra- ditione constabatur	359-362
Cap. VI: Responsio ad primam obiectionem	362-364
Cap. VII: Responsio ad secundam obiectionem	364-365
Cap. VIII: Responsio ad tertiam obiectionem	365-367
Cap. IX: Responsio ad quartam obiectionem	368-371

INDEX RERUM

	Pagg.
Cap. X: Necessariam esse sacramentalem manducationem fidemque absque Eucharistia non prodesse ad vitam aeternam	371-374
Cap. XI: Antiquos Patres et qui post Christum sine Eucharistia discedunt mystici corporis Christi membra absque naturali unione existere	374-376
Cap. XII: Responso ad confirmationem quartae obiectionis	376-381
Cap. XIII: Differentiae inter unionem per baptismum et Eucharistiam nonnullae enumerantur	381-383
Cap. XIV: Quinta differentia inter baptismum et Eucharistiam	384-385
Cap. XV: Sexta differentia inter baptismum et Eucharistiam	385-390
Cap. XVI: Quare baptismus absque nostro labore nos perficiat Eucharistia vero laborem exigat	390-392
Cap. XVII: Responso ad quintam obiectionem	393-394
Cap. XVIII: De eadem substantiali corporalique cum Christo unitate Scholasticorum more quaestio exposita. Epilogus	395-399
Index nominum	401-404
Index rerum	405-410

STAMPATO
NELL'OTTOBRE 1948
DALL'ISTITUTO GRAFICO
TIBERINO CON SEDE IN
ROMA - VIA GAETA, 14
(OFFICINE GRAF. TIVOLI)